


THEOLOGIA DOGMATICO-SPECULATIVA

IN

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS TRADITA

A

P. JOSEPHO MONSCHEIN S. J.


SS. THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM DOCTORE p. t. UNIVERSITATIS DILINGANÆ CANCELLARIO.

TRACTATUS I.

DE DEO.

Editio secunda.





CUM FACULTATE SUPERIORUM



AUGUSTÆ VINDEL. & FRIBURGI BRISGOIÆ

Impensis FRATRUM IGNAT. & ANT. WAGNER

Bibliopolarum, anno 1767.

REVERENDISSIMO
AC
SERENISSIMO DOMINO
DOMINO
JOSEPHO
S. R. I. PRINCIPI,
EPISCOPO AUGUSTANO
LANDGRAVIO HASSIÆ
A DARMSTADT,
PRINCIPI HIRSCHFELDENSI,
COMITI
CATIMELIBOGI, DIEZ, ZIEGENHEIMB,
NIDDA, SCHAUMBURG, ISENBURG,
ET BIDINGEN,
ABBATI INFULATO
S. HELENÆ DE FÖLDWAR IN HUNGARIA,
EQUITI S. HUBERTI &c. &c.

DOMINO DOMINO
CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIME
AC
SERENISSIME
S. R. I.
PRINCEPS
&
Episcope, Landgravie Hassiæ,

Domine, Domine Clementissime!

THeologiam Dogmatico-Speculativam publicis typis commissurus non diu deliberavi, cujus pedibus illam humillime advolverem, ac honoribus consecrarem. Cui

enim hoc qualecunque opus meum magis debetur, a quo potentius patrocinium ſperare, ac certius impetrare poſſet, quam a TE, PRINCEPS SERENISSIME? Nata eſt hæc THEOLOGIA mea in Univerſitate Dilingana, Muſarum Tuarum ſede, ibi totam compoſui, & maximam partem auditoribus Academicis prælegi; jus igitur originis exigit, ut demiſſiſſimæ ſervitutis homagium Sereniſſimo Principi, ac Domino ſuo præ aliis deferat. Tibi natales dedit Sereniſſima Landgraviorum Haſſo-Darmſtadienſium, & Ducum Croyenſium Domus, merita vero Tua ad Principatum Dilinganum, & Epiſcopatum Auguſtanum Te evexerunt. Nihil ergo Theologiæ meæ exoptatius ad protectionem

nem, nihil ad illius commendationem excellentius esse potest, quam si sub Potentissimo, & Gloriosissimo Nomine Tuo secure quiescere liceat. Ut S. R. I. Princeps gladium, ut Episcopus pedum & mytram geris; at nec gladius, nec pedum me absterret, quo minus ad sublimem Serenitatis Tuæ magnitudinem venerabundus accedere audeam. Sicut enim non nisi invitus, & cogente juris necessitate in malefactores gravius advertis: ita pedo Tuo neminem demisse supplicantem repellis Præsul Clementissimus, & ovium Tuarum Pastor ac Pater Amantissimus, cujus Benignitas & Clementia adeo orbi nota est, ut aureis litteris, & pretiosissimis lapillis easdem fronti & mytræ in-

inſcriptas circumferre videaris. Permitte, quæſo, ut ſingula hæc aliquantum altius repetam. Floruit Academia Dilingana a cunabulis ſuis jam per ducentos annos eximio literarum fervore, conſtanti omnium virtutum cultu, & illibato orthodoxæ Religionis zelo, ut teſtantur non ſolum innumeri viri Religioſi, Parochi, aliique indefeſſi ex Ven. Clero in vinea Domini Operarii, qui ex hac ſtudiorum, ac virtutum palæſtra prodierunt; ſed etiam plurima alia præſtantiſſima tam civilis, quam Eccleſiaſticæ Reipublicæ lumina, Præſules, Epiſcopi, ac Principes, qui prima ſcientiarum, ac integerrimæ vitæ fundamenta in illa poſuerunt. Hunc antiquum Academiæ Tuæ ſplendorem non ſolum Princi-

pali

pa i cura conſervare, ſed pro ſingulari Tuo in literas, & literatos amore plurimum augere ſtuduiſti, optime gnarus, literas, præſertim ſacras, omnium eſſe fundamenta virtutum, ex quibus velut floridiſſimis campis argumentoſæ apes *aerei mellis cœleſtia dona legant*, ut loquitur Auctor Sermonis ad FF. in eremo; Præſul Hipponenſis vero Serm. 118 viros probe eruditos non dubitavit nuncupare lapides pretioſos. *Sunt in Eccleſia DEI*, inquit, *& ſemper fuerunt lapides pretioſi, docti ſcilicet, & abundantes ſcientia & eloquentia.* Hinc pro Divina mentis Tuæ intelligentia ex tam multis, & tam gravibus fauſtiſſimi regiminis Tui curis inter primarias ſemper habuiſti, ut Academica Athenæi

tui ſtatuta in primævo vigore perſiſterent, veræ Religionis ac virtutis amor in ſtudioſa juventute identidem creſceret, bonæque artes, ac inter has in primis illæ, quæ ad ſacroſancta Religionis Myſteria, & morum honeſtatem pertinent, optimis modis excolerentur, atque omni eruditionis genere quam copioſiſſime illuſtrarentur. Qua vigilantiſſima ſollicitudine conſecutus es, ut Academia Dilingana Tibi non minus, quam Gieſſenſis Ludovico, Principi æterna memoria digniſſimo, Georgii Pii, qui primus Darmſtadianæ ſtirpis fuit Auctor, celebratiſſimo filio debeat; ſicut enim ille Academiam Gieſſenſem in perpetuam ſcientiarum ſcaturiginem inſtituit, & fundavit,

vit, ita Tu Dilinganæ non ſolum ſolertiſſimus conſervator, ſed etiam benevolentiſſimo affectu, & ſpeciali cultu fundator es. Quidquid igitur utilitatis ex illa in Auguſtanam Diœceſin, totumque orbem profluxit, & profluit, profluxit autem plurimum, & ut ex ſingulari, quam eidem impendis, cultura ſperare licet, in poſterum adhuc amplius profluet: quidquid ſive ex diſcentium fervore ac profectu, ſive ex docentium eruditione & labore ſplendoris eidem comparatum eſt, aut comparabitur, qui quemadmodum fuit maximus, ita illum Sereniſſimi Principis noſtri exemplo animati ſemper magis illuſtrare conabimur: quidquid denique laudis merentur copioſæ lucubrationes,

nes, quæ ab eadem in publicam lucem ſunt editæ, id totum in Te tanquam primum omnium fontem & Auctorem redundat.

Utinam vero Theologia mea talis ſit, ut licet tanto Auctore neutiquam digna, ſaltem Sereniſſimo conſpectu Tuo non indigna videatur! Ex hoc ſolo, quod ſub glorioſo patrocinio Tuo in lucem prodeat, ſat ſplendida, & literato orbi commendata erit. Sola Nominis Tui inſcriptio præbebit illi contra omnes inſultus inexpugnabile ſcutum. Excubat in ſcuto Tuo Gentilitio Leo Domus Haſſo - Darmſtadianæ; quis autem vel parum eruditus ignorat, quot regionibus Domus Haſſiæ ſuos Duces ac Reges dederit? Quis neſcit, quot

quot Summos Europæ Principes tædis nuptialibus ſibi conjunxerit? Quis non veneratur S Eliſabetham Ludovici Thuringiæ, Haſſiæque Landgravii ſanctiſſimam Conjugem, a Sede Romana ſacris aris impoſitam? Ex Sereniſſima Domo Haſſica poſt longam maximorum Majorum ſeriem orta eſt ſtirps Darmſtadiana, Heroibus toga ſagoque celeberrima, quorum fortitudinis ac ſapientiæ prodigia jam pridem alii pluribus celebrare conati ſunt. In Te ſolum, Princeps Sereniſſime, admirabundos oculos conjicio, qui cum ex tam grandibus, totique orbi admirandis Majoribus Paternum, ex Regia vero Stephani Hungarorum olim Monarchæ progenie Maternum ſanguinem hauſeris, illos

los tamen inſignibus meritis & dotibus Tuis multo majores reddis, *duplici nomine clarus, & Majorum imaginibus, & propria virtute,* ut ajebat S. Greg. Naz. Orat. 18. Enimvero ſi quid valet illud Senecæ Epiſt. 44: *Animus nobilem facit*, neſcio, an majorem ex Ducali, Regiaque origine, an ex Epiſcopatu Auguſtano, & Principatu Dilingano Tibi provenire dicam; illum enim nativitati, hunc propriis virtutibus, & præclariſſimis animi donis debes, quæ, licet ſab avita ſtirpe tam inclytam non fuiſſes ſortitus claritatem, nihilominus Principali Pileo, Mytraque Epiſcopali digniſſimum feciſſent, adeo omnium chariſmatum decora, quæ DEO & hominibus gratum facere poſ-

poſſunt, & ab aliis quaſi guttatim poſſidentur, animus Tuus in ſe uno abundantiſſime complectitur. Hæc maximam ſummorum Principum æſtimationem, & amorem Tibi conciliant; his Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam non minus, quam arcto cognationis, & parentelæ vinculo Tibi devincis. Felicem itaque Theologiam meam, ſi honoribus tanti Principis illam offerre liceat; vere namque Juſtus Lipſius Centur. 2 ad Belg. Epiſt. 13 literarum Profeſſores vitibus comparat, ad excelſam arborem applicitis, quibus niſi ſuſtententur, contemptim humi repere ſolent. Quare gratia nunquam ſatis mihi deprædicanda obtinget, ſi concedatur, opuſcula mea ad

radi-

radicem arboris Hasso - Darmstadianæ deponere, in cujus altissimo vertice, Princeps Serenissime, ita emines, ac virtutum Tuarum flores expandis, ut sub illius umbra securissimum refugium meritissimo certissimoque mihi promittam.

Equidem cum Te in tam alto dignitatis Tuæ fastigio contemplor, utique sub præsidium Tuum confugere non auderem, nisi timorem reverentialem vinceret admiranda Tua Benignitas, qua omnium corda ad Te non tam trahis, quam rapis. Admiramur quidem in Te, Princeps Serenissime, perfectissimum omnium virtutum exemplar, & singulas in gradu tam eminenti possides, ut quælibet cum altera de palma

certare,eamque dubiam reddere videatur. At tribuant alii ob intrinſecam dignitatem primatum illis, quæ, quia proxime cum DEO conjungunt, Theologicæ vocari ſolent; extollant mirum Religionis ardorem, quo majorem DEI, Divorumque venerationem, & gloriam ubique maxima ſollicitudine promoves; laudent ardentiſſimum zelum, quo animarum Tibi a DEO creditarum ſalutem omnibus modis procurare ſatagis; celebrent ſummam in rebus dijudicandis Sapientiam, in gerendis negotiis Prudentiam, in regendis ſubditis Juſtitiam, & Æquitatem Tuam: mihi præ omnibus animæ Tuæ ornamentis ſtupere liceat clementiſſimam Benignitatem, quæ in-

ter cæteras Tuas virtutes maxime ſplendet, easque exornat, non quaſi aliis ſit major, & præſtantior, ſed quia gratior, jucundiorque homines totos ita ad ſe convertit, ut quaſi extra ſe rapti ad alias vix amplius advertere valeant. Hinc iſtam principalem dotem omnes, quotquot te noviſſe conceſſum eſt, ſatis admirari nequeunt. In hac regia virtute a nemine Te vinci pateris. Quid igitur mirum, ſi ferme innumera ſupplicum turba ex omni hominum genere & ſtatu ad Te convolat? Quid mirum, ſi commune miſerorum refugium, afflictorum ſolatium, egentium auxilium ubique celebraris? Qui tanta amabilitate ad cunctos Te demittis, tam prompto bene-

benefaciendi animo eorum preces excipis, tam mira ſuavitate illos ſolaris, ſublevas, & erigis, ut merito hic repetam, quod de Tua Clementia & Miſericordia inſignis quidam, & doctiſſimus cliens Tuus olim ſcripſerat: Si ipſa Benignitas perſonam humanam aſſumere vellet, non poſſet aliam aſſumere, quam Tuam, neque Tua profecto digniorem. Innumeris exemplis id facile poſſem demonſtrare, ſi ab externis illa conquirere animus foret; ſed domeſtica me abunde convincunt. Nota eſt omnibus benevolentiſſima illa voluntatis propenſio, qua Academiam, ejusque Profeſſores complecteris; plurimi, maximique ſunt favores, quos Collegio noſtro

exhibuisti, liberalitatem Tuam cunctis loquitur insignis illa S. Josephi Imago, qua Academici Templi Altare munificentissime exornasti. Ut nihil jam dicam de meis, quos summis gratiis cumulasti, nihil de me ipso, quem per plures jam annos in Universitate Tua Professorem, ejusque Cancellarium clementissime sustines. Sane post tot, tantaque inexhaustæ Benignitatis & Clementiæ Tuæ documenta injuriam me Tibi facturum crederem, si alteri potius, quam Serenitati Tuæ Theologiam meam dedicarem, aut ad Clementiæ Tuæ Thronum appropinquare formidarem.

Accipe igitur, Princeps Clementissime, munus hoc, tenue

quidem, attamen devotiſſimo af-
fectu oblatum, & ex plurimis ti-
tulis Tibi debitum. In lucem
prodit ex Academia Tua, en hu-
millimæ ſervitutis homagium;
Patrocinium ambit Sereniſſimi
Landgravii Haſſo-Darmſtadien-
ſis Principis, & Epiſcopi ſui; ecce
demiſſiſſimæ reverentiæ pignus,
& obſequioſiſſimæ ſubmiſſionis
tributum; maximis favoribus &
gratiis Collegium noſtrum, me-
que ipſum Tibi obſtrinxiſti; en
perpetuum gratitudinis noſtræ
memoriale, ſimulque Principalis
Benevolentiæ Tuæ perenne mo-
numentum, quod utut dignitati,
ac meritis Tuis minime par ſit,
ipſum tamen Nomen Tuum ſatis
pretioſum reddit, & novum per-
hibet clementiſſimæ Benignitatis
Tuæ teſtimonium, qua ut pluri-

mos adhuc in annos frui liceat, ſinceriſſimis, ardentiſſimisque votis cœlum precamur, ut Sereniſſimum noſtrum Principem, zeloſiſſimum Epiſcopum, & amantiſſimum Patrem diutiſſime incolumem, & cœleſtibus donis uberrime perfuſum conſervare velit. Vive igitur, Princeps Sereniſſime! Vive ad maximum Sereniſſimæ domus Tuæ ornamentum, ad perpetuum Academiæ incrementum, ad ſuaviſſimum patriæ, & Collegii noſtri ſolatium! Vive, inquam, & utinam humana conditio ſineret, ſemper! Ita precatur totius Collegii, & Academiæ nomine

REVERENDISSIMÆ SERENITATIS TUÆ

Humillimus & obſequioſiſſimus
AUCTOR.

LECTOR.

LECTOR BENEVOLE!

UT Theologiam hanc Dogmatico-Speculativam, quam maximam partem in Academia Dilingana dictavi, publici juris facerem, sola voluntas Superiorum me movit. Huic dum morem gero, optassem quidem, ut scripta mea majoribus adhuc curis perpolire liceret; sed temporis circumstantiæ, adversa valetudo, aliaque, quibus occupor, negotia id non permiserunt. Si tamen eum fructum ex lectione hujus operis feras, quem ex illo Domini mei Auditores Academici hauserunt, habeo, cur & tibi, & mihi summopere gratuler.

Cæterum ex sententiis, quæ inter ipsos Catholicos controversæ sunt, eas elegi, quæ mihi magis verisimiles videbantur. Rationes, quas affero, si aliquibus opinionem meam non satis persuadeant, neutiquam postulo, ut in gratiam mei intellectum suum captivent. Porro omnes Tractatus meos, singulaque in ipsis contenta Supremo Romanæ Sedis Judicio submississima cum veneratione, animoque promptissimo subjicio. Tu vero, Lector Benevole, si quid minus accurate dictum invenias, locutionem, non animum, reprehende; & errores, qui forte irrepserunt, aut patienter sustine, aut humaniter corrige. Vale.



INDEX MATERIARUM,

In hoc opusculo contentarum, ex quibus illæ, quæ stellula notatæ sunt, ex præscripto discutiuntur, reliquæ brevius exponuntur.

TRACTATUS DE DEO.

Quæstiones prolegomenæ.

An

DISPUTATIO II.

De Essentia DEI unius.

DISPUTATIO III.

De quibusdam DEI perfectionibus in particulari ?

PARS II.

DE DEO SCIENTE.

DISPUTATIO I.

De Scientia Simplicis Intelligentiæ.

DISPUTATIO II.

De ſcientia Viſionis.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De Scientia Media.

PARS III.

DE DEO VOLENTE.

DISPU-

DISPUTATIO I.

De Essentia voluntatis Divinæ.

DISPUTATIO II.

De modo operandi voluntatis Divinæ.

DISPUTATIO III.

De providentia DEI circa ſalutem hominum in communi.

DISPUTATIO IV.

De providentia DEI speciali circa electos & reprobos ?

PARS

PARS IV.

DE DEO TRINO.

DISPUTATIO I.

De myſterio Trinitatis.

DISPUTATIO II.

De Divinis perſonis in particulari.



TRA-



TRACTATUS I.

DE DEO.

Tractatus hic ratione sui objecti facile praecipuus est, & jure primum locum sibi vendicat; ab eo enim Theologia nomen suum accepit, quae juxta vocis etymon sermonem de DEO, rebusque Divinis significat, & in naturalem, ac supernaturalem distingui potest. Naturalis ad cognitionem DEI, & perfectionum Divinarum assurgit ex testimonio creaturarum duce solo lumine naturae: *Visibilia enim ipsius*, inquit Apostolus ad Rom. I. v. 20, *a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas.* Floruit haec Theologia inter ipsos gentiles, & juxta S. Augustinum libr. 6. de civitate DEI cap. 5, triplex fuit, Poetica, Physica, & Civilis. Poeticam sibi vendicarunt Poetae, qui carminibus Deorum suorum laudes celebraverunt. Physicam tradidere Philosophi, in id maxime incumbentes, ut Poetarum de Divinis doctrinam erroribus ac fabulis expurgarent. Civilis agebat de ritibus colendi Deos, eorumque oraculis, ac responsis; illius administrandae cura civibus per urbes, maxime sacerdotibus, competebat. Nostro tempore ad Theologiam naturalem pertinet ea pars Philosophiae, quae vulgo Metaphysica dicitur, & jam ab Aristotele 6 Metaphys. c. 1 Theologia appellata est.

Quid quotuplex ſit Theologia ſupernaturalis?

1 Theologia ſupernaturalis eſt diſciplina, qua ex principiis divinitus revelatis variæ concluſiones de DEO, & rebus ad DEUM ſpectantibus eliciuntur. Fuit ſub ipſa naſcentis mundi primordia cum reliquo ſcientiarum apparatu infuſa protoparenti noſtro Adamo; ab hoc in filios, & nepotes continua traditione usque ad Noemum propagata, poſtea invaleſcente per magnam orbis partem idololatria denſis involuta tenebris latuit, donec ab Abrahamo, & dein Moyſe rurſus reſtaurata eſt, conſtitutis ſacerdotibus, ſcribis, & legiſperitis, qui Theologiam publicis in cœtibus profitebantur. Hos ſequebatur copioſus Prophetarum numerus, quorum magiſterio populus ad verum Numinis cultum excitabatur. Tandem ipſe Filius DEI, humana carne aſſumpta, in terras deſcendit, Redemptoris pariter, ac Doctoris munere functurus, qui antiqua lege abolita novam, eamque longe præſtantiorem propoſuit, ac per totum mundum promulgari voluit ab Apoſtolis, quos ideo S. Dionyſius Areopagita Epiſt. ad Timoth. Theologos appellavit. Eandem poſtea appellationem meriti ſunt ſancti Patres, aliiqueDoctores, qui de rebus Divinis tam publice in Conciliis, quam privatim in exedris, & libris ſcriptis plurima theologice diſputarunt, licet necdum eo ordine, ac methodo, quæ nunc in ſcholis adhiberi ſolet.

2 Dicitur itaque Theologia 1, Diſciplina, ſeu facultas uſu & doctrina comparata. Poteſt reduci cum ad ſcientiam, tum ad ſapientiam. Quamvis enim concluſiones Theologicæ non ſint evidentes, ſunt tamen veræ ac certæ, & verſantur circa res altiſſimas, idque per altiſſimum, ac in ordine ſupernaturali maxime univerſale principium, nempe revelationem Divinam. Neque obſtat, quod in Theologia multa tradantur, quæ probabilitatis limites non excedunt. Quippe uſus jam obtinuit, ut ſolæ illæ

illæ conclusiones dicantur Theologicæ, quæ deducuntur ex duabus præmissis, quarum vel utraque, vel una saltem est de fide, altera vero aliunde nota, & certa, sive dein hoc fiat immediate, sive mediate; sicut enim ad conclusionem scientiæ naturalis sufficit, quod mediate deducatur ex primis principiis, ut Philosophus 1 Topic. c. 7. observat, ita ad conclusionem Theologicam non est necessarium, ut immediate inferatur ex una propositione de Fide, sed sufficit, modo ultimato in talem propositionem resolvatur.

Dicitur 2, Ex principiis divinitus revelatis. 3
Per quod distinguitur a Theologia naturali, omnibusque aliis scientiis, quæ tantum principiis naturalibus nituntur. Utrum autem habitus Theologiæ sit simpliciter, & entitative, vel solum extrinsece supernaturalis, disputant Auctores. Multi existimant, illum esse partim naturalem, partim entitative supernaturalem, in quantum ad eliciendas conclusiones Theologicas plures habitus concurrunt. Inprimis habitus Fidei, qui intrinsece supernaturalis est: dein habitus logicæ, facilitans ad clare discernendam causæ bonitatem: denique etiam habitus Metaphysicæ, aut alterius scientiæ, cujus principiis una cum revelatione Theologia nititur. Hinc habitus Theologiæ homini a DEO infunditur, qua parte est supernaturalis, acquiritur vero, & studio, ac exercitio augetur, qua parte importat varias alias facultates naturales, quæ habitum fidei integraliter ita complent, ut ab omnibus simul sumptis denominatio Theologi oriatur.

Dicitur 3, De DEO, & rebus ad DEUM spectantibus. 4
Quæ verba Theologiæ objectum indicant. Nam objectum attributionis est DEUS, circa quem Theologia primario versatur; cætera vero omnia, de quibus agit, tanquam objecta attributa ad DEUM refert, vel tanquam ejus effectus, quales sunt omnes creaturæ, vel tanquam media ad eum assequendum,

dum, qualia ſunt Incarnatio, Gratia, Sacramenta, leges implendæ, virtutes exercendæ, peccata vitanda &c. Cæterum ratio formalis, ſub qua Theologia objectum ſuum attingit, eſt connexio veritatis Theologicæ cum veritatibus Fidei, per quod ſcientia Theologica differt a fide; nam fides pro objecto materiali habet veritates revelatas qua tales, & pro formali auctoritatem DEI revelantis; Theologia vero pro objecto materiali habet veritates connexas cum revelatis, & pro formali earum connexionem.

5 Diviſiones Theologiæ ſupernaturalis variæ ſunt. Ratione ſubjecti, cui ineſt, dividitur in eam, quæ eſt comprehenſorum, ſeu beatorum in cœlo, ubi ope luminis gloriæ intuentur DEUM, ſicuti eſt, a facie ad faciem; & in eam, quæ eſt viatorum, ſeu hominum adhuc degentium in terris, ubi DEUM, ac res divinas nondum vident clare, & in ſe, ſed per ſpeculum in ænigmate. Porro inter viatores ſolos orthodoxos veros eſſe Theologos probat Petavius: & colligitur ex eo, quia ad veram Theologiam requiritur habitus Fidei, ſine quo de DEO, & rebus divinis nemo ita diſcurret, ut non in varios errores incidat; quomodo enim infirma noſtra ratio ſublimiſſima Religionis myſteria rite penetrabit; cum mens humana neque ſe ipſam, nec vinculum, quo corpori compaginatur, neque alia pene infinita naturalis ordinis ſatis intelligere, aut explicare valeat, ut ſæpe contra hæreticos arguebant SS. Patres, nominatim Irenæus l. 2. adverſ. hæreſ. cap. 28. alias 49.

6 Ratione objecti dividitur in Scripturalem, Polemicam, Speculativam, Moralem, & Myſticam. Scripturalis varios ſenſus Sacræ Scripturæ explicat & doctrinam fidei ac morum iisdem contentam. Polemica, ſeu Controverſa infidelium, & hæreticorum errores confutat. Speculativa diſputat præcipue de ſublimioribus Religionis noſtræ myſteriis. Moralis, ſive practica mandatorum divinorum obliga-

ligationes exponit, & quæſtionibus, quas caſus conſcientiæ appellamus, reſpondet. Myſtica denique, ſeu affectiva hominem non ſuæ ſalutis ſolum, ſed Evangelicæ etiam perfectionis cupidum inſtruit, ejusque affectus in DEUM dirigit, ac movet. Tradi ſolet ab aſcetis, quos tamen ſanæ, ac ſolidæ Theologiæ principiis probe imbutos eſſe oportet, alias cordato Theologo facile faſtidium creare poterunt.

Ratione modi, ſeu methodi dividitur in Dogmaticam, & Scholaſticam. Dogmatica tota occupatur circa Fidei, ac Religionis capita tum ſpeculativa, tum practica, eaque ex Scripturis, Conciliis, & Patribus probare conatur, ſtylo plerumque diffuſo, & oratorio. Vocatur etiam Poſitiva, tum quia Scripturæ, Concilia, & SS. Patrum monumenta ſunt juris poſitivi, tum quia nititur talibus principiis, quæ non probantur, ſed ſupponuntur, & creduntur. Scholaſtica, ſic dicta, quod in ſcholis uſurpari ſoleat, adhibet ſtylum conciſum, ſimplicem, & apertum, dialectico more terminos exponit, definitiones, ac diviſiones ſtatuit, fixoque quæſtionis ſtatu argumenta proponit, objecta vero diſſolvit. Unde Theologia dogmatica, & ſcholaſtica ſolum differunt accidentaliter, & quoad ſtylum, neque dubium videtur, quin ſtylus ſcholaſticorum ſit ſolidior, accuratior, eaque methodo concinnatus, ut, niſi quorumdam vitio exorbitet, tradendis & addiſcendis diſciplinis ſit aptiſſimus. 7

Prima Theologiæ Scholaſticæ fundamenta apud Græcos poſuit S. Damaſcenus, conſcriptis quatuor de fide orthodoxa libris, in quibus Græcorum Patrum ſententias ad certa capita revocavit. Stylo adhuc magis acuto, ac ſubtili Sæculo XI res Theologicas apud Latinos proſecutus eſt S. Anſelmus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis. Inter alios tamen omnes Theologiæ Scholaſticæ quaſi parens habetur Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, qui 8

circa annum Christi 1160 quatuor libros sententiarum composuit, in quibus miro compendio sententias Patrum in summam collegit, dictus propterea Magister Sententiarum. Tandem Sæculo XIII ad summum apicem Theologiam perduxit S. Thomas Aquinas, tum in duplici commentario in quatuor libros sententiarum, tum, ac præcipue in Summa Theologiæ, cujus tamen tertiam partem morte præoccupatus imperfectam reliquit. Nihilominus hanc summam orbis litteratus non solum pro merito summis encomiis extulit, sed etiam in præcipuis Europæ Academiis civitate donavit.

Quot & quales sint loci Theologici?

9 Per locos Theologicos intelliguntur sedes illæ, & quasi promptuaria, ex quibus Theologi sua argumenta, sive ad probandam doctrinam propriam, sive ad refellendam oppositam depromere solent. Generatim ad duos reduci possunt, ad auctoritatem nempe, & rationem; sic enim comparata est humana mens, ut ejus assensum solum vel auctoritas docentis, vel claritas, & apparentia objecti exprimere valeat. Ubi advertendum discrimen inter alias scientias, & Theologiam. Nam licet in aliis scientiis primum locum obtineat ratio, postremum auctoritas; in Theologia tamen potius auctoritatis, quam rationis momenta ponderanda sunt. Cum enim principaliter, & potissimum nitatur principiis fidei, fides autem nec esse, nec intelligi possit, nisi ab auctoritate proficiscatur, Theologia locum ab auctoritate ita sibi proprium vindicat, ut rationes vel tantum ut hospites excipiat, vel solum tanquam pedissequas in obsequium adsciscat.

10 Magis specialiter loci Theologici decem enumerari possunt. 1. S. Scriptura. 2. Traditiones Divinæ, & Apostolicæ. 3. Auctoritas Ecclesiæ catholicæ, sive in Concilio generali congregatæ, sive per orbem dispersæ. 4. Definitiones, & decreta sum-

ſummorum pontificum. 5. Concilia particularia. 6. SS. Patres. 7. Auctoritas Theologorum, quibus etiam adjungi poſſunt Juris Pontificii periti. 8. Ratio naturalis. 9. Auctoritas Philoſophorum. 10. Hiſtoria. Ex his primi ſeptem vocantur loci intrinſeci, quia ex illis Theologia principia ſibi propria eruit: reliqui dicuntur loci extrinſeci, quia principia, quæ ex illis ad elucubranda Religionis noſtræ myſteria petuntur, ex aliis diſciplinis ac ſcientiis mutuantur. De plerisque locis intrinſecis ex inſtituto agitur in Tractatu de fide, reliquos hic breviter expendemus.

11 Itaque per ſanctos Patres intelliguntur viri, qui antiquis temporibus inſigni vitæ ſanctitate, & eminenti doctrina floruerunt, ac ideo ab Eccleſia in rebus fidei, ac morum conſuli conſueverunt. Si omnes, vel plerique circa aliquam doctrinam fidei, aut morum conſentiant, firmiſſimum præbent argumentum, utpote Traditionum antiquarum teſtes genuini, & catholicæ doctrinæ cuſtodes. Unde in Chalcedonenſi concilio conclamatum olim: *hæc eſt fides Patrum.* Et in Tridentino ſeſſ. 4. decret. de edit. ſacr. libr. præceptum: *Ne quis ſcripturam ſacram contra unanimem traditionem Patrum interpretari audeat.* Interim nullus SS. Patrum ſeorſim, immo nec plures ſeorſim accepti infallibilis ſunt auctoritatis. Quamvis enim ob pietatem, & doctrinam magnam probabilitatem faciant, nulli tamen omnimoda infallibilitas promiſſa legitur. Quin conſtat, ipſos nonnunquam ſibi invicem adverſari, & quandoque aliquos erraſſe. Sic S. Cyprianus putavit, baptizatos ab hæreticis rebaptizari debere, alii plures in errorem Millenariorum inciderunt. Cavendum nihilominus, ne temere illos erroris arguamus, ſed potius ambigua illorum dicta in bonam partem accipienda ſunt. Quodſi aliqui manifeſte erraſſe deprehendantur, cogitandum, magna quoque luminaria non nunquam aliquod ſplen-

doris ſui detrimentum pati, quin ideo luminaria eſſe deſinant.

12 Præterea in lectione SS. Patrum obſervandum eſt, quo ſæculo, & anno ſcripſerint; quia res aliquæ tunc nondum fuerant ab Eccleſia definitæ. 2. Quo loco, & qua ætate quædam protulerint; nam quandoque aliqua tantum dixerunt incidenter, quandoque concionatorie quædam exaggerarunt, nonnunquam modum exceſſerunt nimio diſputationis æſtu abrepti: alia in juventute ſcripta retractarunt, ut conſtat ex libris retractationum S. Auguſtini. 3. Contra quos ſcripſerint, & qua occaſione; ſæpe enim ex doctrina, quam impugnant, genuinus illorum ſenſus colligi debet. 4. Qua lingua ſcripſerint; quia non raro aliam vim ſignificandi verba in hoc, quam alio idiomate habent. 5. Quisnam verborum, ac propoſitionum ſit contextus; quippe mens ſcriptoris non ſemper poteſt ex uno textu colligi, ſed antecedentia cum conſequentibus comparanda, & textus obſcuriores per clariores explicandi ſunt. 6. Denique ſemper etiam præ oculis habeantur definitiones Eccleſiæ, & Summorum Pontificum, quæ cum infallibilem habeant auctoritatem, juxta illas dicta Patrum meliorem in partem interpretanda.

13 Veſtigiis SS. Patrum inſiſtunt Theologi, a Scholis dicti Doctores Scholaſtici. Licet enim hos cum illis æquiparare nolim, certum tamen eſt, quod omni tempore in Eccleſia fuerint viri docti, qui de DEO, rebusque divinis prudenter, ac ſolide ſcripſerunt, ac in publicis Academiis alios erudierunt. Si igitur in rebus ad fidem, & mores pertinentibus omnes conveniant, non ſolum temerarium, ſed hæreſi proximum videtur, ab illarum ſententia recedere; nullum enim erit dogma reperire, quod eadem mente, eodemque ore Scholaſtici omnes aſſeruerunt, quin idem univerſa tenuerit Eccleſia. Unde ſi illi erraſſent, etiam erraſſet Eccleſia, vel ſaltem com-

communem errorem dissimulans, fideles silentio suo decepisset. Aliud est, quando Doctores Scholastici in diversas partes abeunt, tunc majorem fidem non faciunt, quam vel ipsorum ratio, vel gravior ita sentientium auctoritas comprobarit. Cumque sua in arte cuique credendum sit, cæteris paribus præferendi sunt, qui aliquam disciplinam ex professo tractarunt, e.g. in Theologicis Theologi, in iis, quæ instituta Pontificia concernunt, Juris periti.

Ratio naturalis ad Theologiam adeo necessaria 14
est, ut sine illa Theologus ne quidem nomen hominis mereatur. Quomodo enim mysteria a DEO revelata sine ratione intelligere, quomodo existentiam ipsarum revelationum cognoscere poterimus, nisi ratione naturali per motiva credibilitatis illam investigemus? Non omnia nobis a DEO tam clare sunt manifestata, ut non plurima per prudentes discursus eruenda restent. Sæpe ex Verbo divino tantum constat de substantia mysterii, modus explicandi adhuc latet. Gentiles, & hæretici fidem ex ratione impugnant, Scripturam vero, ac Patrum monumenta contemnunt, aut in transversum sensum detorquent: vocata igitur in subsidium ratione convincendi sunt, ut passim fecerunt SS. Patres. Dum vero aliqui eorum rationem a Theologia proscribere videntur, non loquuntur de sobrio illius usu, sed de sophistico, & frivolo abusu illorum, qui rationem auctoritati præferentes, nimis curiose ac temere in secreta divinitatis penetrare ausi, vel omnino captiosis rationibus mysteria fidei evertere conati sunt.

Quod de ratione dixi, proportionaliter etiam 15
intelligendum est de Philosophis; nam tantum valet illorum auctoritas, quantum valet ratio, quam in commune bonum afferunt: iisdem quoque limitibus concludenda est, ne famulatus in dominatum abeat. Eruditio denique historica Theologo adeo necessaria est, ut sine illa hac præsertim critica ætate no-

ſtra vix ullibi tuto pede conſiſtere, aut quidquam ſolide aggredi valeat. Quomodo enim hæreſes impugnabit, ſi, quæ, qualesve fuerint, ignoret? Quomodo ex Conciliis ſententiam ſuam ſtabiliet, ſi neſciat, quid in illis actum, quidve legitime definitum, aut decretum ſit? Quomodo ex dictis SS. Patrum aliquid probabit, ſi non ſciat, quid, aut contra quos ſcripſerint? Quomodo denique ſacros ritus, & ceremonias Eccleſiæ, ipſosque Summos Pontifices, ac Concilia ab hæreticorum calumniis, & criticorum cavillationibus defendet absque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitia? Profecto nonnunquam Eccleſiæ cauſa ita ex geſtarum rerum memoria dependet, ut quidquid ratione, & auctoritate probatum fuerit, unius facti interjectu enervetur.

Quisnam ſit finis, & quæ utilitas Theologiæ?

16 Finis, utilitas, & præſtantia Theologiæ facile patet ex dictis. Cum enim tota in eo verſetur, ut, quæ de DEO, & rebus divinis in S. Scriptura, & Apoſtolicis traditionibus continentur, in apertam lucem producat, ſublimia, ac obſcura fidei noſtræ myſteria declaret, veram Religionem adverſus hæreticorum, & infidelium inſultus defendat, ac denique ex iis, quæ divinitus revelata ſunt, per legitimam, rationique conſentaneam argumentationem utiles concluſiones deducat: nihil ſane eſt, in quo humana mens dignius meliusque occupetur. *Quid hac voluptate*, inquit S. Hieronymus epiſt. 155, *quid hac voluptate jucundius? qui cibi, quæ mella ſunt dulciora, quam DEI ſcire prudentiam, & in abdita ejus intrare, & ſenſum creatoris inſpicere, & ſermones Domini DEI tui, qui ab hujus mundi ſapientibus deridetur, plenos docere ſapientia ſpirituali?* Profecto ſi homine dignus labor cenſetur minimarum rerum, herbarum, ac animalium rationem indagare, quanto magis illum decet DEI naturam, & perfectiones, Angelorum

rum indolem, Gratiæ dotes, aliaque cœleſtium myſteriorum abdita ſcrutari, & ſpirituali hac diſciplina animum excolere ?

Equidem in Theologiam, præſertim illam, quæ 17
ſecundum regulas, & methodum dialecticæ tradi ſolet, vehementer invehuntur Novatores. Wicleffus Theologorum ſcholas nominat Cainitica caſtra : Lutherus lupanaria : Calvinus conventus idololatriæ : Janſenius argumenta Scholaſticorum vocat philoſophicas tricas, e claſſibus dialecticorum petitas. Verum his dicteriis non magis proſcinduntur Doctores Scholaſtici quam SS. Patres, quorum apologias pro chriſtianis adverſus gentiles, & diſputationes contra hæreticos quicunque legerit, facile deprehendet, accuratum Dialecticæ uſum maximo illis præſidio fuiſſe, omnesque ſibi perſuaſum habuiſſe, quod veriſſime pronunciavit S. Baſilius in cap. 2. Iſai. *Artis dialecticæ facultas murus eſt propugnandis dogmatibus apprime opportunus, non ſinens ea in diverſam partem facile abripi, aut in totum intercipi ab his, qui ea vellent evertere.* Nempe talis ſemper hæreticorum antiquorum fuit, & modernorum Novatorum, præſertim Janſeniſtarum, eſt indoles, ut, cum ſolidis argumentis ſint deſtituti, ad ſtrophas, & ſophismata ſe convertant, quibus detegendis, & diluendis cum ſanam Dialecticam maxime utilem eſſe, probe ſciant, tanto in illam odio debacchantur. Sed hoc ipſo furore eandem ſummopere commendant.

Hæreticos in traducenda Theologia ſcholaſtica 18
ſtrenue æmulantur ſcioli quidam, ac nimis delicati Critici. Diſplicet illis minus cultus latini ſermonis nitor, vocibus barbaris aures offendi, & inutilibus quæſtionibus cerebrum vexari clamitant, ac pleno ore crepant illam Theologiam, quæ absque omni ferme ratiocinio, ac diſputatione fidei dogmata ex antiquitatis ruderibus eruere conatur.

Fateor,

Fateor, scholasticos quosdam aut nimia ingenii curiositate, aut immoderato disceptandi abusu longius progressos, lites parum proficuas movisse, & vocibus obscuris, ac in Latio inauditis res, de quibus altercabantur, involvisse. At hoc non Theologiæ Scholasticæ, sed Scholasticorum vitium erat. Interim quælibet ars peculiares suos terminos laudabiliter adhibet, si longo usu jam recepti ad mentem differentis breviter, dilucideque exprimendam serviunt. Certe Theologo magis laborandum de rebus, quam de sermone, neque fidei mysteria verborum lenociniis, velut superinductis coloribus indigent, sed *sicut nimia styli barbaries veritatem obscurat, ita vivacitatem sententiarum sermo ex industria cultus, & dictorum splendor elaboratus enervat*, ut advertit Petrus Damianus opusc. 6 c. 38.

19 Cæterum quæstiones quædam sublimes, ac difficiles adeo non sunt frivolæ, aut inutiles, ut sine illis nec hæreticos confutare, nec sacra, arcanaque fidei dogmata satis intelligere valeas: multo minus illa populo proponere, ac declarare. Nam ut S. Augustinus lib. 14 de Trinit. cap. 1. ait: *aliud est scire tantummodo, quod homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam - - aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur, & contra impios defendatur.* Ego itaque in discutiendis quæstionibus Theologicis auctoritatem cum ratione, & discursu ita conjungere conabor, ut nec antiqua Conciliorum, Patrum, ac historiæ monumenta negligere, nec subtiliores quæstiones, ubi necessitas, aut utilitas eas exigit, subterfugere videar; quæ methodus cum inter Dogmaticam, & Scholasticam sit media, Dogmatico-Scholastica nominari solet. Adsit cœptis DEUS, de quo dum initium tractandi facio, in quatuor partes hunc tractatum divido: prima aget de existentia, & essentia DEI unius; altera de scientia: tertia de volun-

voluntate DEI : in quarta ineffabile Trinitatis myſterium, quantum humano intellectui licet, explicare ſtudebo.

PARS I.
DE DEO UNO.

Audita voce DEUS animo concipere ſolemus Ens ſupremum, primum, ac neceſſarium, quo nihil melius, aut perfectius poteſt excogitari. Hanc notionem non mere commentitiam, & confictam eſſe, non ſolum docet fides, ſed etiam univerſalis omnium gentium perſuaſio, quæ cum ſit ab ipſa natura indita, & circa primum honeſtatis fundamentum verſetur, fallere nequit; alias natura peſſime eſſet conſtituta, & pari jure in dubium vocari poſſent prima principia : idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe. Bonum eſt faciendum &c. Hinc ipſi Gentiles, qui plures Deos coluerunt, videntes, non omnibus conceptum Entis ſummi, ac perfectiſſimi competere poſſe, unum Deum Deorum, ac ſupremum agnoverunt, ut teſtantur, & probant S. Juſtinus Martyr lib. de Monarch. DEI, & in cohortat. ad gentes. Clemens Alexandr. in protrept. Athenagoras, Lactantius, aliique, qui contra Paganos ſcripſere. 20

DISPUTATIO I.
De exiſtentia DEI unius.

Quamvis circa res alias primo ſoleat quæri, quid ſint? & tunc primum, an ſint, ſive exiſtant? tamen vice verſa Theologi prius de exiſtentia DEI, quam de ejus quidditate inquirunt. Quippe aliorum eſſentia logice prior eſt ad exiſtentiam, DEI vero eſſentia ipſiſſimam exiſtentiam, formaliter imbibit, & naturali 21

lumine

lumine citius discimus DEUM existere, quam cognoscamus, in quonam ejus essentia constituenda sit, de quo inter doctos etiamnum disceptatur. Porro hæc disputatio eum in finem suscipitur, ut id, quod certa fide tanquam primum Religionis principium tenemus, etiam ratione naturali ostendatur, non, ac si de existentia DEI prudenter possit dubitari, sed ut sciamus, quomodo illa nobis innotescat, & qua ratione convinci debeant Athei, sive occulti, sive manifesti, qui apertissimam hanc veritatem in dubium vocare, vel omnino perfricte negare non verentur.

22 Ex antiquis inter atheos numerantur Diagoras, Melius, Theodorus Cyreniacus, Protagoras, Epicurus, & alii quidam Philosophi, quos ex recentioribus secuti sunt Machiavellus, Spinosa, Vaninus anno 1619, Tolosæ ob hanc impietatem flammis traditus. Eandem hoc primum sæculo disseminarunt, & ideo post solemnem ejus ejurationem anno 1719 perpetuo carceri Romæ mancipati sunt Sylvester Legni & Julius ejus filius. Imo in India integri quidam populi, nominatim Brasili, DEUM ignorasse dicuntur. Nihilominus multi existimant, nullum unquam verum atheum extitisse, qui non solum ore, sed etiam mente DEUM negaverit. Certe etiam barbari in subitis casibus manus ad cœlum attollere, DEUM illatarum ipsis injuriarum ultorem invocare, ac propriorum scelerum vindicem timere consueverunt.

23 Quod si revera aliqui extiterint, qui DEUM sub prædicato saltem magis explicito ignorarunt, parum refert, tum quia respective fuerunt paucissimi, tum quia summe scelerati lumen naturæ vitiis suis vix non extinxerant, vel certe a cognoscendo DEO studiose animum averterant, ut liberius concupiscentiis suis servirent, de quibus proin intelligi potest illud Psalm. 13. v. 1: *Dixit insipiens in corde suo: non est DEUS*; id est, ut exponit Tournelius, impius

pius auſus eſt quidem ex pravo affectu cogitare, non eſſe DEUM, attamen non eſt auſus hoc ex animi ſententia affirmare. Equidem etiam aliqui philoſophi apud S. Thomam lib. I. contra gentes c. 12. dixerunt, non poſſe per rationem, ſed per ſolam revelationem DEI exiſtentiam demonſtrari. Idem cum quibusdam Nominalibus docuit Petrus de Alliaco quæſt. 3. art. 2. Sed hanc opinionem S. Thomas vocat manifeſte falſam, Suarius errori proximam, alii cenſuris etiam acrioribus perſtringunt.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo exiſtentia DEI nobis ſit nota?

Propoſitio per ſe nota juxta Ariſtotelem l. I. poſter. 24
c. 3. eſt illa, cujus termini rite penetrati intellectum rapiunt ad aſſenſum, quod S. Thomas part. 1. q. 2. art. 1. in Corp. docet, in affirmativis tunc præcipue fieri, quando prædicatum includitur in ratione ſubjecti, ut ſit in hac propoſitione: homo eſt animal & in quacunque alia, in qua de ſubjecto prædicatur genus, vel differentia, vel tota definitio, aut ſola poſſibilitas. Econtra in ſenſu ſtricto per ſe notæ non ſunt propoſitiones immediatæ quidem, ſed inevidentes, quales dari oſtenditur in Tractatu dd Fide, quia intellectum non rapiunt ad aſſenſum. 2. Propoſitiones, quæ innoteſcunt per experientiam ſenſuum e. g. hic paries eſt albus. Nam licet ſine alia probatione, & diſcurſu determinent ad aſſenſum, hæc determinatio non oritur ex ipſa terminorum ſignificatione penetrata. 3. Propoſitiones, in quibus de ſubjecto prædicatur aliquid tantum connexum aut metaphyſica proprietas; quia ejusmodi prædicata formaliter, & ratione ſui non ſunt de eſſentia metaphyſica ſubjecti.

Juxta

25 Juxta eundem Doctorem Angelicum dupliciter aliqua propositio potest dici per se nota. 1. præcise quoad se, vel, ut alii loquuntur, secundum naturam; quando videlicet prædicatum sub ratione sua formali involvitur quidem in ratione subjecti, sed tamen a nobis non clare cognoscitur illi inesse, quia rationem subjecti non sufficienter penetramus. Unde propositio per se nota non dicit necessarium respectum ad intellectum actu cognoscentem, neque determinate aliquid actu notum significat, nisi etiam sit nota quoad nos. Nam 2. tunc aliqua propositio dicitur nota per se etiam quoad nos, quando prædicatum non tantum reipsa includitur in ratione subjecti, sed insuper natura subjecti tam clare nobis innotescit, ut apprehensis solis terminis absque alia probatione rapiamur ad assensum, sive ad judicandum, quod prædicatum sit de essentia subjecti.

26 Supposita hac terminorum explicatione, quam post D. Thomam alii communiter amplectuntur, Thomistæ cum nostris contra Scotistas docent, hanc propositionem: DEUS existit. esse per se notam quoad se; quippe prædicatum: *existit*, reipsa includitur in ratione subjecti, eo quod actualis existentia sit de essentia DEI, & DEus formaliter suum existere includat. Docent 2. contra Ægidium, Tournelium, & alios quosdam Recentiores, eandem propositionem non esse per se notam quoad nos, quia non tantum infideles, & indocti, sed etiam fideles, & docti plerique testantur, se non statim ex sola terminorum apprehensione rapi ad assensum huic propositioni præstandum, sed indigere aliis motivis, ex quibus existentia DEI per modum conclusionis inferatur, & demonstretur. Ulteriorem rationem dat S. Thomas loc. cit. his verbis: *quia nos non scimus de DEO, quid est*, in quantum scilicet naturam divinam non tam clare cognoscimus, ut ex sola apprehensione terminorum statim determinemur

nemur ad judicandum, quod exiſtentia actualis, & exercita ſit de eſſentia DEI, alias hanc propoſitionem: DEUS exiſtit, tam parum poſſemus negare, aut in dubium vocare, quam quod bis duo ſint quatuor.

Dixi; hanc propoſitionem: DEUS exiſtit. non 27
eſſe ſimpliciter, & per ſe notam quoad nos. Nam 1, quamvis per ſe, & quoad nos notum ſit, DEUM eſſe ſummum Bonum, colendum, amandum &c. quia tamen iſtæ propoſitiones virtualiter ſunt conditionatæ, ſi nempe reipſa exiſtat DEUS, nondum ſequitur, quod etiam hæc propoſitio abſoluta: DEUS exiſtit, per ſe nobis nota ſit. 2. Iſtæ, ſimilesque propoſitiones: datur beatitudo objectiva hominis, poſſibilitas omnium poſſibilium, aliqua veritas &c. quoad nos tantum notæ ſunt in communi, quin etiam notum ſit, quod hæc beatitudo, poſſibilitas, veritas &c. revera ſit DEUS, qui licet a parte rei ſit prima Veritas ſecundum ſe, & in eſſendo, non tamen ſe ita nobis vult communicare, ut ſit etiam prima veritas quoad nos, & in cognoſcendo; ſed teſte experientia primum cognoſcimus nos ipſos, aliasque creaturas, & ex harum dein cognitione exiſtentiam DEI inferimus. Aliud eſt, quod exiſtentia DEI per ſe nota ſit Angelis, ac Beatis, qui cum eſſentiam divinam videant intuitive, utique absque alio diſcurſu manifeſte cognoſcunt, exiſtentiam in eſſentia DEI formaliter includi. Quodſi DEUS etiam homini viatori per ſpeciale lumen ſuaſivum hanc veritatem immediate, & evidenter manifeſtaret, aut quis per ſæpius repetitam demonſtrationem evidentes ſpecies ſuaſivas ſibi comparaſſet, hoc eſſet per accidens, & aſſenſus non proveniret ex ſola intelligentia terminorum.

Quando itaque SS. Patres, quorum textus 28
Quæſt. I. de exiſtentia DEI recitat Tournelius, aſſerunt, cognitionem de exiſtentia DEI nobis

naturaliter ineſſe, per hoc non volunt indicare, quod ad affirmandam DEI exiſtentiam ex ſola terminorum apprehenſione rapiamur, ſicut rapimur ad affirmanda prima principia; ſed hoc modo loquendi utuntur 1, quia ab ipſa natura inſtigamur ad cognitionem de exiſtentia DEI nobis comparandam, eamque ex rationibus naturalibus facile, & obvio diſcurſu acquirimus. 2. Quia ab ipſa ſtatim infantia aſſueſcimus invocare DEUM, ejusque notitiam a teneris annis, velut cum lacte imbibimus. 3. Quia, ut reſpondet D. Thomas, DEUM exiſtere naturaliter cognoſcimus ſub ratione aliqua confuſa, & prædicato reipſa cum DEO convertibili, nempe ſub prædicato beatitudinis noſtræ, quam omnes naturaliter cognoſcunt, & appetunt, quin tamen ex ipſis terminis conſtet, hoc prædicatum eſſe cum DEO convertibile.

29 Hinc cum Vasq. Valent. Lug. Viva &c. facile admitto, a nullo homine rationis compote exiſtentiam DEI, ſaltem ad longius tempus, invincibiliter ignoeari poſſe, ita, ut ne quidem confuſe cognoſcatur. Etenim fieri nequit, ut homo rationis compos per longius vitæ tempus non agnoſcat, aliqua eſſe licita, honeſta, & præcepta, alia vero illicita, inhoneſta, & prohibita, & ut non ſentiat aliquando remorſum conſcientiæ, poſtquam male egit, aut certe aliquando appetat ſuam beatitudinem, ſine quorum cognitione naturæ rationali male proviſum eſſet de mediis, ad ſuum finem neceſſariis: ergo fieri nequit ut homo rationis compos per longius tempus, & citra culpam ſuam ignoret primam regulam honeſtatis, ſupremum malorum vindicem, finem ultimum, quæ omnia ſunt prædicata cum DEO convertibilia. Imo tot tantaque argumenta divinitatis homini tum intra, tum extra ipſum ſeſe inſinuant, ut etiam clariorem, magisque expreſſam notitiam DEI tanquam conditoris, & gubernatoris univerſi

nece-

necessario videantur ingerere, vel saltem dubium aliquod movere, ad ejusmodi notitiam comparandam impellens, quam proin si quis comparare neglexerit, ignorantia jam non amplius erit invincibilis, & inculpabilis.

Favent huic opinioni etiam Scriptura, & SS. Pa- 30
tres. Sic Job. 36. v. 25. de DEO dicitur: *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.* S. Cyprianus lib. de idolor. vanit. ait: *Hæc est summa delicti, nolle cognoscere, quem ignorare non possis.* Tertullianus lib. de spectac. cap. 2. *Nemo negat, quia nemo ignorat, DEUM esse universitatis conditorem.* S. Augustinus lib. 10. Conf. c. 6. *Cælum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.* Item tract. 106. in Joann. *Hæc enim est vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, ac penitus possit abscondi.* addit quidem: *exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum DEUM mundi hujus fatetur auctorem.* Verum ex his verbis solum sequitur, quod ii, in quibus natura nimium depravata est, DEUM possint diutius ignorare culpabiliter, & sub prædicato clariore auctoris mundi.

Dices 1. Gentiles & barbari possunt inculpabi- 31
liter ignorare mysterium Incarnationis, DEUM ut remuneratorem supernaturalem, imo etiam aliqua, quæ sunt juris naturalis: ergo etiam possunt inculpabiliter ignorare DEUM. Confirm. modo cognoscamus aliqua esse difformia, vel conformia rectæ rationi, & præcepta, vel prohibita a legislatore creato, vel tota republica humana, sufficienter cognoscimus, illa esse licita, vel illicita. Resp. trans. ant. neg. conf. Notitia Incarnationis, aut Remuneratoris supernaturalis, uti scientia omnium eorum, ad quæ jus naturæ obligat, non sunt per se ita necessariæ, sicut notitia, saltem confusa, DEI. Nam

modo quis cognofcat magis univerfalia juris principia, e. g. DEUM effe colendum, malum fugiendum, nemini faciendam injuriam &c. jam poteft ultimum fuum finem confequi. Si enim faciat, quod eft in fe, DEUS ipfi etiam fuggeret alia, neceffitate medii neceffaria. Ad conf. nego ant. non enim tantum agnofcimus, quædam effe illicita quomodocunque, fed ita, ut fint punibilia in quibuscunque demum circumftantiis, etiamfi ab ipfis regibus prorfus occulte, ac nemine mortalium confcio committantur, adeoque agnofcimus legislatorem omni terreno majorem.

32 Dices 2. Poteft quis invincibiliter diu ignorare DEUM fub prædicatis formalibus, & explicitis Entis a fe, fibi & aliis plene fufficientis ad exiftendum &c. Ergo etiam fub prædicatis fummi legislatoris, finis ultimi &c. Conf. Culpabilis ignorantia de exiftentia DEI fupponit notitiam de exiftentia DEI, ergo vel omnino non poteft dari, vel ea erit inculpabilis. Refp. conc. ant. neg. conf. Prædicata formalia, & explicita DEI neque funt per fe nota quoad nos, nec tam facile a rudibus, & barbaris per difcurfum eruuntur, ficut prædicata implicita fummi legislatoris, finis ultimi &c. Quæ ab ipfa natura creaturæ rationali funt ingenita, & paffim ita fe infinuant, ut intellectum etiam rudiffimum ad affenfum, vel faltem dubium excitent. Ad conf. dift. ant. Culpabilis ignorantia de exiftentia DEI fupponit notitiam ejusdem exiftentiæ certam, & fub prædicato claro, neg. ant. faltem probabilem, aut dubiam, & fub prædicato confufo, conc. ant. & neg. conf. Modo barbarus cognitione faltem probabili aut dubia cognofcat DEUM fub prædicato fummi legislatoris, ejus ignorantia jam non amplius eft inculpabilis.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An existentia DEI possit demonstrari a priori, aut quasi a priori?

Quoniam existentia DEI non est per se nota quoad nos immediate ex terminis, inquirendum ulterius est, an, & quomodo nobis evidenter nota reddatur mediante aliquo discursu demonstrativo? Demonstratio autem, ut ex Logica constat, alia est a priori, quando videlicet effectus demonstratur per causam, vel prædicatum posterius per aliud prædicatum formaliter prius, uti proprietas ex essentia, risibilitas ex rationalitate. Si effectus demonstretur per causam, dicitur demonstratio a priori physico; si proprietas per essentiam, dicitur demonstratio a priori logico, vel metaphysico. Alia demonstratio est a posteriori, quando demonstratur causa ex effectu, vel prædicatum prius per aliud prædicatum formaliter posterius. Alia denique demonstratio est a concomitanti, vel ut plerique loquuntur, quasi a priori, quando aliquid demonstratur per prædicatum cum ipso convertibile. 33

Quod existentia DEI demonstrari nequeat a priori physico, per se manifestum est, cum utique DEUS non habeat, nec habere possit causam sui physicam. Pariter contra Scotum, Gabriel, & quosdam alios, satis certum videtur, quod existentia DEI nequeat demonstrari a priori logico, vel metaphysico, quia essentia DEI ne quidem formaliter, & logice est prior existentia ejusdem, sed quæcunque statuatur definitio DEI, eam actualis existentia formaliter ingreditur. Superest, ut aliquantum discutiamus, an existentia DEI demonstrari possit quasi a priori. Conati sunt hoc præstare Ant. Perez, Esparza, Rhodes, Viva, & alii quidam ingeniosi Recentiores. Verum argumenta ab 34

ab ipsis allata plerisque non videntur talia, ut gradum veræ demonstrationis assequantur, & ad convincendos atheos sufficiant. Hinc omnes SS. Patres, excepto solo forte Anselmo, ad demonstrandam gentilibus existentiamDEI tantum adhibuerunt rationes a posteriori, sive ab effectibus petitas.

35 Profecto cum demonstratio DEI sit res summi momenti,& principale omnis religionis dogma concernat, nescio, an non potius offendiculo, quam ædificationi sint, qui argumenta ingeniosiora, quam solidiora afferunt : neque atheus unquam demonstrationi quasi a priori acquiescet, donec ipsi clare ostendatur, actu, absolute, exercite, & a parte rei dari aliquod prædicatum, quod re ipsa est DEUS. Hinc quando atheo attuleris hos terminos : *Ens optimum, Ens perfectissimum, Ens necessario existens, Ens, quo melius cogitari non potest, carentia omnis imperfectionis &c.* perfricte semper negabit suppositum, objectum istorum terminorum dari exercite, & a parte rei, sed dicet illud solum existere signate, & in intellectu fingente. Neque hoc adeo ineptum videtur, cum ipse Scotus in 1. dist. 2. q. 2. cum plurimis aliis doceat, propositionem affirmativam absolutam, quæ pro subjecto habet terminum complexum, non esse per se notam, aut alio modo evidentem, nisi per se notum, aut evidens sit, terminos simplices, ex quibus complexus constat, sibi mutuo convenire ; quamdiu enim hoc non est evidens, semper dubium manet, an propositio non sit de subjecto non supponente, adeoque falsa.

36 Imo cum atheus putet, ab experientia sensuum sibi constare, quod omne ens singulare, aut actu existens, essentialiter sit imperfectum, contingens, & dependens ab alio, inde infert, ens carens omni imperfectione, ens optimum esse chimæram, & quamvis in hoc fallatur, nec illud positive possit osten-

oſtendere, tamen etiam falſitatis, quaſi a priori, convinci nequit. Ubi nota, quod ſingula entia diſtributive ſumpta non ſint imperfecta ideo, quia non ſunt optima, aut perfectiſſima, ſed quia quodlibet caret perfectionibus aliorum entium poſſibilium. Cum enim eſſentiæ rerum ſint immutabiles, implicat, ut ens actu exiſtens careat perfectione ſibi poſſibili. Si dicas, tali modo ſaltem collectionem omnium entium fore perfectiſſimam; ideo non ſequitur, dari DEUM, per quem juxta omnes intelligitur Ens ſingulare, & ſimplex, non compoſitum ex partibus imperfectis. Quin atheus negabit ſuppoſitum, quod omnia entia poſſibilia poſſint collective ſumi, utpote ſyncategorematice infinita.

Ex his colligitur, non eſſe firmas has, & ſimi- 37
les argumentationes. 1. Ens, quo melius cogitari non poteſt, evidenter exiſtit; alias poſſet aliquod melius cogitari; ſed DEUS eſt ex conceptu ſuo Ens, quo melius cogitari non poteſt: Ergo. 2. Ens carens omni defectu evidenter eſt bonum, adeoque poſſibile; ſed DEUS eſt Ens carens omni defectu: Ergo. 3. Ens neceſſario exiſtens, neceſſario exiſtit; ſed DEUS eſt Ens neceſſario exiſtens: Ergo. Quippe in his ſyllogismis atheus negabit ſuppoſitum majoris, dicetque, Ens, quo melius cogitari non poteſt, Ens carens omni defectu, ſolum poſſe dari ſignate in intellectu fingente, non autem exercite, & a parte rei; alias ſimili modo poſſet demonſtrari creatura perfectiſſima, ipſumque myſterium Trinitatis. Poſſet enim dici: creatura, qua melior cogitari non poteſt, evidenter exiſtit; ſed creatura perfectiſſima eſt talis, qua melior cogitari non poteſt. Item tres perſonæ carentes omni defectu evidenter ſunt bonæ; atqui tres perſonæ divinæ, eo ipſo, quod ſint divinæ, carent omni defectu: ergo.

 Eodem

38 Eodem ferme modo respondebit atheus ad ista argumenta. 1. Carentia omnis imperfectionis evidenter non est impossibilis : sed DEUS est carentia omnis imperfectionis. 2. Nulla chimæra excludit omnem imperfectionem : ergo ens excludens omnem imperfectionem non est chimæra. 3. Omne impossibile est carentia alicujus perfectionis : ergo non esse carentiam alicujus perfectionis est possibile. Nam in primo argumento major reipsa iterum est affirmativa, & subjectum implicite terminus complexus, cum DEUS non sit carentia mere negativa omnis imperfectionis, sed necessario Ens aliquod reale. In 2do negatur suppositum, quod ens excludens omnem imperfectionem sit aliquid reale, & non mere confictum ab intellectu. Ad 3tium, potest dist. ant. omne impossibile est carentia alicujus perfectionis exercite, & a parte rei, conc. ant. signate, & in intellectu, neg. ant. & dist. conf. ergo non esse carentiam alicujus perfectionis est possibile, si talis non carentia possit dari a parte rei, conc. conf. si tantum detur in intellectu singente, neg. conf.

39 Neque dicas : si ejusmodi termini : Ens carens omni imperfectione, Ens perfectissimum &c. juxta atheum involvant contradictionem, separentur ab invicem, sic quælibet pars seorsim accepta erit possibilis. Si enim carentia omnis imperfectionis signate, & in suo conceptu formali nullam contradictionem involvit, etiam poterit dari a parte rei. Resp. carentiam omnis imperfectionis juxta atheum hic neque realiter, neque formaliter ab ente separari posse, cum necessario sermo sit de carentia omnis imperfectionis positiva, de cujus ratione formali est, ut sit Ens, sive aliquid. Quod si in intellectu posset separari, nondum sequeretur, quod a parte rei esset possibilis, quia conceptus tantum esset inadæquatus. Sic licet hircocervus in intellectu non involvat contradictionem, si tantum consideretur quoad

ad unum prædicatum e. g. hirci, a parte rei tamen eſt impoſſibilis, quia adhuc deberet habere aliud prædicatum incompoſſibile, nempe cervi. Ex quibus ulterius patet neutiquam per ſe notum, aut evidens eſſe, quod una perfectio a parte rei non excludat alteram, quamvis in ſuo conceptu non repræſentetur ut repugnans alteri perfectioni.

Paulo aliter DEUM quaſi a priori demonſtrare 40
conatur Eſparza. Quædam propoſitiones, ait, ſunt ſemper, & neceſſario veræ: ergo evidenter datur veritas aliqua objectiva ſimpliciter neceſſaria, æterna, & invariabilis; ſed quod eſt ſimpliciter neceſſarium, æternum, & invariabile, eſt DEUS: ergo. Conf. Evidens eſt, ſemper datam fuiſſe aliquam veritatem; ſi enim veritas aliquando cœpiſſet eſſe, ab æterno verum fuiſſet, quod eſſet futura; atqui id, quod ſemper datum fuit, eſt DEUS: ergo. Reſp. diſt. ant. quædam propoſitiones determinatæ, abſolutæ, & affirmativæ ſunt ſemper, & neceſſario veræ, neg. ant. quædam propoſitiones disjunctivæ, conditionatæ, & negativæ, conc. ant. & diſt. conſ. ergo datur veritas aliqua objectiva, neceſſaria tantum conditionate, negative, & improprie exiſtens, conc. conſ. exiſtens abſolute, poſitive, & proprie, neg. conſ. Juxta atheum nulla propoſitio, quæ determinate, & abſolute affirmat objectum ſuum exiſtere, eſt neceſſario, & a priori evidenter vera, ad propoſitiones autem disjunctivas, negativas, & conditionatas non requiritur, ut objectum poſitive exiſtat. Ad conf. juxta S. Thomam ſolum evidens eſt, quod ſemper data fuerit veritas materialis, quæ tam in ente, quam non ente poteſt conſiſtere, cum circa utrumque verſari poſſit cognitio, quæ vocari ſolet veritas formalis.

Verum qui ejusmodi argumentis delectatur, adeat Hiſpanos. Ego unicum addo alicujus Recentioris Germani, qui ſic arguit: Evidens eſt, aliquid 41

esse possibile juxta illud: idem non potest simul esse, & non esse: ergo evidenter datur DEUS. Conf. prob. si aliquid est possibile, tunc vel potest existere a se, vel ab alio? si a se, est DEUS; si ab alio, necessario deveniendum est ad aliquod, quod est a se. Conf. datur inclinatio naturalis amandi, & colendi Ens optimum, & carens omni defectu; atqui evidens est, quod non detur inclinatio naturalis amandi, & colendi chimæram: ergo. Resp. hoc argumentum non esse quasi a priori, sed potius a posteriori, quia non fit per prædicatum cum DEO identificatum, & convertibile, sed per effectum, nempe per ens ab alio, saltem ut possibile. Ad conf. eadem est Responsio. Nam etiam hæc argumentatio petitur ab experientia, quam habemus dependenter a creaturis. Sic quilibet habet inclinationem naturalem amandi, & colendi parentes, nec tamen illos cognoscit, nisi a posteriori, per fidem humanam.

QUÆSTIO III.

An, & quomodo existentia DEI possit demonstrari a posteriori?

42 Existentiam DEI demonstrari posse a posteriori est communissima theologorum, ac philosophorum sententia. Ex pluribus demonstrationibus, quæ in philosophia explanari solent, unicam seligo, quam ordinatissima mundi machina subministrat, & ipsa Scriptura, & Patres passim inculcant. Sic Job. 12. v. 7. & seqq. dicitur: *Interroga jumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris: Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Sap. 13. v. 5: *a magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* S. Basilius lib. II. in Hexam. mundum appellat *librum apertum*, unde omnes etiam idiotæ, & barbari possint divinorum mysteriorum notitiam haurire. S. Bernardus serm. 30 in Cant. creaturas vocat

vocat *radios solis æterni*, demonſtrantes eam, a qua ſint, Divinitatem. S. Chryſoſt. Homil. 1. ad popul. Antioch. clamorem creaturarum, quo conditorem ſuum prædicant, dicit eſſe *omni tuba clariorem*, quam vel Scytha, vel Indus non poſſit non intelligere.

Dicendum. Exiſtentia DEI demonſtratur ex or- 43
dinatiſſima mundi hujus aſpectabilis ſtructura, & ſymmetria. Quippe hæc mundi machina ex tanta rerum varietate, tam miro ordine conſtructa eſt, ut evidenter non potuerit tantum caſu, & fortuito ex atomis coaleſcere: ergo præter res iſtas corporeas evidenter exiſtit aliquis artifex ſapientiſſimus, qui pulcherrimam hanc mundi fabricam ſummo conſilio, & ſapientia conſtruxit, ſummaque providentia gubernat; atqui ſupremum hunc artificem, & rerum omnium conditorem DEUM nominamus: ergo. Conſequentia primi enthymematis patet: minorem quoque ſubſumptam facile admittet atheus, ſuppoſita evidentia primi antecedentis; nam DEUM præciſe negat, quia omnia metitur ſolis ſenſibus, ideoque nullum ens a rebus corporeis, & ſenſibilibus diſtinctum vult admittere. Si igitur ipſi demonſtratur, quod præter hoc univerſum aſpectabile detur ſupremus quidam illius artifex, mente ac intelligendi vi præditus, qui in ſe uno complectatur, quidquid pulchritudinis, excellentiæ, & magnitudinis in res alias a ſe conditas diſpertiit (cum dare alteri nemo poſſit, quod non habet) atheo ſatis demonſtratur DEUS.

Demonſtratur itaque ulterius primum antece- 44
dens. Et ſane ſi quis vel obiter contemplari velit mundi hujus opera, fontium ac metallorum ſcaturigines, nemorum delicias, plantarum, arborumque ſegetes, florum pulchritudinem, ac flagrantiam, miram viventium etiam minimorum ſtructuram, ampliſſima cælorum ſpatia, ordinatiſſimum ſtellarum motum, & æquabilem planetarum per tot jam ſæcula ſine errore errantium curſum, ad oculum ipſi pate-

patebit, quod in hoc universo detur longe majus artificium, perfectior symmetria, & longe elegantior partium proportio, quam ut cum eo in comparationem venire possit, quidquid ingenium, aut ars humana hactenus elaborare potuit. Quod si solus homo spectetur, quem veteres microcosmum appellare consueverunt, invictum divinitatis praebet argumentum. Ut enim nihil dicam de anima tot facultatibus ad cognoscendum, intelligendum, & bene vivendum ornata, corpus humanum tam mira ossium structura, tam artificiosa venarum, arteriarum, musculorum, ac nervorum textura, tanta humorum inter se pugnantium temperie, caeterarumque partium dispositione, ac elegantia constructum est, ut, teste ipso Galeno homine ethnico, nonnisi a DEO auctore prodire potuerit.

45 Enim vero quis nisi omni ratione destitutus dicet, artefacta humana e. g. summam D. Thomae, casu sine ulla arte, aut ingenio coaluisse ex litteris? Quis credat, templum Salomonis, vel aureum Neronis palatium absque ullius artificis intellectu fortuito lapidum concursu fuisse exstructum? Quis sanae mentis sibi persuadeat ex coloribus temere permixtis, & in tabulam projectis posse ordinatissimam imaginem prodire? Quod si talia artificem suum postulant, multo magis evidens est, hoc totum universum tanto artificio elaboratum, non tantum mere tumultuarie sine arte, aut consilio artificis existere potuisse. Senserunt vim hujus argumenti, & ex machina mundi existentiam DEI agnoverunt philosophi gentiles Plato, Epictetus, Aristoteles, qui 1 metaph. c. 4 Anaxagoram ideo vocavit sobrium, reliquos vero antiquiores quasi ebrios, & insanos, quod is a mente quadam sapientissima hunc mundum fuisse conditum, docuerit. *Quis*, inquit Cicero lib. 2. de natur. Deor. *hunc hominem dixerit, qui tam certos cæli motus, tam raros astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa, & apta viderit,*

rit; eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus!

Objectiones.

Obj. 1. Potest cum Hermogene, Epicuro &c. supponi materia improducta, & æterna: ergo totum universum absque ope artificis potuit coalescere per combinationem mere fortuitam. Conf. Sunt possibiles infinitæ fortuitæ combinationes atomorum; atqui inter istas etiam est combinatio moderna universi: ergo. Resp. neg. ant. & conf. Inprimis per se stultum est, tot admittere entia necessaria, & æterna, ne unicum admitti debeat, cumque evidenti constet experientia, quod neque homo, neque alia animata sibi ipsis sufficiant ad existendum, ineptissime id tribuitur entibus vilissimis, quæ si a se ipsis essent, hoc ipso essent perfectissima. Dein etsi materia fuisset improducta, & æterna, necdum sine ope artificis potuisset tam ordinate combinari, in suo ordine tam constanter conservari, & per tot sæcula semper eosdem effectus producere. Hinc ad conf. dist. maj. Sunt possibiles infinitæ combinationes fortuitæ tam ordinatæ, & artificiosæ, qualem habet hæc universi machina, cum tot inter se contrariis entibus constanter conservata, neg. maj. aliæ longe inferiores, conc. maj. & neg. min. etiam conseq. 46

Dices 1. Potest supponi, quod ipsæ atomi sint talis naturæ, ut constituant hoc universum: ergo necdum opus est artifice, sed sicut gravia, & levia ex natura moventur sursum, & deorsum, ita herbæ naturaliter crescunt, animalia generant, cælum gyratur &c. Conf. Quæcunque in hoc universo fiunt, vel sunt effectus liberi, vel necessarii; liberi possunt fieri ab hominibus, necessarii a natura: ergo. Resp. dist. ant. ita tamen, ut hanc ipsam naturam non habeant a se, sed a summo artifice, transf- 47

ant. aliter, neg. ant. & conſ. Elementorum virtutes, motus ſtellarum, formationes plantarum, & animantium ſuperant omnem artem, & intelligentiam hominum, ita, ut omnes ſapientes mundi per tot ſæcula nondum diſcere potuerint, quomodo formandum ſit unicum culicis corpuſculum, aut herbæ ſemen, quomodo igitur ex ſolis atomis inanimatis hæc fieri potuiſſent, niſi ſupremus quidam artifex hanc naturam ipſis indidiſſet. Ad conf. eadem eſt Reſponſio, aut cur non etiam litteræ, & lapides dicuntur eſſe talis naturæ, ut in unum librum, vel palatium coeant?

48 Dices 2. Quod detur mundus tam ordinatus, ſolum conſtat ab experientia ſenſuum: ergo non eſt evidens illum dari; nam ſenſus noſtri poſſunt falli, imo actu falluntur in S. Euchariſtia. Conf. Quod hic ordo ſit tam conſtans, ſolum ſcimus ex teſtimonio aliorum hominum, qui multis retro ſæculis vixerunt: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. rationem additam diſt. Senſus noſtri poſſunt falli ſupernaturaliter, conc. naturaliter, ſubdiſt. in quibusdam caſibus particularibus, conc. univerſaliter, & omni tempore, neg. Si omnes ſenſus conſtanter, & naturaliter falli poſſent, natura neceſſario ſe ipſam falleret, & nulla amplius daretur evidentia. Quod autem falli poſſint ſupernaturaliter, nihil obeſt, quia hoc ipſo debet admitti Ens quoddam ſupra omnem naturam conſtitutum, quod erit DEUS. Hinc licet iſta propoſitio: Exiſtit univerſum, ſit tantum phyſice evidens, tamen metaphyſice evidens eſt iſta: *evidentia phyſica hujus univerſi non poteſt univerſim, & conſtanter fallere, ſaltem naturaliter.* Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Quod ordo univerſi ſit conſtans, plerique poſſunt habere a propria experientia, & nemo niſi ſtultus teſtimonio tot hominum in re omnium ſenſibus ſubjecta fidem negabit.

Obj.

Obj. 2. Si mundus haberet DEUM auctorem, debuisset produci in statu optimo, & perfectissimo; ergo nullus in mundo posset dari defectus, quales sunt animalia venenata, nociva, insecta vilissima &c. Conf. Est indignum DEO, vilissimas creaturas producere, earumque curam gerere: ergo. Resp. neg. ant. & suppositum, quod status mundi materialiter, & absolute optimus sit possibilis. Sufficit itaque, mundum ita esse productum, ut nullum includat defectum positivum, & quam optime serviat ad finem ab artifice intentum, nempe suam gloriam. Porro animalia venenata, nociva &c. non sunt defectus positivi; quæ enim uni generi creaturarum nocent, prosunt alteri. Venena serviunt ad medicinam, minora majoribus cedunt in alimentum, & sæpe in minimis DEUS apparet esse maximus. De cæteris mundi malis S. Augustinus lib. 3. de Genes. ita loquitur: *Vel talia hominem pœnaliter lædunt, vel salubriter exercent, vel utiliter probant, vel ignorantem erudiunt.* Ad conf. neg. ant. Sicut DEUM non dedecet minima quæque cognoscere, sic nec illorum curam habere, præsertim quia per hoc a cura majorum non impeditur, & sic magis salvatur dependentia creaturarum a suo conditore. 49

Dices. Inter ipsos homines sæpe scelerati sunt felices, & probi infelices; sed hoc non deberet fieri, si DEUS universi curam gereret: ergo. Conf. Si in aliqua civitate impune dominarentur homines scelesti, nemo diceret, hanc civitatem a gubernatore juste, & provide regi: ergo. Resp. trans. maj. de felicitate, & infelicitate terrena, ac temporali, neg. min. quia DEUS habet fines prudentissimos ita cum hominibus agendi. 1. Ut manifestius appareat, non omnia morte terminari, sed aliam adhuc superesse vitam, in qua justos præmia, improbos pœnæ maneant. 2. Ut virtus magis illucescat, & inde DEI gloria, ac justorum corona au- 50

augeatur. 3. Ut probi leviores noxas in hac vita expient, improbi vero recipiant mercedem bonorum operum, quæ ſubinde etiam peſſimi faciunt. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Finis gubernatoris temporalis eſt, promovere felicitatem temporalem, nec ejus poteſtas ad alteram vitam ſe extendit, ſicut poteſtas DEI volentis hominem perducere ad felicitatem æternam, quæ per felicitatem temporalem ſæpe magis impediretur, quam promoveretur.

51 Obj. 3. Committuntur in mundo multa peccata; ſed hoc non poſſet fieri, ſi daretur DEUS; nam ſummum, & infinitum bonum excludit omne malum præſertim morale. Conf. Si daretur calor infinitus, in omnibus aliis ſubjectis excluderet omne frigus: ergo a pari. Reſp. conc. maj. neg. min. rationem additam diſt. Infinitum bonum excludit omne malum a ſe, & ad intra, conc. etiam ab aliis, ſubdiſt. in quantum omne malum morale debet prohibere, conc. quaſi illud abſolute deberet impedire, neg. Cum ex una parte DEUM exiſtere demonſtretur, ex altera aliunde ſatis conſtet, hominem eſſe liberum, manifeſte ſequitur, DEUM non debere omne peccatum impedire, idque ulterius ſuadetur 1, quia alias homo nec propter peccatum eſſet vituperabilis, nec propter exercitium virtutis laudabilis. 2. Præcepta DEI eſſent fruſtranea, & neceſſario ſervarentur, cum tamen DEUS liberum mereatur ſervitium. 3. Parum nobis innoteſceret Juſtitia vindicativa, Clementia, & Miſericordia DEI, adeoque multum decederet gloriæ Divinæ, gratiæ pretium vileſceret &c. ad conf. trans. ant. neg. conſ. Calor infinitus eſſet agens neceſſarium, & ideo ubique deberet ſe diffundere; DEUS autem eſt agens liberum, habet fines prudentiſſimos peccata permittendi, & ex illis maxima bona poteſt eruere.

52 Dices. Prudens gubernator non poteſt permittere aliquod malum, niſi inde poſſit eruere bonum majus

majus vel æquivalens; atqui DEUS e peccatis non poteſt eruere bonum majus, aut æquivalens; nam peccatum eſt omnium malorum maximum, & ſua malitia ſuperat omnes actus virtutis, quos creaturæ poſſunt elicere. Conf. Gubernator temporalis debet in ſuis ſubditis impedire omne peccatum, quantum poteſt: ergo a pari. Reſp. diſt. maj. Niſi inde eliciat bonum, quod eſt majus, vel æquivalens præciſe ſecundum ſe, n. maj. Reſpectu totius reipublicæ humanæ, & beneplaciti Divini, trans. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Reſpectu totius generis humani, præſertim juſtorum, melius eſt, ut libere poſſint ſervire DEO, & ipſis manifeſtetur Juſtitia, & Clementia Divina, quam ſi nulla peccata permitterentur. Præterea hæc manifeſtatio magis placet DEO, non quidem, ut procedit a voluntate humana, ſed prout oritur ex voluntate divina infinite perfecta. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Gubernator humanus, præterquam quod lege Divina obligetur ad omnia peccata, quæ poteſt, impedienda, ordinatur ad ipſam rempublicam ejusque bono indiget; econtra creaturæ ordinantur ad DEUM, qui nullo bono creato indiget, ſed ſibi ſolus pleniſſime ſufficit.

Obj. 4. Totius univerſi pulchritudo, ac perfectio eſt tantum finita: ergo non eſt evidens, quod non potuerit provenire ab ente aliquo creato v. g. ab Angelo quodam valde excellenti, conſequenter ex machina hujus univerſi necdum demonſtratur DEUS. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. Ita tamen, ut hoc ipſum ens non potuiſſet ſine DEO exiſtere, tranſ. conſ. aliter, neg. conſ. Evidens eſt, quod hoc univerſum non poſſit adſcribi illis entibus corporeis, quæ ſub ſenſus noſtros cadunt. Si vero atheus confugiat ad aliud quoddam ens incorporeum, jam fatetur, evidenter falſum eſſe, quod nullum exiſtat ens mere ſpirituale. Dein vel illa in- 53

telligentia esset a se, vel ab alio? Si primum, esset DEUS: si secundum, iterum admitti deberet DEUS, tanquam illius auctor. Unde merito SS. Patres, & Philosophi ex machina hujus universi ens quoddam summe sapiens, providum, potens, & a se ipso existens intulerunt. Neque prodest atheo, si confugiat ad processum in infinitum, dicendo, artificem mundi esse quidem productum, sed ab alio producto, & sic in infinitum.

54 Nam contra est, etiamsi permittatur processus in infinitum, tamen tot darentur entia producta, quot producentia: ergo evidenter non potest cuilibet producto respondere suum producens, nisi vel duo se mutuo producant, saltem mediate, quod evidenter implicat; vel unum producatur ab aliquo extra collectionem omnium productorum, quod proin necessario debet esse improductum, & a seipso existens. 2. Nullum ens productum habet ex se plenam sufficientiam ad existendum, neque virtutem producendi aliud ens, sed tantum conditionate, & ex supposito, quod prius sit productum ab alio; unde per additionem plurium & plurium productorum in infinitum, usque adeo sufficientia non fit plena, & absoluta, ut potius semper magis augeatur insufficientia, & conditio nunquam perfecte possit purificari. 3. Prædicatum, quod nec adæquate, nec inadæquate reperitur in partibus singulis, evidenter non datur in toto: atqui nullum ens productum in se adæquate, aut inadæquate habet absolutam sufficientiam ad existendum, cum omne ens productum, antequam producatur, nihil omnino sit, & per illud nihil aliud intelligatur, quam ens sibi insufficiens ad existendum.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An DEUS essentialiter sit unicus?

Sicut athei contra veram religionem, DEumque 55
peccant per defectum, omnem Divinitatis existentiam negando: ita polythei peccant per excessum, plures deos affirmando. Cœpit idololatria, seu polytheismus juxta Lactant. lib. 2. Quæst. c. 14. post diluvium ex filiis Cham, qui postea dicti Chananæi. Primo quidem sine externis idolis, aut simulacris humana arte fabricatis, falsos deos coluerunt. Postea teste S. Hieron. in Ose. c. 2. Ninus Assyriorum rex Belo patri suo imaginem fieri curavit, eamque subditis adorandam proposuit. Hinc licet in Scriptura non fiat mentio idolorum ante Labanum, cujus idola Rachel Genes. 31. v. 19. abstulisse narratur, non tamen desunt, qui a Thare Abrahami patre simulacrorum originem repetant, tum quia Nino erat contemporaneus, tum quia Jos. 24. v. 2. diis alienis serviisse legitur.

Successu temporis simulacrorum religio ubique 56
propagata est, primo in Ægyptum, subinde in Græciam, aliasque regiones, tandem Romam, quæ sicut pene omnibus dominabatur gentibus, ita omnium gentium serviebat erroribus, & magnam arbitrabatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Tanta autem apud Gentiles fuit deorum multitudo, ut Hesiodus ultra 3000 numeret. De Hebræis quoque, quam proni ad idololatriam fuerint, satis constat ex S. Scriptura. Infamis præsertim fuit ille actus, quo in deserto vitulum ad morem Ægyptiorum adorarunt. Eundem cultum postea restauravit Jeroboam, qui ut populum a sacrificando in templo Jerosolymitano averteret, fecit duos vitulos aureos, & unum posuit in Bethel, alterum in Dan, dicens: *Ecce dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti,* 3 *Reg.* 12. *v.* 28.

Plures idololatrarum species recenset apudHebræos Card. Gotti Tract. de DEO q. 7. dub. 2.

57 Ex ipsis Christianis non defuere, qui plures Deos introduxerunt. Sæculo I Simon Magus non solum superstitiosa religione Angelos honoravit, sed etiam Samaritanos magicis artibus impulit, ut se tanquam Deum colerent, a Romanis quoque statua donatus est cum hac inscriptione: *Simoni Deo Sancto.* Sæculo II Carpocrates mundum non a DEO, sed nescio, a quibus Virtutibus factum esse asseruit. Ejus discipuli etiam imagines philosophorum Pythagoræ, Platonis &c. adorandas proposuerunt. Gnostici admisere Deum bonum, & malum, ac insuper 369 minores. Cerdoniani docuerunt, DEUM legis, & Prophetarum non esse patrem Christi, nec bonum: patrem vero Christi bonum: Marcionitæ Deum bonum rerum invisibilium auctorem; Deum autem malum hujus mundi conditorem dixere. Valentinus 30 finxit Deos, quos vocavit Eonas. Ejus fabulas imitati sunt Severiani, & Encratitæ, qui inter rerum principia etiam Diabolum posuere.

58 Sæculo III Manichæi duo rerum principia statuerunt, quorum unum bonorum, alterum malorum numen esset, duas quoque naturas, & substantias, ex quibus malam dicebant materiam, & carnem, a malo principio procreatam. Horum errorem Sæculo VIII adoptarunt Albanenses, & Sæculo XIII Albigenses. Denique Sæculo XVI Valentinus Gentilis, & Georgius Blandrata Divinam naturam & substantiam ita in tres personas diviserunt, ut tres Deos profiterentur. Fuerat hæc jam antiquata hæresis Tritheistarum, quorum primus parens erat Joannes Grammaticus, cognomento Philoponus, genere Alexandrinus, secta Eutichianus. Cum enim adversus Catholicos disputaret, vi & consequentia doctrinæ eo tandem abreptus est, ut tres in Divinitate naturas, sicut tres subsisten-

ſtentias aſſereret, ex quo ſequebatur, quod ſicut Petrus, & Paulus, quia ſinguli ſuas particulares habent naturas, ſunt duo homines; ita tres divinæ perſonæ ſint tres Dii.

Dicendum. DEUS eſſentialiter eſt unicus. 59
Prob. 1. auctoritate Scripturæ, in qua hoc dogma paſſim aſſeritur. Sic Deuter. 4 v. 35 dicitur: *Dominus ipſe eſt DEUS, & non alius præter eum.* Pſalm. 85. v. 10: *magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es DEUS ſolus.* Marc. 12. v. 29: *Primum omnium mandatum eſt: audi Iſrael, Dominus DEUS tuus, DEUS unus eſt.* 1. ad Cor. 8 v 4 & ſeqq. *Scimus, quia nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt DEUS, niſi unus; nam etſi ſunt, qui dicantur dii, ſive in cœlo, ſive in terra -- nobis tamen unus eſt DEUS.* Hæc ipſa unitas DEI clare definita eſt in concilio Lateranenſi ſub Innocent. III & apertis verbis traditur in Symbolo Nicæno, ac S. Athanaſii. Concordant omnes SS. Patres. Audiamus Tertullianum lib. 1. contra Marcionem c. 3. *DEUM, ut ſcias unum eſſe, quære, quid ſit DEUS, & non aliter invenies. Quantum humana conditio definire poteſt, id definio, DEUM ſummum eſſe magnum. Cum de iſto conveniat apud omnes; nemo enim negabit DEUM ſummum magnum quid eſſe -- Ergo unicum quid fuerit, neceſſe eſt, quod fuerit ſummum, par non habendo, ne non ſit ſummum magnum.*

Probatur Concluſio 2 ratione primum inſinuata. 60
DEUS juxta ideam omnibus innatam, eſt ens ſummum, ac perfectiſſimum, quo melius cogitari nequit; atqui non eſſet tale, niſi eſſet unicus: ergo. Major patet ex numero 20. minor prob. Si DEUS non eſſet unicus, haberet ſibi æqualem; ergo non eſſet ens principale, nec poſſet ſolus imperare: ergo non eſſet ens ſummum, ſed poſſet aliud melius cogitari. 2. Ens ſummum, quo melius cogitari nequit, non ſolum ſibi debet ſufficere ad exiſtendum, ſed etiam cætera omnia ipſo indigere;

atqui hoc non fieret, si plures darentur dii. 3. Ad ens summum, & perfectissimum omnia cætera ultimato debent referri, ita, ut se solo perfectissime expleat appetitum rationalem: ergo debet esse unicus, & solus esse finis ultimus omnium reliquorum. Conf. Si plures essent dii, ab invicem distinguerentur per aliquam perfectionem; ergo unus careret perfectione alterius: ergo nullus esset perfectissimus, & tota collectio perfectior, quam singuli.

61 Declaratur argumentum allatum ulterius, & probatur conclusio 3. De ratione entis summi est, ut possit liberrime gubernare hoc universum; atqui hoc non posset, si darentur plures dii. Vel enim sibi invicem essent subordinati? & tunc ille solus esset supremus dominus, cui reliqui subordinarentur. Vel essent in gubernatione ab invicem omnino independentes? & tunc possent velle contraria e. g. unus existentiam, alter destructionem mundi, unus motum, alter quietem solis. Ex quo sequeretur perturbatio totius universi, & quia unus omnipotens alterum omnipotentem non posset vincere, uterque fieret nullipotens: sed neque unus alterum (nam uterque foret omniscius) posset celare secreta sua consilia, cum tamen libertas, & dominium supra actus proprios internos exigat, ut domino invito a nemine cognoscantur. Confirmatur. Si admittuntur duo dii, pari jure admitti possunt centum, mille, imo non tot quin plures, cum nulla amplius sit ratio, qua ad certum numerum reduci queant; atqui sana ratio abhorret asserere plures deos esse, quam e. g. guttas maris, aut creaturas in toto mundo.

Objectiones.

62 Obj. 1. In Scriptura multi vocantur dii. Psal. 81 v. 1: *DEUS stetit in Synagoga Deorum.* Item v. 6: *Ego dixi: Dii estis, & filii excelsi omnes.* Exod.

Exod. 22. v. 28: *Diis non detrahas.* Ergo Deus non eſt eſſentialiter unicus. Confirm. Homines in Scriptura eo modo vocantur dii, quo Chriſtus; ita enim ipſemet Joann. 10 v. 34 & ſeqq. argumentatur: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia dixi, dii eſtis? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo DEI factus eſt. - - quem Pater ſanctificavit - - vos dicitis, quia blasphemas.* Reſp. diſt. ant. Multi vocantur dii natura, & in ſenſu proprio, neg. ant. Nomine tenus & in ſenſu improprio, conc. ant. & neg. conſ. In allatis textibus Principes, & Judices vocantur dii metaphorice, quia vices DEI gerunt, & ſingulari modo poteſtatem, & excellentiam divinam participant. Ad conf. neg. ant Chriſtus ibi egit non tam de natura, quam de appellatione DEI, & argumento ad hominem ita Judæos arguit: ſi juſti, & ſancti in lege veſtra ſine blasphemia dii appellantur, quare me blasphemiæ accuſatis, quem ipſe Pater ſpeciali modo ſanctificavit?

Dices. Tot admittendi ſunt dii, quot prima re- 63
rum principia; atqui hæc ſunt duo, unum bonum, & alterum malum, ſicut in mundo dantur effectus boni & mali. Hinc Deus Iſai 45 v. 7. dicitur: *faciens pacem, & creans malum.* Confirm. Lex nova & antiqua invicem opponuntur, & præcepta veteris legis in Scriptura dicuntur *non bona,* nec *vacaſſe culpa*, ſed occaſionem peccato dediſſe: ergo utriusque non fuit auctor idem DEUS. Reſp. conc. maj. neg. min. Effectus varii, & oppoſiti poſſunt eſſe ab eadem cauſa, ſaltem prima, & univerſali; neque effectus mere phyſici ſunt abſolute mali, ſed habent prudentiſſimos fines: peccatorum autem DEUS auctor non eſt, licet poſſit eſſe auctor pœnæ, de qua loquitur Iſaias. Ad conf. Lex nova, & antiqua inter ſe non pugnant, licet nova ſit veteri perfectior, cujus præcepta non fuere mala in ſe, ſed ſolum comparative, id eſt, non tam bona, quam præcepta legis novæ. Culpa non vacarunt, quate-

nus per accidens occasionem peccato dederunt, quin lex vetus ex se contulerit gratiam ad perfectam observationem necessariam.

64 Obj. 2. Polytheismus fuit antiquissimus per totum orbem diffusus, & usque ad nostra tempora constanter durat; atqui est incredibile, quod omnes fere gentes in unum errorem potuerint conspirare, & error tanti momenti tam diu durare. Conf. Ex consensu omnium populorum bene infertur, quod detur DEUS: ergo etiam, quod dentur plures Dii. Resp. transf. maj. neg. min. Inprimis ante diluvium per 2000 circiter annos de nullo idololatra constat. Postea licet error plures colendi Deos inoleverit, maxime apud rudem plebem, tum ob ambitionem regum, & adulationem subditorum, honores divinos principibus suis deferentium, tum ob licentiam Pictorum, & Poetarum, qui rudes deceperunt, tum vel maxime ob corruptissimos mores, propter quos dati sunt *in sensum reprobum*, ut loquitur Apostolus ad Rom. 1 v. 28. Nihilominus sapientiores unum DEUM supremum agnoverunt, & solum; in gratiam tyrannorum, & ex metu populi aliter locuti sunt, vel scripserunt, ut ostendit S. Justin. Mart. in orat. paraenet. & Orig. lib. 7 contra Celsum. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Consensus in pluralitatem Deorum nunquam fuit tam universalis, & aliunde manifestae falsitatis convincitur.

65 Dices. Dii gentilium multa edidere miracula, & oracula protulerunt: ergo fuerunt veri dii. Conf. Si ethnici in corde agnoverunt unum supremum Dominum, tunc reliquos tantum coluerunt, ut nos sanctos Coelites; ergo male accusantur idololatriae. Resp. nego ant. Si simulacra gentilium quandoque oracula protulerunt, id ope daemonis factum, & ea plerumque erant tam ambigua, ut vel in utramque partem intelligi potuerint, vel ad eorum intelligentiam novo oraculo opus fuisset. Idem dicendum de miraculis, quorum tamen plurima tantum fuerunt con-

confiҫta. Ad confir. Magna eſt diſparitas inter nos & Gentiles. Nam 1 multi ex illis vere interius coluerunt plures Deos, etiam ligneos, & lapideos. 2. Licet admiſerint unum Deum ſummum v. g. Jovem; negabant tamen ejus poteſtatem ſufficere ad omnia efficienda, & regenda. 3. Plerique ita divinitatem dividebant in plures, ut ſingulos crederent in certo genere ſupremos, & independentes e. g. Martem in præliis, Apollinem in artibus, Palladem in ſcientiis &c.

Obj. 3. Ex una parte hæc propoſitio: DEUS 66
eſt ens ſummum ac optimum, non eſt per ſe nota quoad nos: ex altera parte, etſi plures dii darentur, non turbaretur ordo univerſi, quia omnes eſſent optimi, ac ſapientiſſimi, adeoque libere ſemper vellent idem. Conf. Multæ reſpublicæ e. g. Venetorum, Helvetorum, bene reguntur, licet a pluribus gubernentur: ergo plures dii non obeſſent univerſo. Reſp. diſt. ant. Non eſt per ſe nota in ſenſu abſoluto, conc. ant. in ſenſu conditionato, ſi exiſtit Deus, quam conditionem purificari demonſtravimus, neg. ant. quoad hanc partem, & ſimpliciter quoad alteram. Quamvis quilibet Deus eſſet ſumme ſapiens, & bonus, tamen quilibet ſimul eſſet ſumme liber: ergo ſtante ſumma bonitate, & ſapientia poſſent velle contraria. Neque enim Deus tenetur facere, quod eſt optimum in ſe, & materialiter, ſed quod eſt optimum formaliter, & in his circumſtantiis, inter quas ſæpiſſime eſt ipſa voluntas, & beneplacitum DEI. Ad conf. neg. paritatem. Inter plures rectores reipublicæ nullus eſt omnino independens ab aliis, ſed ſinguli dependent tum a tota collectione, tum a DEO, a quo per leges diriguntur ad procurandum reipublicæ bonum.

Dices. Inter plures Deos poſſe adſtrui mutuam 67
voluntatum conſenſionem, ac velut ſympathiam, vi cujus quidquid vult, aut agit unus, idipſum velit, aut agat alter. Item poſſe dici, quod quilibet gu-

bernet diſtinctum mundum. Reſp. neg. utrumque; nam 1 vel mutua hæc conſenſio eſſet neceſſaria, vel libera? ſi primum; non omnes dii eſſent liberi. Si ſecundum; poſſent diſſentire, & velle contraria: neque moraliter videtur eſſe poſſibile, ut plura entia perfectiſſime libera, & potentiæ illimitatæ in omnibus prorſus caſibus conſentiant. 2. Vel quilibet Deorum eſſet omnipotens, & immenſus, vel non? ſi non; non eſſent dii. ſi ita; quilibet eſſet ubique, & poſſet dominium exercere etiam in mundum alterius. Certe nec ipſi polythei volunt, quod quilibet Deorum gubernet alium mundum, nec tali modo ab uno omnia dependerent, nec idem eſſet finis ultimus omnium.

68 Obj. 4. Juxta nos dantur tres perſonæ Divinæ; ergo tres dii. ant. prob. Quælibet perſona juxta nos eſt DEUS: ergo dantur tria optima, perfectiſſima, ac liberrima. Conf. Perſona juxta communem definitionem eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia; ergo cum tres dentur perſonæ, dantur tres individuæ ſubſtantiæ Divinæ: ergo tres dii. Reſp. conc. ant. neg. conſ. ad prob. iterum conc. ant. neg. conſ. cum plures perſonæ, licet quoad perſonalitatem realiter diſtinctæ, habeant eandem eſſentiam, ſeu naturam, eandem perfectionem abſolutam, eandem potentiam, intellectum, voluntatem, datur unum duntaxat ſummum bonum, unum principium, & finis ultimus omnium; unde neutiquam ſequuntur illæ diſcordiæ, & diſſenſiones, quæ orirentur ex pluralitate Deorum. Ad conf. conc. ant. nego utramque conſ. In definitione perſonæ vox ſubſtantiæ directe, & expreſſe non ſignificat naturam, ſed ſubſiſtentiam, & perſonalitatem. Hinc dicitur individua ſubſtantia tantum in hoc ſenſu, quod ſit incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito.

69 Dices. Ex eo, quod dentur tres perſonæ, non ſequitur, dari decem, aut centum; ergo neque ex plura-

pluralitate Deorum ſequeretur, quod dentur tot, quin plures. Conf. Etſi quælibet perſona divina careat perfectione individuali alterius, tamen quælibet eſt infinite perfecta; ergo licet quilibet Deus careret individuali perfectione alterius, tamen quilibet eſſet infinite perfectus, & haberet omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Sicut fides docet, quod natura divina communicari valeat pluribus perſonis, ita docet, quod non poſſit communicari decem, aut centum. Rationem dant, quia hæc communicatio fit per actiones immanentes, quæ in natura ſpirituali non dantur niſi duæ, intelligere, & velle. At pluribus diis natura divina immediate communicaretur per ſe ipſam, & quantum in ſe ad omnes eſſet indifferens; ergo nulla eſſet ratio, cur ſe non communicaret tot quin pluribus. Ad conf. An perſonalitates ſint perfectiones, videbimus ſuo loco. Hic ſcire ſufficit, quod res aliqua, ut ſit ſimpliciter infinita, & ſumma, non tantum debeat habere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ſed omnem omnino poſſibilem, vel formaliter, vel eminenter.

DISPUTATIO II.

De eſſentia DEI unius.

Quam clarum, ac evidens eſt, DEUM exiſtere, 70
tam obſcurum, & arduum eſt definire, quid ſit. *Quid ſit DEUS,* inquit S. Auguſtinus lib. 1. de Trinit. c. 3. *neque periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius invenitur.* Cum enim Deus ſit ens quoddam excellentiſſimum, omnes res corporeas infinite excedens, intellectus noſter limitatus, & a ſenſibus dependens in eo contemplando facile hallucinatur. Unde ſingularis fuit amentia Aetii, ejusque diſcipuli

Euno-

Eunomii, afferentium, fibi tam perfecte cognitam effe DEI naturam, quam ipfi DEO. Ego licet neutiquam exactam DEI cognitionem mihi promittam ; quia tamen ipfa natura impellimur, ut, quarum rerum vim, & effectum cernimus, earum etiam naturam noffe cupiamus, ea, qua decet, reverentia effentiam divinam inveftigare, & pro modulo humanæ infirmitatis adumbrare conabor.

QUÆSTIO I.

An DEUS fit infinite perfectus?

71 Perfectio alia dicitur mixta, alia fimplex, alia fimpliciter fimplex. Perfectio mixta eft, quæ in fuo conceptu effentiali involvit aliquam imperfectionem, uti corpus, animal; imo omnis perfectio creata qua talis, quia quælibet involvit imperfectionem contingentiæ, & dependentiæ ab alio. Perfectio fimplex eft, quæ in fuo conceptu effentiali nullam involvit imperfectionem, non tamen eft melior, quam alia oppofita. Tales juxta aliquos funt relationes divinæ v. g. Paternitas, Filiatio, & terminationes actuum divinorum contingentium v. g. volitionis hujus mundi. Perfectio fimpliciter fimplex a D. Anfelmo dicitur effe, quæ eft melior ipfa, quam non ipfa. Ubi *το non ipfa* non debet accipi negative, aut contradictorie ; alias quælibet perfectio effet fimpliciter fimplex, utpote melior, quam ejus negatio five contradictorium; fed accipiendum eft infinitanter, ut fenfus fit, perfectio fimpliciter fimplex eft, quæ eft melior, quam omnis perfectio cum ipfa incompoffibilis, vel non identificabilis, uti vivens, fubftantia, fpiritus; nam melius eft effe vivens, fubftantiam, fpiritum, quam corpus, accidens, inanimatum.

Cæte-

Cæterum perfectiones ab aliquo ente possunt 72
contineri vel formaliter, vel eminenter. Formaliter continentur, quæ simpliciter, & secundum proprium conceptum de aliquo sunt affirmabiles. Eminenter continentur, quæ quidem continenti non insunt secundum conceptum suum formalem adæquatum, insunt tamen eidem meliore modo, & demptis imperfectionibus, in quantum entitate perfectiore habent, & præstant totum id, quod habet, & præstat perfectio contenta. Cum igitur perfectiones mixtæ secum ferant imperfectiones, & plures inter se contrariæ sint, certum est, illas in ente perfectissimo nec posse, nec debere contineri formaliter. Sed præsens quæstio versatur in eo, an DEUS omnes perfectiones simplices, vel simpliciter simplices contineat formaliter, mixtas autem eminenter, & quidem infinite ? Quippe esse simpliciter infinite perfectum reipsa idem est, ac continere omnem perfectionem possibilem sine termino, ac fine, seu ita, ut in quavis perfectione possibili omnia alia entia excedat, & a nullo possit excedi.

Dicendum. DEUS in omni genere perfectionis 73
est infinite perfectus. Ita communis, ac certa omnium, saltem Catholicorum, contra quosdam ethnicos & Socinianos. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, quæ variis in locis hanc infinitatem inculcat. Sic Psal. 144. v. 3. de DEO dicitur: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Baruch. 3. v. 25: *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.* In quibus, & aliis similibus textibus sermonem esse de magnitudine perfectionis, non autem de magnitudine quantitatis, manifestum est, cum utique DEUS non habeat quantitatem. Idem unanimiter docent SS. Patres, ex quibus Dionysius de divin. nom. cap. 9 ait: *DEUM omnem infinitatem transilire.* Gregorius Nazianz. orat. 2 in Pasch. vocat Deum *perfectissimum, immensum, & interminatum pelagus.* Da-

Damascenus lib. 1 de orthod. fide, inquit, credendum esse *in unum DEUM infinitum, & incircumscriptum.* Similia habent alii Patres passim, ut videre est apud Lessium de perfect. divin. lib. 1. cap. 1.

74 Prob. 2. ratione. Deus continet formaliter, vel eminenter omnem perfectionem possibilem tam creatam, quam increatam, & quidem infinite, ac cum exclusione omnis prorsus imperfectionis: ergo. Ant. prob. quoad singula membra. 1. Perfectiones increatæ sunt improductæ, & necessariæ, adeoque non possunt identificari cum alio ente, quam pariter improducto, & necessario, quale est solus Deus; ergo Deus actu, & formaliter continet omnem perfectionem increatam. 2. Deus est causa omnium entium creatorum, eisque partim dat, partim dare potest omnem perfectionem creatam possibilem; ergo has perfectiones actu debet in se continere eminenter; cum lumine naturæ notum sit, quod causa efficiens principalis, adæquata, & proxima debeat continere perfectiones effectus, ac propterea ex instinctu naturali determinemur, ut ex perfectione effectus arguamus perfectionem causæ. 3. Deus est ens, quo melius cogitari nequit, & perfectiones creatæ sunt possibiles semper majores in infinitum: ergo Deus omnem perfectionem creatam debet continere infinito modo, cum exclusione omnis imperfectionis, eo quod omnis imperfectio dicat defectum alicujus perfectionis.

75 Conf. Deus est ens a se; ergo in omni genere perfectionis infinitus & illimitatus; quidquid enim finitum & limitatum est, a sua causa est limitatum, in quantum causa vel non potuit, vel non voluit producere effectum perfectiorem, ut patet tum per se, tum ab inductione omnium creaturarum. Certe si ens aliquod non est limitatum quoad suam existentiam, sed primam hanc, ac præcipuam perfectionem a se ipso habet, nulla prorsus est ratio,

tio, cur non a se ipso habeat quamcunque aliam perfectionem possibilem. Itaque Deus in se continet infinitas perfectiones formaliter distinguibiles, infinitam sapientiam, potentiam, sanctitatem, pulchritudinem &c. 2. Singulas has perfectiones continet in gradu infinite excellenti; est enim infinite sapiens, infinite bonus &c. 3. Easdem perfectiones continet modo infinite perfecto, scilicet per identitatem simplicissimam, adeo, ut quævis perfectio identificetur cum infinitis aliis infinite perfectis, & per eas infinite quasi perficiatur. 4. Has perfectiones continet infinitis, ut ita dicam, locis & temporibus, prout per suam immensitatem & æternitatem ubique, & semper existit.

Objectiones.

Obj. 1. Quæ in Scriptura de infinitate DEI leguntur, dicta sunt per exaggerationem & metaphoram, ac solum designant virtutis operativæ in Deo præstantiam & efficaciam: ergo ex Scriptura nihil probatur. Conf. Multa in Scriptura dicuntur infinita, quæ revera talia non sunt. Sic 2 Paralip. 14 v. 15 dicitur: *tulerunt pecorum infinitam multitudinem.* Resp. neg. ant. tum quia SS. Patres textus Scripturæ intelligunt de infinitate vere tali: tum quia sine gravi fundamento non licet verba Scripturæ ad exaggerationem vel metaphoram detorquere; alias nihil erit tam clarum, quod non in figurato sensu intelligi possit. Ad conf. conc. ant. neg. cons. Quamvis Deus communi usui loquendi, juxta quem infinita dicuntur, quæ sunt in maximo numero, quandoque in Scriptura se accommodet, non ideo in eodem sensu populari intelligi possunt, quæ de DEO dicuntur; alias etiam negari posset æternitas DEI, quia Genes. 17. v. 8. possessio terræ Chanaan dicitur *æterna*, id est, diuturna. 76

Dices. SS. Patres passim asserunt, omnia, quæ cogitare possumus, quantumvis perfecta, negari 77

posse

posse de DEO. Sic S. Dionys. cap. ult. de mystic. theol. ait, *DEUM non esse substantiam, non vitam, non lucem, non sensum, non mentem, non sapientiam, non bonitatem, imo neque deitatem*: ergo DEUS non continet omnes perfectiones. Conf. Licet intellectus v. g. Angelicus possit producere cognitiones specie diversas, syncategorematice infinitas, tamen non est infinite perfectus: ergo ex potentia DEI non probatur infinita perfectio. Resp. dist. ant. Omnia hæc negari posse de DEO, quod illi insint modo limitato, quo nos ea cognoscimus, conc. ant. modo longe excellentiore, & sublimiore, neg. ant. & conf. S. Dionysius ad verba objecta mox addit: *Sed est quidpiam his eminentius & præstantius.* Ad conf. neg. conf. Angelus non potest producere cognitiones perfectiores in infinitum præsertim se solo, & tanquam causa adæquata, sed debet adjuvari a speciebus & DEO, qui quolibet Angelo adhuc perfectiorem potest creare, potentem producere cognitiones adhuc perfectiores.

78 Obj. 2. Deus est ens singulare & determinatum, distinctum a perfectionibus cujuslibet alterius entis; ergo est limitatus. Conf. Si Deus ita esset in uno loco, ut non simul esset in alio, non esset illimitatus quoad locum; ergo si est ita hoc ens, ut non sit aliud, non est infinitus quoad essentiam & perfectionem. Resp. dist. ant. Est ens singulare, formaliter tamen, vel eminenter continens omnes perfectiones aliorum entium, & quidem cum infinito excessu, conc. ant. aliter, neg. ant. & dist. conf. ergo est ens limitatum in ratione perfectionis, neg. conf. in ratione numeri, quatenus est tantum unum ens, trans. conf. Hæc posterior limitatio, si velimus illam ita vocare, est summa perfectio, quia excludit omne ens æquale, & excellentiam super omnia inducit. Ad conf. conc. ant. dist. conf. Ergo si ita est hoc ens, ut non sit aliud eminenter, non est infinitus,

finitus, conc. conſ. ſi nihilominus eſt omne ens eminenter, neg. conſ. eſſe infinitum quoad locum, ex conceptu ſuo dicit exiſtentiam in omni loco. Econtra eſſe infinitum quoad eſſentiam, non dicit in conceptu ſuo identitatem cum perfectionibus aliorum entium; hoc enim manifeſte repugnat: ſed ſolum dicit eſſentiam infinite continentem perfectiones omnium aliorum entium poſſibilium.

Dices. Quamvis DEUS non ſit limitatus a ſua 79
cauſa, poteſt tamen eſſe limitatus ex natura ſua, & velut ex principiis ſuis intrinſecis: ergo. Conf. Sic v. g. Angelus ex natura ſua eſt limitatus ad hunc gradum perfectionis eſſentialis, ita ut abſolute non poſſit, nec potuiſſet eſſe perfectior, quam de facto eſt: ergo etiam ens a ſe ex natura ſua poteſt eſſe limitatum. Reſp. neg. ant. quia nulla eſt excogitabilis ratio, quare ens illimitatum quoad exiſtentiam non etiam ſit illimitatum quoad alias perfectiones: & ſi aliquando admittitur, quod ens a ſe poſſit limitari a ſua natura, fingi poterunt plurima entia eſſe a ſe, quorum ſæpe cauſam non ſatis novimus. Ad conf. neg. ant. Sed Angelus ideo eſt limitatus, quia DEUS non voluit, ſicut tamen potuiſſet, perfectiorem producere. Quemadmodum enim ens aliquod non dicitur imperfectum ex eo, quod ſibi non habeat identificatas perfectiones aliorum entium, ſed quia poſſunt dari entia perfectiora: ſic ens non dicitur limitatum præciſe ideo, quia non poteſt habere plures perfectiones ſibi identificatas, ſed quia poſſunt dari entia alia, quæ majores perfectiones ſibi identificatas habent. vid. num. 36.

Obj. 3. Infinitum eſt, ex quo ſemper eſt aliquid 80
ad extra accipere; ſed ex perfectionibus divinis non ſemper poteſt aliquid accipi, cum a parte rei ſit unica, indiviſibilis perfectio: ergo. Conf. Ex una parte perfectiones creaturarum ſunt diſtinctæ &

oppositæ, ut patet in Angelo, & homine, ex altera parte nulla perfectio creata est pura : ergo non possunt a DEO contineri. Resp. trans. maj. quia hæc definitio stricte tantum convenit infinito divisibili in numero & quantitate, neg. min. nam saltem per conceptum semper est aliquid extra accipere, cum nunquam tot abstrahi possint perfectiones ex DEO, quin plures restent abstrahendæ. Ad conf. dist. ant. Multæ perfectiones creaturarum sunt oppositæ, & nulla est pura, prout dantur in ipsis creaturis, conc. ant. prout dantur in DEO, neg. ant. & dist. conf. ergo non possunt in DEO contineri formaliter, & eo modo, quo existunt in creaturis, conc. conf. eminenter, & cum exclusione imperfectionis, neg. conf. Imo quædam perfectiones creaturarum, si præcise considerentur secundum suum conceptum formalem, uti substantia, spiritus, nullam dicunt imperfectionem, & sic etiam formaliter in DEO possunt contineri.

81 Dices. Si esset DEUS infinite perfectus, nulla alia perfectio esset possibilis, sicut nullum aliud corpus esset possibile, si existeret corpus infinitum. Conf. Si DEUS eminenter contineret perfectiones omnium creaturarum, eminenter esset lignum, corpus, imo etiam peccatum, siquidem ejus malitia consistat in positivo, hoc est absurdum : ergo. Resp. neg. sequelam & paritatem cum corpore; cum enim ex una parte compenetratio corporum sit naturaliter impossibilis, ex altera vero corpus, quod cum infinito existeret, eidem deberet compenetrari, naturaliter saltem nullum aliud corpus præter infinitum posset existere. Nulla ejusmodi repugnantia datur in coexistentia perfectionis finitæ & creatæ cum infinita perfectione DEI. Ad conf. dico, has propositiones in aliquo sensu esse quidem veras, in quantum nempe significant Deum esse aliquid infinite perfectius, quam lignum, corpus &c. simpliciter

pliciter tamen prolatæ facile ingenerare possent sensum falsum, præsertim rudibus, qui forte intelligerent, DEUM revera esse lignum, corpus &c. sed majus & eminentius reliquis.

Obj. 4. DEUS juxta nos in perfectione infinite, 82
adeoque æqualiter excederet omnes creaturas: hoc non potest admitti, quia utique musca magis distat a perfectione DEI, quam Angelus. Conf. Si omnes creaturæ æqualiter distarent a DEO, omnes essent æque perfectæ; hoc est falsum: ergo. Resp. dist. maj. infinite excederet omnes creaturas, si excessus iste sumatur denominative & active, quatenus dicit perfectionem DEI excedentem, conc. maj. Si sumatur passive, prout involvit perfectionem creaturæ, neg. maj. & sic dist. min. neg. conf. Ad conf. iterum dist. maj. Omnes creaturæ essent æque perfectæ, si omnes æqualiter a DEO distarent distantia dissimilitudinis, conc. Maj. si tantum distantia improportionis, neg. maj. distantia hæc metaphorica creaturæ a DEO reipsa nihil aliud est, quam vel dissimilitudo inter Deum & creaturam, vel improportio, & velut incommensurabilitas cujuslibet perfectionis creatæ cum divina. Dissimilitudo est tantum finita, cum quælibet creatura sit aliquo modo similis DEO, & aliquam ejus perfectionem participet; hinc una potest esse perfectior & similior DEO, quam altera. Econtra improportio potest dici infinita, & est æqualis respectu omnium creaturarum, quia finiti ad infinitum nulla prorsus est proportio.

Dices 1. Juxta datam responsionem creaturæ 83
essent similes Deo, & Deus similis creaturis, cum omnis similitudo sit mutua; hoc est contra Scripturam, dum Isai. 40 v. 18 dicitur: *Cui similem fecistis DEUM!* Conf. Saltem complexum ex DEO & creaturis esset aliquid perfectius, quam solus Deus; alias totum non esset majus sua parte: ergo.

Resp. neg. maj. quoad secundum membrum cum ratione addita; nam ut S. Thomas part. 1. q. 4. art. 3 ad 4, & S. Dionysius cap. 9 de divin. nom. advertit, similitudo in iis, quæ sunt diversi ordinis, non est mutua. Sic Cæsar non solet dici similis suæ imagini, licet imago dicatur similis Cæsari. Cæterum creaturæ, præsertim homines, in Scriptura modo affirmantur similes Deo, ut Genes. 1 v. 26: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Modo negantur esse similes, ut Psalm. 34 v. 10: *Domine quis similis tibi?* sunt nempe creaturæ similes Deo similitudine imperfecta, non vero perfecta. Ad conf. dist. ant. Hoc complexum est aliquid perfectius extensive, seu potius quoad numerum, in quantum involvit plura entia, & plures perfectiones realiter distinctas, transf. ant. est aliquid perfectius intensive, quasi esset majoris æstimabilitatis & pretii, neg. ant. conf. & suppos. quod creaturæ sint pars hujus æstimabilitatis, utpote, quæ tota habetur ab infinita DEI perfectione, & a creaturis neque augetur, neque intenditur.

84 Dices 2. Licet sol eminenter contineat lumen, nihilominus complexum ex sole & lumine est aliquid perfectius, quam tantum sol: ergo licet Deus contineat perfectiones creaturarum, tamen complexum ex Deo & creaturis est aliquid intensive perfectius, quam solus Deus, & sicut in hoc complexo continentur plura, sic etiam continetur plus. Conf. Complexum illud non est minus Deo, nec æquale: ergo est majus. Resp. conc. ant. neg. conf. Deus perfectiones creaturarum non tantum continet eminentia quacunque, sed infinita, & quidem omnes; jam vero finitum additum infinito non reddit illud melius ac perfectius, neque creaturæ huic complexo aliquid addunt, quod non jam infinite in Deo continetur, neque faciunt, ut illud sit aliquid plus, id est, magis æstimabile, sed Deo comparatæ velut nihilum habentur. *Omnes gentes, quasi non*

non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt, Isai. 40 v. 17. Ad conf. neg. ant. quoad secundum membrum, intelligendo quoad æstimabilitatem. Imo aliqui contendunt, hoc complexum esse secundum quid minus æstimabile, in quantum in illo plurima sunt neutiquam æstimanda, sed potius contemnenda, omnes videlicet creaturarum defectus & imperfectiones.

QUÆSTIO II.

An DEUS sit ens spirituale, & simplex?

Circa spiritualitatem & simplicitatem DEI errarunt illi pagani, qui res corporeas, sydera, terram, animalia, ligna &c. tanquam deos coluerunt. 2. Antiqui Philosophi, qui putarunt Deum esse universalem materiam, ex qua omnes res componuntur, vel universalem mundi animam. Horum doctrinam restauravit David de Dinando (S. Thomas contra gentes cap. 17 illum appellat de Divinando) docens Deum esse principium materiale omnium rerum, & Almaricus asserens, Deum esse principium formale, propterea damnatus in concilio Lateranensi sub Innocentio III. 3. Sadducæi, qui nullam substantiam spiritualem admiserunt, ut constat ex actis Apostolorum. 4. Manichæi, qui teste S. Augustino lib. de hæresibus hæres. 46. dixerunt, Deum infinita mole diffusum esse, non tamen undique, sed tribus quadris infinitum. 5. Audiani quidam monachi, qui sæculo IV magnas turbas in Ægypto excitarunt, affingentes DEO humanum corpus ac staturam, propterea dicti Antropomorphitæ. 6. Benedictus Spinosa, qui sæculo superiore docuit, in mundo unicam dari substantiam, extensione & intelligentia præditam, eamque esse DEUM. 85

86 Aliam adhuc compositionem in DEO admisit Gilbertus Porretanus, Pictaviensis Episcopus, cujus famosa erat propositio : *Divinitas non est Deus, sed forma, qua Deus est.* Proscripta hæc fuit in Concilio Rhemensi præsente Eugenio III, quam sententiam Gilbertus, ut inquit Otho Frisingensis lib. de gestis Friderici Imperatoris cap. 58, reverenter excipiens, cum Ordinis integritate & honoris plenitudine ad propriam diœcesin remeavit. Interim duo inter eruditos controvertuntur. Primum est: an Gilbertus distinctionem actualem admiserit inter essentiam divinam & sola prædicata relativa? an etiam inter essentiam & prædicata absoluta? Posterius pluribus in locis indicat S. Bernardus acerrimus illius impugnator; Sermone 80 in Cantic. ita habet: *Recedant novelli non dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus est DEUS, bonitatem, qua bonus, sed & sapientiam, qua sapiens, & justitiam, qua justus, postremo divinitatem, qua DEUS est, DEUM non esse impiissime disputant.* Alterum est: an Gilbertus inter essentiam & attributa admiserit distinctionem stricte realem, an tantum ex natura rei formalem, quod Scotistis discutiendum relinquo.

87 Porro simplicitas est negatio, seu exclusio compositionis : compositio autem est distinctorum unio. Dividitur in compositionem rationis, & realem. Prior fit ex partibus sola ratione distinctis. Sic homo componitur ex animali & rationali. Compositio realis seu physica fit ex partibus realiter distinctis: talis est compositio ex partibus essentialibus e. g. compositio hominis ex anima rationali & corpore inter se unitis, ex quibus resultat compositum essentiale. 2. Compositio ex partibus integralibus e. g. ex membris, quæ componunt totum integrale. 3 Compositio ex subjecto & accidente e. g. igne & calore, qui constituunt compositum accidentale. Addunt aliqui 4 compositionem ex natu-

ra

ra & subsistentia, quam docent esse entitatem positivam naturae supperadditam, ita, ut ex utraque fiat unum suppositum. 5. Compositionem ex essentia, & existentia, inter quas contendunt dari distinctionem realem. Hæc de creatis. De divinis longe aliter docet Concilium Rhemense supra citatum, item Lateranense IV sub Innocentio III, & Florentinum, quorum prius ita statuit: *Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura omnino simplex.* Posterius sess. 18 definit: *omnia in divinis esse idem, ubi non intercedit oppositio relationis,* qualis datur e. g. inter Patrem & Filium. Itaque

Dicendum. Deus est simplicissimus spiritus, sicut omnis concretionis corporeæ, ita cujusvis compositionis realis expers. Prob. 1 ex S. Scriptura, in qua Deus passim vocatur spiritus, & attributa divina etiam in abstracto de DEO prædicantur. Sic Joann. 4 v. 24 dicitur: *Spiritus est DEUS, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Joan. 14 v. 6 Christus de se ipso ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* Si jam de Deo in abstracto potest affirmari vita, veritas, aliæque perfectiones, realiter sunt idem cum exclusione compositionis realis, & eodem modo de DEO poterit affirmari Deitas; nam sicut se habet veritas ad verum, vita ad viventem, ita Deitas ad DEUM. Conf. auctoritate SS. Patrum, ex quibus Clemens Alexandrinus lib. 1 Pædag. cap. 8 ait: *DEUS non dicitur bonus, eoquod virtutem habeat: est enim virtus ipsamet.* Origenes lib. de principiis cap. 1: *non ergo corpus aliquod, aut in corpore esse, putandus est DEUS, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino adjunctionis admittens.* Similia habent Patres posteriores, qui ex professo contra Antropomorphitas, aut Gilbertum Porretanum scripserunt, uti S. Greg. Nazianz. orat. 34, S. Augustinus in 15 88

 libris

libris de Trinitate, S. Bernard. Serm. 80 in Cant. & lib. 5 de considerat.

89 Prob. 2 ratione. Ex una parte DEUS est ens præstantissimum, quo melius cogitari nequit; ex altera parte esse spiritum, & continere omnes perfectiones per simplicissimam identitatem est perfectio simpliciter simplex; ergo Deus est spiritus simplicissimus omnis concretionis corporeæ, & compositionis realis expers. Sicut enim juxta omnes aliquid præstantius est esse spiritum, quam corpus, sic tam juxta Philosophos quam Theologos melius est habere perfectionem per simplicem identitatem, quam eam realiter a se distinctam recipere per solam unionem, eoquod omnis pars, ex qua fieri debet compositio physica, dicat aliquid imperfectum & incompletum. Hinc S. Bernard. lib. 5 de considerat. contra Porretanum ait: *mihi vero non deest, quod cogitem melius ejusmodi DEO tuo. Quæris quid? mera simplicitas; vero enim judicio simplex multiplici anteponitur.* Conf. Vel singulæ partes, ex quibus componeretur Deus, essent a se, & infinite perfectæ? vel saltem una esset ens ab alio & imperfecta? Si primum: darentur plures Dii, imo non daretur compositio ex partibus, cum de ratione partis sit esse incompletum. Si secundum: Deus includeret imperfectionem, & hæc pars esset superflua, quia sine illa jam haberetur infinita perfectio.

90 Colliges, Deum esse purum actum, ut post D. Thomam loquuntur Theologi, hoc est, in Deo non dari ullam potentiam physicam passivam, seu perfectibilem, vi cujus in se possit recipere perfectionem physice distinctam, a qua interne magis perficiatur. Hinc quando de Deo affirmari videtur aliqua potentia passiva e. g. quod sit possibilis, quod possit existere, cognoscere &c. ea non est potentia physica ad actum distinctum, sed solum potentia metaphysica, vel logica, seu non repugnantia prædicato-

catorum, & perfectionum divinarum. Imo hæc ipsa potentia metaphysica in Deo non potest sumi negative aut exclusive pro mera possibilitate, sed positive pro potentia conjuncta cum actu. Si quæras, an igitur in Deo ne quidem possit admitti compositio rationis? dico, si per compositionem rationis intelligatur talis, vi cujus in Deo unum concipiatur tanquam potentia ulterius perfectibilis, alterum vero tanquam actus potentiæ adveniens, eamque perficiens, talis compositio non potest admitti. Si vero una DEI perfectio e. g. entis solum accipiatur præcisive, & eodem modo consideretur altera, talis compositio tam parum repugnat simplicitati divinæ, quam distinctio rationis identitati.

Objectiones.

Obj. 1. Ex una parte spiritus in Scriptura sæpe 91
significat rem corpoream v. g. ventum, ex altera parte Deo tribuuntur proprietates corporis, quales sunt membra, brachium, oculi, aures. 2. Trina dimensio, longitudo, latitudo, & profunditas. 3. Situs corporis, statio, sessio. 4. Ratio termini localis a quo, & ad quem: *accedite ad eum & illuminamini*, Psalm. 33. v. 6. Ergo Deus habet corpus. Resp. conc. ant. neg. conf. Quamvis spiritus in Scriptura nonnunquam accipiatur minus proprie pro rebus corporeis, ut ex subjecta materia colligi potest, non tamen ita accipitur in textu a nobis citato, ubi ex ipso contextu patet, sermonem esse de tali spiritu, qui nulli loco est alligatus, ubique præsens, & spiritu potius quam corpore colendus. Econtra quando Scriptura videtur DEO tribuere proprietates corporis, juxta omnes SS. Patres, & Theologos loquitur metaphorice, & se accommodat humano loquendi modo propter quamdam analogiam, quam res illæ corporeæ habent cum perfectionibus & operationibus divinis, e. g.

 per

per brachium ſignificatur virtus omnia exſequendi, per oculos virtus omnia cognoſcendi, per profunditatem incomprehenſibilitas, per longitudinem proceſſus divinæ virtutis, & ſic de cæteris, ut ſingillatim explicat S. Thomas part. 1 q. 3 art. 1. & 2.

92 Dices. Juxta Scripturam ad Heb. 10 v. 34. Deus habet *animam*, & inſuper non raro dicitur *triſtatus, iratus*, ductus pœnitentia, & quidem intrinſece. *Tactus dolore cordis intrinſecus delebo*, inquit Gen. 6 v. 6 & 7, *hominem a facie terræ*. Sed hæc indicant paſſiones corporis animati: ergo. Conf. Geneſis 1 v. 26 homo dicitur creatus ad imaginem & ſimilitudinem DEI; ergo ſicut homo habet corpus & animam, ita etiam Deus. Reſp. conc. maj. diſt. min. Hæc indicant paſſiones corporis, ſi deberent accipi in ſenſu proprio, conc. min. ſi tantum debent accipi in ſenſu metaphorico, neg. min. & conſ. Per animam ſolet intelligi voluntas divina cum DEO realiter identificata, paſſiones autem iræ, triſtitiæ &c. DEO tantum tribuuntur quoad effectum ita, ut per iram DEI nihil aliud denotetur, quam voluntas puniendi & ulciſcendi, per triſtitiam & dolorem diſplicentia de malis. Quod autem dicatur: *Tactus dolore intrinſecus*, ſignificat offenſæ magnitudinem, & pœnæ vindicis ſeveritatem. Equidem Tertullianus, & juxta aliquos etiam Lactantius in Deo admiſit aliquas paſſiones, ſed neutiquam corporeas & imperfectionibus mixtas; nihilominus etiam in hoc errarunt. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Homo non dicitur factus ad imaginem DEI ſecundum corpus, ſed ſecundum id, quo excellit cætera animalia, nempe ſecundum rationem & intellectum. Hinc in Scriptura ſubditur: *Ut præſit piſcibus maris &c.*

93 Obj. 2. Plures ex veteribus eruditione inſignes Deum corporeum aſſeruerunt, ut Melito Epiſcopus

pus Sardensis, qui teste Origene sæculo II scripsit librum *de DEO corporeo*. 2. S. Epiphanius, ut refert Socrates lib. 6 historiæ cap. 10 & Sozomenus lib. 8 cap. 14. 3. Tertullianus. Resp. Etsi hæc vera essent, auctoritas quorumdam privatorum non posset prævalere contra constantem doctrinam Ecclesiæ, aliorumque Patrum ferme omnium. Interim 1 Melitoni, viro pietate & scientia insigni, errorem hunc Origenes falso imputavit, deceptus titulo illius libri, quem tamen non videtur legisse; nam Ruffinus illum sic latine reddit: *de DEO corpore induto*, scilicet per incarnationem. 2. S. Epiphanius hæresi 70 Antropomorphitas ex professo refellit, & teste S. Hieronymo lib. ad Pamach impactam sibi injuriam publica concione Jerosolymis confutavit. 3. Tertullianus lib. de Baptism. cap. 2 aperte profitetur, *DEUM esse spiritum, & quidem simplicem*, lib. advers. Hermogen. cap. 2: *DEUM partes non habere, & plane immutabilem esse*. In Apologet. *Deos gentilium falsos esse, eo quod homines sint, iique corporei*; hinc a S. Augustino excusatur lib. de hæresib. hæres. 86, qui liber est posterior aliis Augustini libris, in quibus Tertullianum erroris Antropomorphitarum insimulat.

Dices. Tertullianus libr. adversus Praxeam 94
cap. 7 expresse ait: *Quis negabit DEUM corpus esse, etsi spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie*, & lib. de carne Christi cap. 11: *Omne, quod est, corpus est sui generis, nihil est incorporale, quod est*. Conf. In eo sensu Deum corpus appellat, quo animam humanam; atqui lib. de anima docet, animam humanam vere corpoream esse & materialem: ergo. Resp. In his textibus Tertullianum juxta antiquorum loquendi modum corpus accipere late pro omni eo, quod est aliquid reale, & subsistens, ut ipsum iuterpretatur S. Augustinus loc. cit. & indicant ipsa verba textus: *Corpus sui generis est. Nihil est incorporale, quod est*. Ut adeo inter nihil

&

& corpus late ſumptum nullum medium agnoverit. Ad conf. neg. min. nam lib. de anima cap. 7 ideo docet animam eſſe corpoream, quia eſt paſſibilis. At libr. contra Praxeam cap. 29 expreſſe aſſerit, Deum eſſe impaſſibilem, conſequenter incorporeum.

95 Obj. 3. Ubi datur commune & proprium, pluraque realiter diſtincta conſtituunt unum, ibi datur compoſitio realis; atqui in Deo datur commune & proprium, nempe eſſentia communis tribus perſonis, quæ conſtituunt unum Deum : ergo. Conf. De Deo poſſumus ſcire, quod ſit, non vero, quid ſit: ergo componitur ex eſſentia & exiſtentia realiter diſtinctis. Reſp. diſt. maj. Ubi datur commune & proprium realiter diſtinctum, & plura realiter diſtincta conſtituunt unum per ſolam unionem, ibi datur compoſitio realis, conc. maj. ubi datur commune & proprium ſolum virtualiter diſtinctum, & plura realiter diſtincta conſtituunt unum per identitatem, neg. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Diſtinctio virtualis a parte rei non eſt aliqua diſtinctio, ſed tantum æquivalentia diſtinctionis in ordine ad prædicata contradictoria; hinc illa non obſtante tres perſonæ realiter identificantur cum divinitate, neque per hoc naturæ divinæ accedit nova perfectio, ſed quidquid perfectionis datur in perſonis, ex natura divina profluit. Licet igitur in Trinitate detur numerus perſonarum, ideo non datur compoſitio. Ad conf. dico, eodem modo a nobis ſciri poſſe eſſentiam DEI, quo exiſtentiam; de utraque enim ſcimus, quod detur, neutram in hac vita cognoſcimus, prout eſt in ſe.

96 Dices. Saltem major daretur ſimplicitas, ſi inter perſonas divinas non intercederet diſtinctio realis: ergo cum hæc intercedat, non datur in Deo ſimplicitas perfectiſſima. Conf. In Deo datur libertas: ergo compoſitio ex voluntate & volitione. Reſp. diſt. ant. Daretur major ſimplicitas, prout ſimplicitas dicit identitatem, & opponitur diſtinctioni, tranſ. ant.

ant. prout ſimplicitas dicit negationem unionis, & opponitur compoſitioni, neg. ant. & ſub eadem diſt. conſ. ac ſuppoſitum, quod ſimplicitas excludens omnem diſtinctionem realem in divinis ſit major perfectio; tolleret enim fœcunditatem naturæ divinæ, & ipſum myſterium Trinitatis. Jam vero: illa ſola diſtinctio realis in Deo repugnat, quæ proveniret ex aliqua limitatione, non vero, quæ oritur ex perfectionis abundantia. Porro cum nihil componatur ex ſeipſo, compoſitio realis neceſſario dicit unionem inter duo realiter diſtincta, tres autem perſonæ divinæ, quatenus realiter diſtinguuntur, non uniuntur, ſed relative ſunt oppoſitæ, quatenus vero ſunt in natura divina non diſtinguuntur. Ad conſ. diſt. ant. In Deo datur libertas ad volitionem realiter identificatam cum voluntate, conc. ant. ad diſtinctam, neg. ant. Actus liberi divini ſecundum id, ſecundum quod Deo ſunt intrinſeci, nec inter ſe, nec ab eſſentia divina realiter diſtinguuntur.

Obj. 4. Perſona Chriſti eſt compoſita ex duabus 97 naturis realiter diſtinctis, humana ſcilicet & divina; ſed perſona Chriſti eſt aliquid divinum: ergo aliquid divinum eſt compoſitum. Conf. Deus cum natura humana in Chriſto conſtituit unum compoſitum: ergo cum alio poteſt venire in compoſitionem; atqui etiam hoc repugnat ſummæ ſimplicitati: ergo. Reſp. diſt. maj. Perſona Chriſti ſecundum ſe & ſpecificative ſumpta eſt compoſita ex duabus naturis, neg. maj. reduplicative accepta, & ut eſt perſona DEI hominis, tranſ. maj. Perſona Chriſti, quatenus concipitur ut ſubſiſtens in natura humana & divina, poteſt dici aliquo modo compoſita, non quod ipſa ſecundum ſe ſumpta conſtet rebus realiter diſtinctis, ſed quod vere ſubſtantialiter uniatur naturæ humanæ, & cum ea conſtituat Deum hominem. Ad conſ. conc. ant. diſt. conſ. Ergo poteſt venire cum alio in compoſitionem tanquam pars pro-

proprie dicta, quae ab altera comparte perficiatur, neg. conf. tanquam aliquid mere perfectivum, conc. conf. Verbum divinum non est pars Christi, aut aliquid perfectibile, sed merus terminus humanitatem perficiens, ut pluribus explicatur in Tractatu de Incarnatione.

QUÆSTIO III.

An & qualis detur distinctio inter prædicata DEI absoluta?

98 Inter prædicata, quæ de Deo a nobis enunciantur, aliqua dicuntur absoluta, quæ non dicunt ordinem ad terminum a se distinctum, ut esse æternum, immensum, sanctum &c. alia relativa, quæ dicunt ordinem ad terminum a se distinctum, ut esse Patrem, Filium &c. 2. Aliqua sunt necessaria, sine quibus Deus non potest esse, uti esse omniscium, omnipotentem &c. alia contingentia, quæ possunt in Deo non dari, saltem terminative, seu quoad denominationem, ut esse volentem vel nolentem rei creatæ, quam Deus libere potest velle, vel nolle. 3. Aliqua essentialia, quæ constituunt essentiam DEI, alia attributa, quæ rursus duplici modo possunt accipi, late scilicet, ac stricte. In sensu lato dicuntur attributa omnia illa prædicata, quæ Deo per se tribuuntur; in sensu stricto illa solum, quæ vel in creatis sumuntur per modum formarum accidentalium & adjacentium alteri, ut esse sapientem, justum &c. Vel saltem non constituunt essentiam metaphysicam DEI, sed sunt quasi proprietates metaphysicæ, ut in homine risibile, flebile, admirativum.

99 Circa distinctionem horum prædicatorum duplex fuit error sibi e diametro oppositus. Nam aliqui contenderunt, inter illa dari distinctionem realem. Inter hos ab aliquibus numeratur Gilbertus Porretanus,

tanus, de quo diximus quæſtione præcedente. 2. Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, qui in oratione pro Chriſtianis aſſeruit, bonitatem in Deo eſſe accidens & qualitatem. 3. Theodorus Mopſueſtenus, qui teſte Leontio Bizantino lib. 1 contra Neſtorium, bonitatem realiter a ſapientia, & utramque, uti etiam reliqua prædicata tam abſoluta, quam relativa reipſa diverſa eſſe contendit. 4. Græci quidam monachi Heſichaſtæ dicti, quorum dux fuiſſe fertur Simeon quidam monaſterii præfectus, & Gregorius Palamas ex monacho montis ſancti Epiſcopus Theſſalonicenſis. Horum doctrina erat, operationes, ſeu energias DEI, & inter has etiam bonitatem, ſapientiam &c. ab ejus ſubſtantia eſſe realiter diſtinctas, & ab ea velut a cauſa profectas. Has porro a creaturis, nullo modo autem eſſentiam divinam participari, ita ut aſpectabiles atque ſeparabiles reddantur.

In oppoſitum errorem inciderunt Aetius & ejus 100
diſcipulus Eunomius, qui aſſerebant, attributa omnia, quæ de Deo prædicantur, velut bonitatem, ſapientiam, & multo magis, quæ in patre eſt, innaſcibilitatem, ſeu rationem ingeniti, nullo modo, ne ratione quidem ab eſſentia diſtingui, ſed tantum eſſe diverſas voces, & ſonos. Ita viam ſibi parabant ad dicendum, Filium, & Spiritum Sanctum, in quibus non datur innaſcibilitas, ſeu ratio improducti, non eſſe ejusdem eſſentiæ, & naturæ cum Patre, ut conſtat ex S. Gregor. Nyſſen. orat. 12 contra Eunomium. Nominales quoque duce Ochamo & Gregorio Ariminenſi contendunt, attributa nec ab eſſentia, nec ab invicem per intellectum diſtingui, ſed ſolum nominaliter ex diverſa connotatione, & reſpectu eſſentiæ divinæ ad creaturas, ita ut eadem omnino eſſentia divina connotando miſeriam ſublevandam dicatur miſericordia, connotando veritates certo & clare cognoſcendas dicatur ſapientia &c.

Quod

101 Quod prædicata DEI abſoluta (de relativis alibi ex profeſſo diſputabimus) nec inter ſe, nec ab eſſentia divina diſtinguantur realiter, fides docet; quippe juxta fidem Catholicam Deus eſt ens ſimpliſſimum omnis realis compoſitionis expers; atqui tale non eſſet, ſi prædicata divina inter ſe aut ab eſſentia diſtinguerentur realiter. Hinc Concilium Rhemenſe in ſymbolo contra Porretanum edito ita ſtatuit: *Credimus, & confitemur ſimplicem naturam divinitatis eſſe DEUM, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quod Divinitas ſit DEUS, & DEUS Divinitas. Ubi vero dicitur, ſapientia ſapientem, magnitudine magnum &c. Deum eſſe, credimus non niſi ea ſapientia, quam qua ipſe eſt DEUS, ſapientem eſſe, nonniſi ea magnitudine, qua ipſe eſt DEUS, magnum eſſe.* S. Auguſtinus lib. 5 de Trinit. cap. 5 ait: *Bonitas & juſtitia numquid inter ſe in natura DEI, ſicut in ejus operibus diſtant? tanquam duæ diverſæ ſint qualitates DEI, una bonitas, alia juſtitia? non utique, ſed quæ ejus juſtitia, ipſa bonitas, & quæ bonitas, ipſa juſtitia.*

102 Colliges, quod inter prædicata DEI abſoluta & eſſentiam divinam etiam non poſſit admitti diſtinctio ex natura rei formalis, vi cujus unum prædicatum differret ab altero ante omnem mentis operationem. Nam etiam hæc diſtinctio præjudicat perfectiſſimæ ſimplicitati DEI, quia tali modo una perfectio DEI ex ipſa natura rei eſſet diverſa ab altera, ſi non entitate, ſaltem formalitate actuali ante omnem præciſionem intellectus, neque iſtæ perfectiones cum eſſentia DEI ex natura rei eſſent idem, ſed formæ actu illam afficientes: ergo cum eſſentia divina actu aliquam compoſitionem facerent, cum tamen juxta Patres una perfectio actu & ex natura rei ſit altera, & omnes cum eſſentia perfectiſſime unum. *Claret,* inquit S. Fulgentius in reſponſione ad Ferrandum interrogatione 2, *hoc eſſe Catholicæ veritatis, ut cum in DEO Divinitatem, magnitudinem,*

dinem, bonitatem, virtutem nominamus - - - non in istis nominibus quædam diversa, sed unum illud, quod est essentia, vel natura, certissime noverimus. S. Bernardus lib. 5. de considerat. cap. 6: *Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, & quidquid tale de DEO dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est, nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse.*

Interim inter prædicata DEI absoluta tam comparate quoad se, quam quoad essentiam, omnino admitti debet distinctio rationis, & quidem ratiocinatæ. Nam Concilia, Scriptura & Patres loquuntur de attributis, & essentia divina tanquam multis: ergo sunt multa in aliquo sensu, non in reali: ergo in sensu formali. Ant. prob. Christus Joann. 16 v. 15 ait: *Omnia quæcunque habet pater, mea sunt.* Apostolus ad Rom. 1 v. 20: *invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Concilium Florentinum Sess. 18: *omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio dedit, præter esse Patrem.* S. Basilius, Gregor. Nyssen. & Nazianz. cum aliis multis ex professo Eunomii errorem refutant. Ratio est manifesta. Quippe illa distinguuntur distinctione rationis ratiocinatæ, quæ tametsi unam & simplicissimam habeant entitatem, pluribus tamen distinctis æquivalent, ac diversos effectus producunt, unde menti nostræ fundamentum præbent diversorum conceptuum: atqui essentia DEI cum attributis comparata, & attributa ad se invicem, tametsi habeant simplicissimam entitatem, tamen ob suam præstantiam & excellentiam pluribus distinctis æquivalent, multosque ac diversos effectus producunt: ergo. 103

Dices 1. In DEO datur sapientia, justitia &c. 104
Sed hæ sunt accidentia realiter a substantia distincta: ergo datur distinctio realis. 2. SS. Patres passim dicunt justitiam, sapientiam &c. non esse DEI substantiam, & variis nominibus varias perfectiones

significari. 3. Intellectus DEI ex ipsa natura rei intelligit, voluntas non intelligit, sed vult : ergo ante omnem operationem mentis distinguuntur. Resp. ad 1. conc. maj. dist. min. hæc sunt accidentia realiter distincta in creatis, conc. min. in Deo, neg. min. nam Deus non solum est sapiens, justus &c. sed etiam ipsa justitia, & sapientia. Ad 2. dist. ant. Patres hoc dicunt, & loquuntur de sensu reali, neg. ant. de sensu formali, conc. ant. Etsi Patres, quando agunt contra Eunomium, non nunquam durius videantur loqui, & entitativam distinctionem indicare, nihilominus ne sibi aut aliis Patribus contradicant, benignius interpretandi sunt de distinctione solum formali cum fundamento in re, ut etiam intelligitur ex scopo, quem sibi præfixum habebant, nempe confutare errorem Eunomianorum. Ad 3. neg. ant. In sensu reali, in quo etiam voluntas divina cognoscit, & intellectus vult; quamquam in communi usu, in quo solent accipi formaliter, non ita loqui soleamus.

105 Dices 2. SS. Patres sæpe dicunt, ea quæ de Deo prædicantur, tantum esse diversa nomina, quibus idem omnino significetur : ergo inter prædicata absoluta DEI non datur distinctio rationis ratiocinatæ. 2. In Concilio Rhemensi statutum fuit : *Ne ratio in Theologia dividat inter naturam & personam :* ergo multo minus ratione distingui possunt prædicata absoluta. 3. Ubi non dantur plures & diversi conceptus objectivi, non possunt dari plures conceptus formales ; sed in Deo non dantur plures & diversi conceptus objectivi : ergo. Resp. ad 1. dist. ant. quibus idem omnino significatur realiter, conc. ant. formaliter, neg. ant. Sicut Patres, quando egerunt contra Eunomium, solum voluerunt indicare distinctionem formalem, ita quando disputarunt contra Porretanum, solum voluerunt excludere distinctionem realem entitativam. Ad 2dum dist. ant. ne ratio dividat inter naturam & personam

eo modo, quo divisit Porretanus, nempe entitative & realiter, conc. ant. ne dividat formaliter, aut virtualiter, neg. ant. Ad 3 dist. maj. ibi non possunt dari plures conceptus formales enunciativi & exclusivi, conc. maj. præcisivi, neg. maj. Quamvis non possimus judicare in Deo varias esse rationes objectivas, seu perfectiones, possumus tamen unam formaliter cognoscere, & ab altera præscindere, quod sufficit ad distinctionem rationis ratiocinatæ.

QUÆSTIO IV.

In quibus prædicatis consistat essentia DEI.

Sicut essentiæ rerum aliarum, sic essentia DEI dupliciter considerari potest, physice vel metaphysice. Essentia metaphysica sunt illa prædicata essentialia, quæ per modum generis, & differentiæ rem constituunt, ejusque definitionem ingrediuntur. Ad essentiam vero physicam pertinent omnia essentialia rei constitutiva, sive dein per modum generis & differentiæ, sive aliter rem constituant. Essentia physica rerum corporearum, quæ ex pluribus partibus coalescunt, juxta Philosophos consistit in iisdem partibus essentialibus realiter distinctis e. g. essentia physica hominis in corpore & anima rationali inter se unitis. Cum autem Deus sit ens simplicissimum, & nullas partes realiter distinctas habeat, essentia illius physica aliunde repeti debet, videlicet ex perfectionibus & prædicatis essentialibus secundum nostrum concipiendi modum inter se distinctis. Porro an omnia prædicata DEI sint perfectiones, controvertunt auctores. Multi existimant relationes divinas Paternitatem, Filiationem &c. item actus DEI contingentes, supposito quod adæquate Deo sint intrinseci, quoad terminationem esse prædicata neutra, quæ neque sint perfectio, neque imperfectio. 106

107 Hoc tamen non obſtante Theologi facile conveniunt, quod eſſentia phyſica DEI conſiſtat in plenitudine eſſendi, ſeu in plenitudine & cumulo omnis perfectionis abſolutæ & neceſſariæ, cum nulla ſit ratio ullam ab eſſentia phyſica etiam formaliter tantum excludendi. Aliud eſt de relationibus divinis & terminationibus contingentibus voluntatis & intellectus divini. Nam 1 terminationes contingentes e. g. volitio & viſio hujus mundi antecedenter a Deo fuerunt ſeparabiles: prædicata autem eſſentialia nunquam poſſunt ab eſſentia DEI abeſſe. 2. Si relationes divinæ eſſent de eſſentia DEI, eſſentia phyſica DEI adæquata non eſſet communis tribus perſonis, cum utique e. g. Paternitas non ſit communis Filio, adeoque nulla perſona divina haberet ſibi identificatam totam eſſentiam divinam, nullaque eſſet adæquate Deus, cum tamen juxta Concilium Nicænum Filius ſit *DEUS de DEO, perfectus de perfecto, plenus de pleno.*

108 Major controverſia eſt circa eſſentiam metaphyſicam DEI. Inter plures ſententias duæ ſunt præ reliquis celebres. Prima eſt Haunoldi, Petavii, Eſparzæ, Antonii Mayr &c. qui Deum definiunt, quod ſit ens a ſe, ſeu eſſentialiter, & neceſſario a ſe ipſo exiſtens, quia ipſe Deus Moyſi interroganti, quis eſſet, Exodi 3 v. 14 reſpondit: *Ego ſum, qui ſum.* Quæ verba, ne ſint identica & nugatoria, ac de quolibet ente dici poſſint, juxta iſtos auctores hunc ſenſum faciunt: Ego ſum, qui eſſentialiter & neceſſario a me ipſo exiſto. Cum SS. Patres paſſim aſſerant, per verba illa: *Ego ſum, qui ſum,* ſive ens a ſe, ſignificari ſingulariſſimam DEI notam, adeoque aptiſſima eſſe ad explicandam eſſentiam DEI, quia in illis continetur differentia primo conſtitutiva & diſtinctiva DEI ab omni, quod non eſt Deus, alias vero perfectiones non ſignificare ſubſtantiam DEI, ſed eſſe attributa, qualitates &

pro-

proprietates, quæ juxta S. Damaſcen. Lib. 1 de orthod. fide, cap. 4 naturæ inſunt, juxta S. Chryſoſtomum Homil. 1 de incomprehenſibili DEI natura ſunt *circa ſubſtantiam & ex ſubſtantia.*

Itaque juxta hos auctores prædicatum *entis* ſe habet per modum generis; quamvis enim in ſenſu ſtricto Deus non ſit in aliquo genere, in quantum videlicet genus dicit aliquam perfectibilitatem, & adæquate eſt extra conceptum differentiæ: eſt nihilominus Deus in aliquo genere, ſi genus ſumatur latius pro prædicato, quod eſt aliquo modo commune Deo & creaturis. 2. Prædicatum aſeitatis ſe habet per modum differentiæ, quia per hoc Deus ab omni alio ente differt primario tam negative, quam poſitive. Poſitive, in quantum præſupponitur ad omnia reliqua prædicata, quæ cuncta ex aſeitate velut radice emanant, & inferri poſſunt. Negative, in quantum aſeitas non præſupponit aliud prædicatum prius; nam licet potentia exiſtendi contingenter ab alio ſit prior actuali exiſtentia, non ita prior eſt potentia neceſſario exiſtendi a ſe, ſed formaliter includit vel præſupponit actualem exiſtentiam, cum nihil ſibi ipſi poſſit eſſe ſufficiens ad exiſtendum, niſi actu exiſtat. 3. Reliqua omnia prædicata etiam neceſſaria & abſoluta ſunt mera attributa, ſine quibus tota eſſentia DEI formaliter poteſt concipi, & quidem in linea eſſentiæ ut perfectiſſima, eſto, quod non concipiatur etiam ut perfectiſſima in linea aliarum perfectionum. 109

110 Altera ſententia, quam tenet Suarez, Ruiz, Gormaz &c. docet etiam eſſentiam metaphyſicam DEI conſiſtere in plenitudine eſſendi; ſeu in plenitudine omnis perfectionis abſolutæ & neceſſariæ; quippe juxta S. Hilarium, Auguſtinum, Bernardum, aliosque Patres, quando Deus ad Moyſen dixit: *Ego ſum, qui ſum.* per hæc verba: *qui ſum* (hebraice,

 Jeho-

Jehova) voluit significare ipsam plenitudinem essendi seu omnium perfectionum: ergo Deus recte per plenitudinem essendi definitur. Deinde essentia metaphysica nihil aliud est, quam definitio objectiva essentiæ physicæ: ergo sicut plenitudo essendi formaliter constituit essentiam physicam, sic etiam formaliter constituit essentiam metaphysicam, alias definitio non adæquaret suum definitum. Unde essentia physica & metaphysica tantum distinguuntur distinctione rationis ratiocinantis, in quantum essentia physica concipitur per modum totius physici, unamquamque perfectionem, ex quibus cumulus omnium constituitur, quasi singulariter attingendo, essentia vero metaphysica per modum totius metaphysici constantis ex genere & differentia, ut fit in hac definitione: *Ens habens omnem perfectionem absolutam & necessariam.*

III Neque videntur obstare Patres pro prima sententia citati. Nam 1. Quando dicunt per verba, *qui sum*, significari aseitatem, existendi necessitatem &c. non addunt significari hanc solam perfectionem, non vero alias, quod plane gratis diceretur. 2. Quando afferunt reliquas perfectiones non esse substantiam, sed ex illa, in illa, circa illam, agunt contra Eunomium, & solum volunt singulas illas perfectiones ratione nostra differre tum inter se, tum ab essentia saltem inadæquate, imo græcum adverbium περι (quo Patres utuntur) non solum *circa*, sed etiam *in* significat. 3. Quando easdem perfectiones vocant proprietates & attributa, vel solum loquuntur de actibus DEI contingentibus, aut relationibus divinis, vel has voces sumunt in sensu latiore. Certe nomen, *qui est*, ex communi Patrum consensu est Deo maxime proprium, & tamen juxta primam sententiam in hoc nomine, intellecto pro aseitate, essentia DEI constituitur. Cæterum vocem qualitatis a S. Augustino lib. 15 de Trinit. cap.

cap. 5. dicunt uſurpari, ſed ſi legatur textus integer, prout a Patronis ſecundæ ſententiæ citatur, nihil obſtat, quia S. Doctor ſtatim addit: *Quidquid autem ſecundum qualitatem de DEO dici videtur, ſecundum ſubſtantiam & eſſentiam dicitur.*

DISPUTATIO III.

De quibusdam DEI perfectionibus in particulari.

Cum perfectiones DEI formaliter ſint infinitæ, 112
impoſſibile foret ſingulas recenſere. Hinc ſolum adhuc aliquas breviter expendemus, quarum notitia ad infinitatem & excellentiam DEI plenius intelligendam magis ſervire videtur. Prius tamen præmittere juvat regulam quamdam univerſalem, ex qua dignoſci valeat, utrum aliqua perfectio Deo conveniat proprie, vel tantum improprie & metaphorice. Eſt autem juxta S. Auguſtinum lib. 2 ad Simplicianum iſta: Tunc perfectio aliqua Deo convenit proprie, quando detractis per præciſionem formalem imperfectionibus, quas admixtas habet in creatis, manet adhuc ratio ſignificata per nomen talis perfectionis; ſi autem hæc ratio non maneat, talis perfectio Deo convenit ſolum improprie & metaphorice. In exemplo. Ratio ſignificata per virtutem miſericordiæ eſt bonitas ſubveniendi, & liberandi alterum a miſeria, eaque manet, etſi per præciſionem formalem detrahatur compaſſio fundata in capacitate eandem miſeriam participandi. Hinc virtus miſericordiæ proprie Deo convenit. At ſi a pœnitentia detrahatur dolor & anxietas, non amplius manet ratio per nomen Pœnitentiæ ſignificata, & ideo Pœnitentia nonniſi in ſenſu improprio & metaphorico Deo tribuitur.

QUÆSTIO I.

De Bonitate & Sanctitate DEI.

113 Bonum proprie dicitur, quod est perfectum: bonitas rei, ejus perfectio; hinc sicut perfectio duplex est, alia naturæ, alia moris, ita etiam bonitas alia est naturalis, alia moralis, quæ virtus & sanctitas dicitur. Bonitas naturalis rursus alia est absoluta, alia respectiva. Bonitas absoluta in Deo est excellentia divinæ naturæ, per quam habet omnem perfectionem in toto genere entis; unde etiam complectitur sanctitatem, benignitatem, aliaque divina attributa, quatenus ad naturæ divinæ perfectionem pertinent. Dari hanc bonitatem in Deo patet ex disput. præced. ubi ostendimus, illum esse ens, quo nihil melius, aut sublimius cogitari possit, in omni genere perfectionis infinitum. Ideo Marci 10 v. 18 solus dicitur *bonus*, videlicet propter excessum divinæ bonitatis supra omnem aliam bonitatem. *Universa*, inquit S. Augustinus Serm. 384 de Trinitate, *præcellit. Si enim quæras magnitudinem, major est, si dulcedinem, dulcior, si splendorem, fulgidior, si justitiam, justior, si pietatem, clementior; nulla enim ratio patitur, ut vel factura factori suo æquetur, vel opus artifici comparetur.*

114 Ut summam bonitatis absolutæ excellentiam ostendat Lessius lib. 7 de divin. perfect. quadruplex discrimen inter perfectionem DEI & creaturæ etiam excellentissimæ assignat. Primum, quod Deus perfectionem suam non habeat ab alio, sed tantum a seipso. Secundum, quod omnem suam perfectionem habeat per simplicem suam essentiam, nulla alia forma vel modo reali accedente. Tertium, quod perfectio DEI sit prorsus illimitata & infinita. Quartum, quod nunquam possit augeri, vel minui; cum enim actu habeat omnem perfectionem possibilem, nulla

nulla eidem poteſt fieri acceſſio, & quia illam habet per eſſentiam a ſe ipſo, non poteſt fieri ulla detractio, ſed deberet ipſam ſuam eſſentiam amittere, ſi vel minimum quid ſuæ perfectionis deſereret. Merito igitur David Pſalm. 144 v. 3 exclamat: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis*; in quæ verba S. Auguſtinus ait: *ideo dixit nimis, quia magnitudinis ejus non eſt finis; ne forte incipias velle laudare, & putes te laudando poſſe finire - -- illius magnitudo ſine fine eſt, & tua laudatio ſine fine ſit.*

Per bonitatem DEI reſpectivam Cardinalis Got- 115
ti intelligit ſummam ejus amabilitatem, Leſſius vero ſummam benignitatem, & beneficentiam. Amabilitatem quod attinet, unumquodque in tantum eſt amabile ſeu conveniens appetitui, in quantum eſt bonum. Cum igitur Deus ſit ſummum & infinitum bonum, ſumme ac infinite amabilis eſt. Hæc ipſa amabilitas nobis magis commendatur per benignitatem & beneficentiam DEI. Nam quia Deus eſt infinite perfectus, libere quidem, nihilominus naturaliter propendet ad ſe communicandum inferioribus, totque beneficentiæ ſuæ teſtimonia nobis præbuit, quot opera naturæ & gratiæ in commodum noſtrum produxit. Hinc recte S. Dionyſius de divin. nomin. cap. 4 dixit: *Amorem divinum eſſe vim motricem & ſurſum trahentem in DEUM, qui ſolus eſt ipſum per ſe pulchrum & bonum.* Item eſſe *manifeſtationem DEI.* Amor enim Deum movit, ut ſe creaturis præſertim rationalibus communicaret, tum per earum creationem & perpetuam gubernationem, tum per doctrinam, illuminationem, & juſtificationem, tum denique per glorificationem, qua ſe aperte in cœlo manifeſtabit omnibus ſanctis.

Bonitas moralis, quæ generatim nihil aliud eſt, 116
quam perfectio morum in actu vel habitu, & in

Scripturis etiam juſtitia vocari ſolet, in creatis quidem conſiſtit in conformitate actionum cum lege DEI. Quia autem Deus nec ſuperiorem, nec legem habet, ejus ſanctitas potius ex conformitate cum rectiſſima ratione & ipſa eſſentia divina deſumi debet, eſtque longe altioris ordinis; non enim voluntas actionesque divinæ accidentario tantum modo rationi ac infinitæ perfectioni divinæ conformes ſunt, ſed eſſentialiter, & ab intrinſeco ac infinite; quippe creatura rationalis ſimpliciter dicitur ſancta, in quantum accedit ad regulam divinæ bonitatis, ſeque cum Deo per amorem conjungit. Cum igitur Deus per ipſam ſuam eſſentiam ſit regula & fons omnis bonitatis, & ſe ipſum infinite amet, ſanctitas DEI eſt ſumma ac infinita. Hinc Exodi 15 v. 11 dicitur: *magnificus in ſanctitate*, & Iſai. 6 v. 3: omnes angeli in cœlis ei continuo proclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

117 Porro juxta laudatum ſæpius Leſſium lib. 8 de perfect. divin. Deus quinque potiſſimum modis Sanctus dicitur. 1. Radicaliter, in quantum noſtro modo concipiendi ex ſanctitate DEI omnis lex divina & regula honeſtatis oritur. 2. Objective, quia eſt objectum omnis ſanctitatis, quæ juxta dicta conſiſtit in amore & conjunctione cum Deo. 3. Exemplariter, ſeu per modum regulæ, quatenus per ſuam legem eſt regula omnis honeſtatis. 4. Formaliter; nam ſanctitas formaliter eſt puritas affectus, puritas autem affectus eſt amor DEI; quare cum ipſe Deus ſit amor ſui, formaliter eſt ſua ſanctitas. Hinc quidquid rectitudini legis adverſatur, neceſſario ſummo odio perſequitur. 5. Eminenter & cauſaliter; eſt enim fons & principium omnis ſanctitatis & puritatis creatæ. Principium, inquam, tum efficiens ſanctitatem in Angelis & hominibus, tum exemplare, tum finale; quippe omnis ſanctitas creata dirigitur in Deum, ejusque gloriam tanquam in finem. Ideo namque omnis creatura ſanctificatur, ut

ut Deo tanquam ultimo fini inhæreat, eum honoret, laudet, ac in æternum glorificet.

Dices 1. Bonum juxta Philosophum 1 Ethic. 118
est, quod omnia appetunt; atqui Deum non omnia appetunt, quia non omnia eum cognoscunt: ergo. 2. Bonum infinitum debet infinite appeti; sed Deus non appetitur infinite: ergo. 3. Bonum est communicativum sui, & exclusivum mali; sed Deus ante creationem mundi se non communicavit, neque post illam omnia mala excludit: ergo. Resp. ad 1 dist. maj. hoc est, quidquid appetitur, est bonum, conc. maj. quidquid est bonum, appetitur, neg. maj. In propositione Aristotelis bonum non debet accipi pro subjecto, sed pro prædicato. Ad 2. neg. min. & suppositum, quod Deus a creaturis infinite possit appeti. A se ipso tamen suo modo infinite appetitur. Ad 3. conc. maj. neg. min. Deus ab æterno se communicavit ad intra, ad extra autem in tempore, idque libere, cum ob infinitam suam perfectionem sibi ipsi sit sufficientissimus. Quamvis autem omne malum necessario excludat a se ipso, habuit tamen fines prudentissimos, ut aliqua ad extra permittat, ut patet ex Nro. 49 & 50; imo est dogma Catholicum, quod Deus ipse possit esse causa illorum malorum, quæ culpa carent, uti sunt pœnæ, morbi, mors. Licet malum culpæ, quod proprie & revera malum est, solum possit permittere.

QUÆSTIO II.

De Necessitate & Omnipotentia DEI.

Deus in duplici sensu potest dici ens necessarium, 119
1. Quatenus sine Deo absolute nullum aliud ens potuit existere. 2. Quatenus ipse Deus necessario semper existit. Utramque hanc necessitatem Deo convenire manifesta docet ratio; cum enim omnia reliqua entia sint imperfecta & contin-

gentia,

gentia, consequenter neque seorsim, neque simul sumpta sibi ad existendum sufficiant, ut demonstravimus No. 44, patet, quod omnia suam existentiam necessario debeant habere a Deo. At vero nisi Deus necessario semper exstitisset, etiam ipse ad existentiam suam debuisset determinari, & a possibilitate ad statum existentiae actualis quasi transferri; atqui hoc nec ab alio, nec ab ipso DEO fieri potuit; non ab alio, quia nihil aliud ante Deum potuit existere: non ab ipso Deo; si enim Deus seipsum ad existendum determinasset necessario, hoc ipso non contingenter, sed necessario semper exstitisset. Si vero seipsum ad existendum determinasset libere, jam habuisset libertatem, antequam exstitisset, quod in terminis implicat. Accedit, quod per se clarum sit, nullam rem posse a seipsa incipere, & prodire ex nihilo, ut recte advertit Arriaga. Hinc quando videmus aliquid de novo oriri, ex instinctu naturali inquirimus in causam ab eo distinctam.

120 Omnipotentiam Deo reipsa denegarunt 1 illi Polythei, qui plures Deos, aut plura prima rerum principia adstruxerunt, ut Marcionatae, Manichaei &c. 2. Qui admiserunt materiam aliquam increatam aut aeternam, uti Origenes, qui docuisse dicitur, omnes res creatas exstitisse ab aeterno, & tantum praecise Deum facere potuisse, quantum ei ad operandum materia ministraverit. 3. Petrus Abailardus, Wicleffus, & Calvinus, qui asseruerunt, Deum nihil posse amplius, quam quod fecit, & futurum esse praenunciavit. 4. Huc etiam referri possunt plerique hujus temporis sectarii, qui divinae potentiae multum detrahunt tanquam secum pugnantia, &, ut ajunt, involventia contradictionem; cum revera non solum fieri absolute queant, sed etiam esse facta divinis ex Scripturis consequentiae necessitate deducatur, e. g. quod idem corpus in pluribus

bus locis poſſit collocari, ut in myſterio Euchariſtiæ contingit.

Verum ſi quæ veritas in ſacra Scriptura clare 121
continetur, certe id de omnipotentia DEI dici poteſt. Quippe in illa, teſte Leſſio, Deus plusquam ſeptuagies vocatur omnipotens. Idem multis aliis in locis diſerte aſſeritur, utt Marci 10 v. 27: *Omnia poſſibilia ſunt apud DEUM.* Luc. 1 v. 37: *Non erit impoſſibile apud DEUM omne verbum.* Ergo potentia DEI neutiquam eſt limitata ad illa, quæ Deus actu fecit, aut ſe facturum prænunciavit, cum utique præter hæc plurima alia ſint poſſibilia. Eandem veritatem non ſolum profitentur SS. Patres apud Petavium, & Chriſtiani in ſymbolo: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ,* ſed etiam pagani & idololatræ, ut teſtatur S. Auguſtinus Serm. 139 de tempore cap. 2 his verbis: *Non dico, da mihi Chriſtianum, da mihi Judæum, ſed da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum ſervum, qui non dicat, Deum eſſe omnipotentem. Negare Chriſtum poteſt, negare omnipotentem Deum non poteſt.* Eſtque hic articulus fundamentum noſtræ Religionis, cum præcipua ejus dogmata de creatione, conſervatione & gubernatione mundi, de Incarnatione, Euchariſtia &c. eo nitantur.

Ratione omnipotentia divina probatur 1. Illud 122
agens recte dicitur, & eſt omnipotens, quod poteſt facere, quidquid non implicat contradictionem, & poteſt fieri absque defectu operantis; atqui Deus hoc poteſt, aliàs non eſſet ens, quo melius excogitari nequit: ergo. 2. Potentia agendi ad extra proportionata eſt eſſentiæ divinæ, ejusque modo exiſtendi: ergo ſicut eſſentia divina eſt infinitæ excellentiæ, ſic etiam potentia agendi ad extra: & ſicut Deus pleniſſime ſibi eſt ſufficiens ad exiſtendum, quin ab ulla alia re dependeat, ſic etiam eſt pleniſſime ſibi ſufficiens ad producendum, quodcunque vult, quin ab ulla re creata dependeat.

3. Ex

3. Ex una parte possibilia sunt entia creata plura & plura, perfectiora ac perfectiora in infinitum. Ex altera parte hæc omnia distributive sumpta Deus potest producere: ergo est omnipotens. Ant. quoad 1 membrum constat, quia quodlibet ens finitum est imperfectum, quatenus caret majore perfectione, quæ datur, vel dari potest in alio ente: ergo quolibet ente finito possibile est perfectius. Alterum membrum probatur ex eo, quia nihil potest esse possibile, quin detur aliqua causa, a qua præcontineatur: talis causa autem est Deus, sine quo absolute nihil potest existere, ut superius ostendimus.

123 Dices 1. Si Deus esset infinite potens, deberet posse producere effectum infinitum; nam effectus debet posse correspondere causæ, & alias Deus plura cognosceret, quam facere potest: consequenter ejus potentia ab illius scientia excederetur. Conf. Si darentur infinitæ causæ realiter distinctæ, possent producere infinitos effectus realiter distinctos: ergo si Deus esset infinite potens, deberet posse producere effectum infinitum, quia deberet posse tantum, quantum possent causæ infinitæ, si existerent. Resp. dist. maj. deberet posse producere effectum syncategorematice infinitum, conc. maj. categorematice infinitum, neg. maj. effectus non debet ita posse commensurari causæ, ut sit tam perfectus quam ipsa causa, sed tantum in hoc sensu, quod causa, quo perfectior est, eo perfectiorem debeat posse producere effectum. Porro quamvis Deus infinita cognoscat simul simultate cognitionis, non tamen cognoscit illa simul esse possibilia simultate objecti, & nihil cognoscit esse possibile, quod divina potentia non potest producere. Ad conf. transf. ant. neg. conf. ex eo, quod una chimæra, si existeret, produceret alteram, non sequitur, quod etiam Deus debeat posse producere chimæram, qualis est omne infinitum categorematicum creatum, ut supponit objectio.

Dices 2. Deus non poteſt peccare, neque facere, ut præterita e. g. Adamus & Eva non fuerint, licet Adamus & Eva non eſſe potuiſſent: ergo non poteſt omnia, quæ cognoſcit eſſe poſſibilia. Conf. Voluntas & potentia DEI ſunt idem: ergo potentia DEI ſe tantum extendit ad ea, quæ Deus vult; atqui non vult omnia poſſibilia: ergo. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. non poteſt omnia quæ cognoſcit eſſe poſſibilia præciſe in ſe, tranſ. conſ. poſſibilia reſpectu DEI, neg. conſ. Cum peccare ſit defectus, in Deo nec debet, nec poteſt dari potentia ad hunc effectum, ſaltem ita, ut Deus denominetur peccans; nam mere phyſice & ex determinatione creaturæ etiam in peccatum influit: quamquam autem illa, quæ præterierunt, antecedenter potuerint eſſe vel non eſſe, implicat tamen, ut actu præterita nunquam fuerint; unde quod Deus conſequenter non amplius poſſit facere, ut non fuerint, nihil demit ejus omnipotentiæ. Neque ex defectu virtutis divinæ provenit, quod Deus non poſſit facere impoſſibilia, ſed ex intrinſeca eorum ineptitudine ad exiſtendum. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Deus non debet velle omnia producere, quæ poteſt; hinc licet voluntas & potentia DEI ſint realiter idem quoad entitatem, ideo non debent eodem modo ſe extendere ad ſua objecta. 124

QUÆSTIO III.

De Immenſitate, & Præſentia DEI.

Immenſitas DEI deſcribi poteſt, quod ſit aptitudo & exigentia, per quam Deus eſſentialiter determinatur, ut omnibus rebus per eſſentiam ſuam intime præſens ſit absque ulla limitatione & termino. Dicitur 1. Exigentia & aptitudo, per quam Deus eſſentialiter determinatur, ut hac ratione immenſitas DEI ſuo modo diſtinguatur ab ubiquitate 125

tate ſeu omni præſentia actuali. Hæc enim præter immenſitatem DEI involvit actualem coexiſtentiam rerum creatarum, & ſi complete accipiatur, eſt prædicatum contingens: immenſitas autem eſt prædicatum neceſſarium Deo competens ab æterno, antequam ulla creatura conderetur. Dicitur 2. Ut rebus omnibus intime præſens ſit per ſuam eſſentiam ſeu ſubſtantiam, & non tantum per ſcientiam, qua omnia cognoſcit, & gubernat, nec tantum per operationem, qua res omnes producit, conſervat, & in illis operatur. Dicitur 3. Absque ulla limitatione & termino, id eſt, modo quodam infinito & ſimpliciſſimo, vi cujus tota ſubſtantia divina ſine diffuſione, multiplicatione, aut contactu phyſico eſt in omnibus & ſingulis loci partibus, quin Deus in ullo loco contineri, aut ita definiri poſſit, ut tantum præciſe ſpatium occupet.

126 Circa immenſitatem DEI ita declaratam errarunt 1 illi Philoſophi, qui putarunt Deum eſſe tantum in primo cœlo, & quidem ex parte orientali, ut inde ceu primus motor cœlis motum ſuum imprimeret, de quo errore, teſte Juſtino Martyre in parænetico ad Græcos pag. 6 ipſe Plato, & Ariſtoteles ſuſpecti fuere. 2. Quidam Judæi aſſerentes, Deum reſidere in ſolo templo Hieroſolymitano. 3. Ex antiquis hæreticis Valentiniani, Gnoſtici, Manichæi &c. qui cum duo rerum principia unum bonum, alterum malum admitterent, illud in regione lucis, iſtud vero in regione tenebrarum collocarunt, ut in epiſt. Fundamenti cap. 23 teſtatur S. Auguſtinus. 4. Sociniani, & Conradus Vorſtius Calviniſta, qui quidem fatentur, Deum rebus omnibus adeſſe per potentiam & præſentiam ſive ſcientiam, at per eſſentiam tantum in cœlo reſidere. Simile quid docuit Auguſtinus Steuchus Eugubinus in Pſalm. 138, de cætero Theologiæ minime rudis.

Con-

Contra hos Catholica veritas eſt, quod Deus ſit 127
immenſus & rebus omnibus intime præſens non tantum cognitione & operatione, ſed eſſentia. Probatur 1 manifeſtis Scripturæ teſtimoniis. Sic Baruch 3 v. 25 de Deo dicitur: *Magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus.* Job. 11 v. 8: *Excelſior cœlo eſt - - profundior inferno - - longior terra menſura ejus & latior mari.* 3 Regum 8 v. 27: *Si cœli cœlorum capere te non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi.* Jerem. 23 v. 24: *numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus.* Quos textus hæretici fruſtra exponere nituntur de omni præſentia virtutis & efficaciæ. De hac enim nulla fit mentio, ſed ſolum de omni præſentia eſſentiæ & immenſitate, quam unanimi conſenſu etiam adſtruunt SS. Patres apud Tournelium & Petavium. Audiamus S. Auguſtinum Epiſtol. 187, alias 57, ad Dardanum. *Eſt ergo DEUS,* inquit cap. 4, *per cuncta diffuſus - - non tamen per ſpatia locorum quaſi mole diffuſa, ita ut in dimidio corpore ſit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus, ſed & in ſolo cœlo totus, & in ſola terra totus, & nullo contentus loco, ſed in ſeipſo ubique totus.*

Hinc in ſymbolo S. Athanaſii profitetur Eccle- 128
ſia: *Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus.* & in cap. Firmiter de ſumma Trinit. & fid. Cathol. Concilium Lateranenſe diſerte ait: *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus DEUS, immenſus, æternus & incommutabilis.* Ratio eſt, quia nullo loco terminari, ſed eſſentialiter eſſe determinatum ad exiſtendum, ubicunque aliquid pro ulla temporis differentia exiſtet, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex & illimitata. Econtra rem eſſe alicubi ita, ut non ſit alibi, ſed conſtringatur loco, eſt imperfectio & limitatio perfectionis; atqui Deus in omni genere perfectionis eſt illimitatus, & in ſe continet omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Conf. Si Deus non

essetubique, & jam actu in omni spatio, in quo aliquid potest esse, tunc vel absolute posset in tali spatio existere, vel non? Si Primum: ergo jam actu in tali spatio existit; alias esset mutabilis. Si secundum: careret aliqua perfectione, quam aliud ens potest habere, adeoque non esset infinite perfectus in omni genere perfectionis.

129 Dices 1. Scriptura passim existentiam DEI in quibusdam locis, aut rebus ita asserit, ut videatur negare, eundem in aliis quoque locis existere. Ait enim Deum habitare in templo & cœlo tanquam sede sibi propria, eundem esse in justis, ad nos accedere, nobiscum ambulare, ab impiis recedere &c. Conf. Si Deus esset ubique, non magis esset in cœlo, quam in inferno, aut quavis cloaca; hoc est absurdum: ergo. Resp. per tales loquendi formulas Scripturam non negare Deum rebus omnibus inesse per essentiam, sed solum indicare, quod in certis quibusdam rebus aut locis insuper sit modo quodam peculiari, econtra ab aliis absit. Sic in templis specialiter vult coli, in cœlo magnificentius explicat suam gloriam, in justis est per gratiam inhabitantem, ad nos accedit, & nobiscum ambulat per specialia beneficia & protectionem, quam impiis subtrahit. Ad conf. transf. maj. ob primum dicta, neg. min. Cum Deus in rebus creatis non existat per modum substantiæ corporeæ, sed per modum purissimi spiritus, tam parum ideo potest coinquinari, quam solis radii, qui sine ulla coinquinatione etiam fœdissima loca illuminant. Quo exemplo rem istam declarat S. Augustinus.

130 Dices 2. Juxta SS. Patres Deus est nullibi, & non nisi per abusum dicitur esse in loco, nec permeat rerum substantias, sed eas duntaxat efficit. Conf. Si Deus creasset unicum granum papaveris, & in illo existeret, esset ubique, nec tamen propterea esset immensus, sicut ipsum granum papaveris non

est

eſt immenſum : ergo licet Deus defacto exiſtat ubique, ideo non ſequitur, quod ſit immenſus. Reſp. Quod SS. Patres immenſitatem DEI unanimiter adſtruant, nemo in illis verſatus poterit negare; hinc ſolum volunt, Deum eſſe nullibi circumſcriptive & diviſibiliter per modum rerum corporearum; item quod ſubſtantias rerum non permeet tanquam pars vel anima mundi, ut Stoici ſomniarunt. Ad conf. diſt. ant. propterea non eſſet immenſus, ſi præciſe exiſteret in illo grano papaveris, conc. ant. ſi ſimul eſſet eſſentialiter determinatus ad exiſtendum, ubicunque aliqua creatura poteſt exiſtere, neg. ant. & ſub eadem diſtinct. diſt. conſ. Deus non eſt immenſus præciſe ideo, quia intime eſt præſens omnibus rebus creatis, ſed quia eſſentialiter eſt determinatus ad exiſtendum, ubicumque adhuc aliæ creaturæ producerentur, idque ſine termino.

Quæres. An Deus etiam exiſtat extra mun- 131
dum, ſeu in ſpatiis imaginariis? Rem hanc ut plurimum pertinere ad modum loquendi, in quo nec ipſi SS. Patres conſpirant. Si itaque, primo, per ſpatia imaginaria intelligantur ſpatia creata a Deo diſtincta, quæ extra hunc mundum poſſent exiſtere, de facto tamen non exiſtunt, Deus proprie & abſolute loquendo non poteſt dici in ſpatiis imaginariis exiſtere; nam Deus proprie & abſolute non exiſtit in eo, ſeu quod idem eſt, non coexiſtit ei, quod actu nihil eſt, ſed mere eſſe poteſt. Si vero, ſecundo, per ſpatia imaginaria intelligatur ipſa immenſitas DEI, quæ a nullis mundi ſpatiis includitur, ſed eminenter continet ſpatia majora & majora in infinitum, & idcirco a nobis concipitur, & imaginationi noſtræ repræſentatur inſtar alicujus ſpatii in infinitum extenſi, poteſt dici, quod Deus exiſtat in ſpatiis imaginariis, quia hoc nihil aliud eſt, quam Deum exiſtere in ſe ipſo, vel in ſua immenſitate, quæ nullo finito ſpatio, quale eſt omne ſpatium creatum actu exiſtens, terminari poteſt.

QUÆSTIO IV.

De Immutabilitate, & Æternitate DEI.

132 Mutatio est transitus ab una denominatione ad aliam. Dividi potest in mutationem physicam, moralem & mere relativam seu extrinsecam. Mutatio physica datur, quando aliquid transit a non esse ad esse, vel ab una forma, aut actione intrinseca & immanente ad aliam. Mutatio moralis foret, si quis mutaret sua decreta, esto, quod hoc fieri posset sine ulla mutatione physica. Mutatio mere relativa & extrinseca est, quando aliquid de novo acquirit denominationem mere extrinsecam, e. g. quando Deus creavit hunc mundum, inde denominatus est creans mundum. Mutatio hæc est valde impropria, & per illam Deo nihil perfectionis accedit, aut decedit; hinc immerito Hermogenes & gentiles quidam Philosophi negarunt, Deum in tempore aliquid procreasse, ne ideo mutabilis videretur. Econtra Deum etiam mutationi physicæ ac morali obnoxium esse dixerunt Stoici, Sociniani, & Vorstius. Simile quid tribuitur Lactantio & Tertulliano, qui in Deo motus quosdam internos lætitiæ, iræ &c. admiserunt, ut jam advertimus Nro. 92.

133 At fide certum est, Deum esse omnino immutabilem, seu essentialiter incapacem omnis mutationis intrinsecæ tam physicæ, quam moralis. Quippe omnis mutabilitas intrinseca est aliqua imperfectio, & physica quidem in subjecto mutabili, vel supponit carentiam alicujus perfectionis, quam potest acquirere, vel aptitudinem ad amittendam perfectionem, quam possidet. Mutatio moralis vero arguit in suo subjecto aliquam ignorantiam vel inconstantiam; atqui nulla imperfectio potest cadere in Deum. Hinc Numer. 23 v. 19 dicitur: *Non est DEUS quasi homo, ut mentiatur, nec ut Filius hominis*

ut mutetur. Malach. 3 v. 6: *ego Dominus, & non mutor.* Prov. 19 v. 21: *multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit.* Jac. 1 v. 17: *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Consentiunt SS. Patres unanimiter, ex quibus S. Augustinus tract. 4 in Epist. 1 Joan. inquit: *mutari nescit, nulla re corrumpitur: nec proficit, quia perfectus: nec deficit, quia æternus est.* lib. 1 confess. cap. 4: *opera mutas, nec mutas consilium.*

Æternitas a Theologis post Boetium lib. 5 de 134
consolatione philosophica prosa 6 communiter definitur, quod sit interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Unde duo ad perfectam æternitatem requiruntur. Primum est, ut sit interminabilis, idest sine initio & fine. Secundum, ut tota simul existat, ac omni mutabilitate careat, quin una pars succedat alteri, adeoque in illa non datur heri, & cras, prius & posterius, præteritum & futurum &c. per quod differt a tempore & ævo. Nam æternitas est duratio nulli prorsus mutationi obnoxia, quæ soli divinitati convenit. Tempus est duratio earum rerum, quarum ipsum esse obnoxium est transmutationi aut in aliqua transmutatione consistit, cujusmodi est omnis motus & esse omnium rerum corruptibilium. Ævum inter tempus & æternitatem quasi medium, est duratio & mensura earum rerum, quæ quidem secundum suum esse substantiale sunt immutabiles, possunt tamen mutari accidentaliter, uti Angeli & animæ rationales, quæ propterea æviternæ dicuntur.

Deum esse æternum, patet 1 ex S. Scriptura 135
Psalm. 89 v. 2: *priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, a sæculo & usque in sæculum tu es DEUS.* Psal. 101. v. 28: *tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* 2. Ex authoritate Patrum Tertull. Gregor. Nazianz. Anselm. &c. Sufficiat nobis allegasse illud S. Augustini Lib. 11 Confess.

cap 19: *præcedis omnia præterita* (DEUS) *celsitudine semper præsentis æternitatis, & superas omnia futura, quia illa futura sunt, & cum fuerint, præterita erunt; tu autem idem ipse es -- anni tui nec eunt, nec veniunt.* 3. Ex ratione. Ex una parte Deus est ens necessarium & incommutabile, quod neque a se, neque ab alia causa potuit accipere initium existendi: ex altera parte Deus etiam nunquam potest deficere: ergo vita DEI est interminabilis tota simul ac perfecte existens sine initio, sine fine, sine omni mutabilitate. Ant. quoad primum membrum constat ex dictis. Quoad secundum, probatur, quia Deus neque potest destrui ab alio, cum sibi soli sufficiat, & a nullo in existendo dependeat, neque potest desinere a se ipso; si enim sibi sufficit ad existendum ab æterno, evidenter etiam sibi sufficit in æternum, neque libere se potest sua existentia privare, quia hoc stultissimum ac crudelissimum foret.

136 Colliges 1. Quod æternitas stricte accepta soli Deo sit propria, & nulli creaturæ possit convenire. Nam licet aliquæ, ut angeli, animæ rationales, beatitudo electorum, & pœnæ reproborum nullum finem sint habituræ, nulla tamen creatura existit, & probabilius nec existere potest ab æterno. Quod si etiam aliqua a Deo ab æterno fuisset producta, hæc æternitas ipsi tantum fuisset accidentalis, & mutationi obnoxia. 2. Imo etiam æviternitas sine fine deinceps duratura nulli creaturæ est essentialis, sed quælibet per absolutam DEI potentiam mori ac destrui posset; hinc 1 ad Timoth. 6 v. 16. dicitur, quod solus Deus sit *Immortalis*, scilicet essentialiter. 3. At vero Deus quoad totum suum esse, & quoad omnes perfectiones æternus est; nam propter summam divinæ essentiæ excellentiam & immutabilitatem, quidquid in Deo est, ipse Deus est, & semper in ipso est, & ipse sua æternitas est. *Anni DEI*, ait S. Augustinus in Psalm. 101, *Anni DEI æter-*

æternitas DEI est, æternitas DEI ipsa DEI substantia est, quæ nihil habet mutabile.

Dices 1. In S. Scriptura Deo tribuuntur differentiæ temporis præteriti, præsentis, & futuri: *Dominus DEUS omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est*, Apoc. 4 v. 8, alias tota æternitas DEI jam nunc existeret, & Deus hodie non extitisset diutius, quam ante mille annos. Conf. Æternitas Deum denominat existentem semper: ergo nunc illum denominat existentem hodie, heri, & cras: sed in terminis implicat, quod Deus nunc existat, hodie, heri, & cras: ergo. Resp. dist. ant. Deo tribuuntur differentiæ temporis, quasi istæ se teneant ex parte ipsius DEI, neg. ant. in quantum se tenent ex parte creaturarum, conc. ant. cum æternitas DEI sit indivisibilis, utique nunc tota existit, & omnes differentias temporum eminenter includit, quin ideo detur successio temporis respectu æternitatis divinæ, aut illi per annos aliquod intrinsecum incrementum accedat. Quando igitur Deus tempore præterito, aut futuro dicitur existere, istæ differentiæ temporum se solum tenent ex parte creaturarum, quæ Deo coexstiterunt, vel coexistent, quæ quia nunc plures sunt, quam ante mille annos, in hoc sensu dici potest, quod Deus nunc diutius existat. Ad conf. conc. ant. neg. consf. forma denominans Deum existentem pro certa temporis differentia non est sola æternitas DEI, sed simul duratio creata correspondens tempori hesterno, crastino &c. 137

Dices 2. Juxta nos quælibet creatura coexisteret toti æternitati divinæ: ergo omnes coexisterent inter se, quia omnes coexisterent eidem tertio. Conf. Si Creaturæ non semper existerent, quando existit DEI æternitas, eidem indivisibili æternitati coexisterent, & non coexisterent: hoc implicat: ergo. Resp. dist. ant. creatura coexisteret toti æternitati di- 138

vinæ totaliter & adæquate pro omnibus temporum differentiis, in ea eminenter contentis, neg. ant. ſolum inadæquate, & pro aliqua temporis differentia, conc. ant. & neg. conſ. Ut duo inter ſe coexiſtant, non tantum inadæquate debent coexiſtere eidem tertio, ſicut non tantum inadæquate eidem tertio debent identificari, quæ identificantur inter ſe. Jam vero creaturæ æternitati divinæ tantum coexiſtunt inadæquate; quamquam enim hæc ſit realiter indiviſibilis, eſt tamen diviſibilis virtualiter & æquivalenter, quia æquivalet infinitis durationibus creatis & diſtinctis. Sic licet anima rationalis ſit indiviſibilis, tamen pes illi quoad locum non niſi inadæquate coexiſtit. Ad conf. diſt. maj. creaturæ eidem æternitati coexiſterent, & non coexiſterent pro eodem inſtanti, neg. maj. pro diverſis inſtantibus, conc. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Cæterum, quæ hic contra immutabilitatem DEI objici poſſint, potiſſimum concernunt intellectum & voluntatem Divinam, ac commodius locis ſibi propriis ſolventur.



PARS II.

DE DEO SCIENTE.

139 Dari in Deo Scientiam, paſſim docent ſacræ paginæ. Eſther. 14 v. 14: *Domine, qui habes omnem ſcientiam.* Ad Rom. 11 v. 33: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ DEI.* Ad Coloſſ. 2. v. 3: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ.* Id ipſum unanimi conſenſu teſtantur Patres, ex quibus S. Dionyſius cap. 7 de divin. nomin. ait: *Scire Deum omnia, Scriptura teſtatur, nihilque Divinam ſcientiam fugere.* Quæ verba non tantum metaphorice, ut quidam antiqui voluere, ſed proprie, ac rigoroſe accipi poſſunt, ac debent; quippe detractis per præciſionem formalem imperfectionibus, quas

quas ſcientia in creatis admixtas habet, manet adhuc ratio per nomen ſcientiæ ſignificata, nempe cognitio certa, & evidens rei; quo in ſenſu ſcientia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ Deo denegari non poteſt. Datur itaque in Deo ſcientia proprie dicta; cumque in omni genere perfectionis ſit infinitus, hæc ſcientia non ſolum eſt omnino certa, æterna, immutabilis, & evidens, ſed etiam in ſua linea perfectiſſima.

Hinc ſcientia DEI non eſt habitus, neque actus 140
realiter a Deo diſtinctus. Cum enim Deus ſit ens ſimpliciſſimum, non poteſt illi per unionem ſuperaddi aliquis actus, aut qualitas ad operandum adjuvans; ſed ſcientia DEI realiter eſt ipſa DEI ſubſtantia, ſe ipſa vitaliter in objectum tendens, & facilitas, quam Deus ad intelligendum habet, eſt ipſe intellectus Divinus, ut habens vim intelligendi infinitam. Ex eadem ratione in Deo non datur potentia phyſice effectrix, aut receptiva intellectionis, ſed ſolum virtus quædam, & potentia intellectualis metaphyſica, aut logica. Potentia logica intelligendi nihil aliud eſt, quam non repugnantia intellectionis, non pure, & excluſive talis, ſed poſitive talis, ſive eſſentialiter conjuncta cum actu. Potentia vero metaphyſica ſuperaddit potentiæ logicæ virtutem intellectivam ut quod, formaliter ab intellectione diſtinctam, quam virtutem in Deo agnoſcunt ipſa Scriptura, & SS. Patres, dum paſſim Deo tribuunt intellectum, & mentem.

Neque obſtat, quod Deus ſit puriſſimus actus; 141
per hoc enim ab ipſo tantum excluditur potentia phyſica, actus primus proximus phyſicus, productio, aut actio ſtricte pro termino a potentia diſtincto accepta; item intellectio, quæ ſit motus proprie immanens, prout dicit motum imperfecti, ſeu exiſtentis in potentia. Quia tamen Deus nihilominus per intellectionem intentionaliter tendit in objectum, adeoque non otiatur, nec mere paſſive ſe habet

bet, in ipso admitti debet potentia metaphysica, actus primus proximus metaphysicus, imo etiam actio, prout hæc est exercitium oppositum otio, & puræ passioni, item motus communiter, & secundum rationem generalem sumptus, qui dicitur actus perfecti, quo intentionaliter attingitur objectum. Ex quo vides, quomodo Deus per intellectionem in actu secundo vivat. Nam licet nihil a se distinctum producat, movetur tamen intentionaliter in objectum; cumque hic motus perfectissime, videlicet per identitatem, sit immanens Deo, neque ullo modo ab extrinseco, sed ab ipso intellectu Divino, propriissime est actus vitalis.

142 Præterea Scientia Divina est independens ab omni specie impressa; nam etiam species impressa est qualitas physica in intellectu recepta, & loco objecti ad cognitionem concurrens; potest tamen admitti, quod ipsa essentia DEI sit species intelligibilis. Quippe præcisis imperfectionibus qualitatis, potentiæ physicæ & causalitatis effectivæ, quas in creatis species impressa habet, manet adhuc, tanquam pura perfectio, tota ratio speciei intelligibilis, consistens in hoc, quod sit unio, seu applicatio intentionalis, qua intellectus redditur complete potens ad cognoscendum, objectum vero complete, ac proxime cognoscibile ab intellectu. Atqui hoc præstat essentia Divina, quia intellectus Divinus qua talis, solum est potentia logica, aut metaphysica cognoscendi, & formaliter necdum dicit illam intentionalem applicationem ad objectum; quamquam in sensu reali nulla detur distinctio, & ipse intellectus Divinus qua talis, utique essentialiter sit determinatus ad cognoscendum omne cognoscibile.

143 Denique Scientia DEI non est divisiva, aut compositiva, multo minus formaliter, aut virtualiter discursiva. Nam 1 modus tendendi compositivus aut

aut divisivus oritur ex imperfectione intellectus, qui antequam judicium formet, duos terminos tantum imperfecte, & inadæquate cognoscit, & tunc primum eos mentaliter conjungit, unum de altero affirmando, vel mentaliter dividit, unum de altero negando. 2. Discursus formalis involvit duas cognitiones realiter distinctas, & quidem ita, ut objectum cognitionis posterioris necdum formaliter, & explicite per primam cognitionem repræsentetur, sed mediante illa primum inferatur propter connexionem, quam invicem habent: adeoque ab una propositione fit transitus ad alteram, & ex noto infertur ignotum, quod manifeste imperfectum est. 3. Quamvis discursus virtualis sit realiter unicus indivisibilis actus, nihilominus essentialiter involvit duas apprehensiones prævias, quarum una formaliter, & explicite repræsentat solum antecedens objectivum, & intellectum illuminat, ac determinat ad apprehensionem consequentis objectivi: consequenter iterum fit transitus a noto ad ignotum, non sine cognitionis, ac cognoscentis imperfectione.

Itaque Deus uno simplicissimo, & realiter indi- 144
visibili intuitu formaliter & explicite cognoscit, quæcumque in illo signo sunt cognoscibilia, & quidquid ex iis vel ratione identitatis, vel ratione connexionis inferri posset; & quamvis unum cognoscat in alio, videatque effectum esse ex causa, seu propter causam, non tamen cognoscit unum ex alio, aut effectum ex causa, seu propter causam, quasi cognitio effectus esset a cognitione causæ, aut hæc ad illam primum determinaret. Neque tamen ideo cognitio DEI est tantum apprehensiva, sed vere judicativa; cum enim simplex apprehensio intellectum adhuc relinquat dubium, nullaque veritas per illam innotescat, Deus in nullum objectum tendit per meram apprehensionem simplicem, sed sicut verum, & falsum semper clarissime discernit, sic

sem-

ſemper judicat, & inter duo contradictoria quaſi ſententiam fert, unum affirmando eſſe verum, alterum eſſe falſum, ut indicat Scriptura, paſſim Deo judicia attribuens. *Judicia Domini vera*, Pſalm. 18 v. 10. *Incomprehenſibilia Judicia ejus*, ad Rom. 11 v. 33.

145 His non obſtantibus Scientia DEI formaliter eſt multiplex, ac per intellectum varie dividitur. 1 In practicam, & ſpeculativam. Prior verſatur circa objectum operabile, poſterior circa objectum tantum ſpeculabile, ut in Philoſophia explicari ſolet. 2. In ſcientiam approbationis, qua cognoſcitur objectum ut amabile cum complacentia, & approbatione voluntatis: & ſcientiam ſimplicis notitiæ, ſeu reprobationis, qua cognoſcitur objectum ſine approbatione, & potius cum diſplicentia, & reprobatione voluntatis. De duplici hac ſcientia loquitur S. Auguſtinus lib. 2 in Exod. q. 152, ubi ait: *DEUS dicitur ſcire, quæ ipſi placent, neſcire, quæ diſplicent, non quia ignorat ea, ſed, quia non approbat.* Unde, quando Deus in Scripturis dicitur neſcire, ſeu non noſſe peccatores, id de ſcientia approbationis intelligendum eſt.

146 Dividitur 3 in ſcientiam neceſſariam, & liberam. Neceſſaria eſt, qua Deus cognoſcit veritates neceſſarias, quæ ſe aliter habere non poſſunt, e. g. Deum eſſe, poſſibilia poſſe exiſtere, quamlibet rem habere hanc determinatam eſſentiam, hæc prædicata eſſentialia, & has proprietates metaphyſicas. Cum enim hæc objecta neceſſario ita ſe habeant, & Deus eſſentialiter ſit determinatus ad ſciendum omne verum, hæc ſcientia merito dicitur neceſſaria tum objective, tum ſubjective. Scientia libera eſt, qua Deus cognoſcit veritates non neceſſarias, e. g. exiſtentiam rerum contingentium, quæ ſicut abſolute potuiſſent non exiſtere, ita ſcien-

tia

tia de abſoluta illarum exiſtentia antecedenter potuiſſet non dari in DEO. Hinc vocatur libera, non quod ſit libera immediate, & in ſe, cum ſit actus intellectus, ſed quia eſt libera denominative, & mediate, in quantum dependet a libero decreto voluntatis Divinæ, ſine quo nulla res contingens abſolute poteſt exiſtere. 4. In Scientiam ſimplicis intelligentiæ, Scientiam viſionis, & Scientiam mediam, quarum ſingulas enucleatius explicabimus, in ſingulis de Scientia DEI diſputationibus.

DISPUTATIO I.

De Scientia Simplicis Intelligentiæ.

Scientia ſimplicis intelligentiæ dicitur illa, per 147
quam Deus cognoſcit res poſſibiles, qua tales, ſive dein exiſtant, ſive non. Unde non tantum tendit in res mere poſſibiles, ſed etiam in exiſtentes, & futuras, quin tamen illas ut actu exiſtentes, vel exituras repræſentet: ſed cum illas ſecundum noſtrum concipiendi modum præciſe attingat ut poſſibiles, ab actuali earundem exiſtentia quodammodo præſcindit. Confunditur ab aliquibus cum ſcientia neceſſaria; verum licet omnis Scientia ſimplicis intelligentiæ ſit neceſſaria, non viciſſim omnis Scientia neceſſaria eſt Scientia ſimplicis intelligentiæ: ſic Deus ſe ipſum, & prædicata ſua tam abſoluta, quam relativa neceſſario ut abſolute exiſtentia cognoſcit, quin hæc cognitio ad Scientiam ſimplicis intelligentiæ pertineat. Cæterum antequam objectum, & modum tendendi hujus ſcientiæ in particulari examinemus, adhuc pauca quædam de ſcientia DEI in genere præmittenda ſunt.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Objecto Scientiæ Divinæ in genere.

148 Objectum cognitionis, sive scientiæ aliud est materiale, aliud formale. Materiale est, quod attingitur propter aliud : formale est motivum, propter quod aliud attingitur. Non raro realiter identificatur cum materiali, ut in veritatibus per se quoad nos notis, quarum ipsa evidentia movet ad assensum. Dividitur utrumque in primarium, & secundarium, prout primario aut secundario attingitur, vel movet. Objectum formale ulterius dividitur in physice motivum, & intentionaliter motivum. Prius est, quod physice influit in productionem cognitionis, sive per se ipsum, sive per speciem a se emissam : posterius est, quod nullum præstat influxum physicum, sed est tantum ratio, ob quam aliquam rem cognoscimus, vel eidem assentimur. Denique objectum formale intentionaliter motivum subdividitur in pure terminativum, & determinativum. Illud tanquam ratio pure terminat cognitionem, seu actum potentiæ cognoscitivæ, jam ex se ad hoc objectum cognoscendum determinatæ : istud potentiam ad cognoscendum, vel non cognoscendum indifferentem determinat.

149 Cum Deus nunquam sit in potentia physica ad intelligendum, sed actus purissimus, & per essentiam suum intelligere, patet, nullum objectum formale esse physice motivum respectu cognitionis Divinæ, quia nullum potest præstare influxum physicum. Hinc in sensu proprio cognitio Divina ne quidem ab essentia procedit ; hoc enim stricte acceptum significaret produci ; sed tantum potest dici, quod cognitio sit ab essentia Divina tanquam actus secundus metaphysicus. 2. Quia intellectus Divinus essentialiter est determinatus ad cognoscendam omnem

omnem veritatem necessariam, respectu scientiæ Divinæ necessariæ tantum datur motivum intentionale pure terminativum, sive dein hoc a cognitione sit distinctum, sive cum illa identificatum, ut se habet essentia Divina respectu cognitionis sui ipsius. 3. Respectu scientiæ DEI liberæ datur motivum intentionale determinativum; nam intellectus Divinus ad cognoscenda objecta contingentia antecedenter est indifferens, eaque possunt esse, vel non esse: ergo ut Deus potius cognoscat illa esse, quam non esse, debet ab iisdem determinari.

Objectum materiale primarium scientiæ Divinæ 150
est ipse Deus; sicut enim sua entitate, & perfectione omnia reliqua entia infinite excedit: sic inter omnia cognoscibilia est primum, & nobilissimum: ergo Deus se ipsum necessario, ac primario cognoscit, alias ejus scientia non esset perfecta, multo minus perfectissima. Certe cum Deus sit summe cognoscibilis, & cognoscitivus, sibique summe præsens, & intentionaliter applicatus, nihil obstat, quo minus se ipsum pro objecto habeat. Quamvis enim cognitio creata forte necessario dicat relationem realem ad suum objectum, neque in se ipsa adæquate, & primario possit sistere, quia alias juxta illud: Ex objecto, & potentia paritur notitia, suum esse a se ipsa acciperet: longe aliud tamen est de cognitione Divina; nam hæc est ipsa substantia intellectiva, a se ipsa existens, adeoque ad essentiam Divinam tantum dicit relationem intentionalem, estque cum infinitis perfectionibus cognoscibilibus identificata. Imo Deus per eandem indivisibilem cognitionem cognoscit simul omnia a se distincta, adeoque cognitio, qua Deus se ipsum cognoscit, neutiquam se ipsam habet pro objecto adæquato.

Objectum materiale secundarium scientiæ Divi- 151
næ sunt omnia reliqua cognoscibilia a Deo distincta.

Quemad-

Quemadmodum enim aliqua ignorare esset manifesta imperfectio, sic omnia etiam a se distincta cognoscere est perfectio simpliciter simplex, Deo infinite perfecto necessario tribuenda. Aut quomodo alias Deus esset causa prima omnium, quomodo omnia posset facere? si quædam ne quidem cognosceret, & de illis interroganti deberet respondere: Nescio. Hinc quando S. Hieronymus in cap. 1 Habacuc ait: *Absurdum esse ad hoc detorquere DEI Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices*, benigne exponendus est, quod a Deo solum voluerit excludere eam vilissimarum rerum notitiam, quæ successioni, & mutationi esset obnoxia, Deoque per singula momenta accresceret, vel de notitia conjuncta cum speciali illa cura, ac providentia, quam exhibet creaturis rationalibus, eas gubernando per leges, inspirationes, Angelorum custodiam; nam ipse S. Doctor in illa verba Christi: *Nonne duo passeres asse vœneunt?* dicit: *Etiam hæc parva animalia non decidere absque authore DEO*, & loco objecto subdit: *Non simus tam fatui -- ut eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicamus.* Vid. etiam num. 49.

152 Porro Deus se ipsum dicitur cognoscere comprehensive, creaturas vero supercomprehensive. Ratio primæ partis est, quia illa cognitio dicitur comprehensiva, quæ perfecte adæquat cognoscibilitatem objecti, in quantum, quidquid in objecto est cognoscibile, tam perfecte cognoscit, ut cognitio in linea cognitionis sit tam perfecta, quam perfecta est cognoscibilitas objecti in sua linea; atqui cognitio Divina perfecte adæquat cognoscibilitatem DEI, estque tam perfecta in linea cognitionis, quam perfecta est DEI cognoscibilitas in sua linea, cum utraque sit infinite perfecta: ergo. Ratio secundæ partis. Illa cognitio dicitur supercomprehensiva, quæ transcendit cognoscibilitatem objecti, & in linea sua perfectior est, quam cognoscibilitas objecti

in

in ſua linea : atqui cognitio Divina in ſuo genere, ſeu linea eſt perfectior, & quidem incomparabiliter, ac infinite, quam ſit cognoſcibilitas cujusvis rei creatæ in linea objecti; quippe cognoſcibilitas cujusvis rei creatæ eſt tantum finita, cum ſit ipſa veritas transſcendentalis, quæ a rei eſſentia non diſtinguitur.

Dices 1. Si Deus haberet ſcientiam omnium 153
rerum, tunc etiam ſciret, ſe omnia ſcire; ſi autem ſciret, ſe omnia ſcire, hoc ipſum iterum cognoſceret, & ſic ulterius: ergo in ſcientia Divina darentur reflexiones ſine fine, & proceſſus in infinitum. Conf. Saltem nos ſupra cognitionem Divinam poſſemus facere reflexiones infinitas, ita, ut concipiamus unam formalitatem cognitionis Divinæ, quæ formaliter repræſentet e. g. eſſentiam Divinam, alteram, quæ formaliter repræſentet cognitionem eſſentiæ Divinæ, tertiam, quæ formaliter repræſentet cognitionem cognitionis eſſentiæ Divinæ, & ita in infinitum ; hoc eſt abſurdum : ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. In Deo non datur reflexio proprie talis, ſive cognitio repræſentans aliam cognitionem a ſe diſtinctam, ſed datur unica cognitio directa, quæ eſt ſimpliciſſima entitas, & formalis manifeſtatio ſui ipſius, & omnium rerum. Unde realiter loquendo non debet procedi in infinitum, ſed in unica cognitione ſiſtitur. Ad conf. tranſ. maj. neg. min. Nam ideo non datur reflexio ſe tenens ex parte DEI, ſed ſolum ex parte noſtri intellectus, & imperfecti modi tendendi, quod adeo non eſt abſurdum, ut potius commendare videatur perfectionem, & amplitudinem ſcientiæ Divinæ.

Dices 2. Deus eſt infinitus : ergo non poteſt 154
ſe comprehenſive eognoſcere. Nam, ut S. Auguſtinus lib. 83. Quæſt. q. 13. ait : *Id quod comprehendit ſe, finitum eſt ſibi.* Et libro 22 de civit. DEI cap. 10 : *Quidquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur.* Conf. Comprehendere eſt idem, ac alterum includere, & intra ſe com-

plecti: ergo si Deus se comprehenderet, cognitio deberet esse major, & perfectior, quam essentia DEI. Resp. conc. ant. dist. consf. Se non potest comprehendere per cognitionem finitam, conc. consf. per infinitam, neg. consf. Textus S. Augustini intelligendi sunt secundum similitudinem proportionis in sensu quodam metaphorico, & negativo, in quantum nihil est in Deo, quod a Divina cognitione non repræsentatur, & adæquatur, ut adeo cognoscibilitas DEI non excedat cognitionem Divinam; sicut aliquid finitum non excedit cognitionem finitam, quin ideo Deus se ipsum cognoscendo positive attingat aliquem terminum suæ cognoscibilitatis. Ad consf. neg. ant. Intellectum de comprehensione non mere materiali, sed intentionali. Porro scientia Divina realiter est ipsa essentia DEI, & licet præcisive spectata solam dicat formalitatem scientiæ, nihilominus etiam hæc formalitas in suo genere est tam perfecta, quam essentia in sua linea, quod ad intentionalem comprehensionem sufficit, ut patet ex ejus conceptu.

155 Quæres, an Deus etiam cognoscat puras negationes, & chimæras. Resp. quia etiam de negationibus, & impossibilibus quædam cum veritate possunt affirmari, vel negari, certum est, illa a Deo omniscio aliquo modo cognosci; quomodo autem cognoscantur, dependet ab illa quæstione philosophica, utrum puræ negationes, & chimæræ habeant in se ipsis veram aliquam cognoscibilitatem ab omni objecto positivo, & possibili distinctam? Affirmativam tenent plerique antiqui: negativam Pallavicinus, Esparza, Ulloa, cum multis recentioribus, contendentes, negationes, & impossibilia non aliter a Deo cognosci, nisi in quantum cognoscit entia positiva, modo tamen tendendi negativo. E. g. negationem Antichristi nunc existentis a Deo cognosci per hoc, quod neget Anti-Christum nunc existere: impossibilitatem hircocervi per hoc, quod

neget

neget hircum esse cervum. Quæstionem hanc, quæ plus molestiæ, quam utilitatis habet, nostrum non est decidere, sed si negationes, & chimæræ in se cognoscibiles sunt, Deus illas in se ipsis cognoscit; secus vero neque potest, neque debet illas in se ipsis cognoscere, sed sufficit, modo cognoscantur, prout revera cognoscibiles sunt.

QUÆSTIO II.

An DEUS per Scientiam Simplicis Intelligentiæ cognoscat possibilia creata?

Possibilitas duplex est, extrinseca, & intrinseca. 156

Extrinseca, quæ etiam causalis, & activa dicitur, est ipsa virtus causæ, per quam res produci potest. Hæc enim virtus sicut causam intrinsece denominat potentem producere, ita effectum extrinsece denominat potentem produci, adeoque possibilem: unde possibilitas extrinseca omnium rerum creatarum est omnipotentia DEI. Possibilitas intrinseca, quæ etiam passiva, & formalis appellatur, consistit in intrinseca habitudine, seu non repugnantia prædicatorum, ex quibus res constitueretur, si existeret. Utramque hanc possibilitatem aperte tradit S. Thomas 1 part. q. 25 art. 3 in Corpore. Eam probat manifesta ratio, cum utique effectus producibilis debeat esse distinctus a sua causa, & Deus talem effectum cognoscendo non tantum cognoscat suam omnipotentiam. Hinc juxta omnes vera est ista propositio: Alter mundus possibilis non existit; atqui non esset vera, si tantum loqueretur de possibilitate mundi extrinseca, seu omnipotentia DEI: ergo.

Dicendum: Deus perfectissime cognoscit omnia 157
possibilia, non tantum secundum illud esse eminentiale, quod habent in essentia, & omnipotentia Divina, sed etiam secundum suum esse formale, pro-

prium, & singulare, seu secundum possibilitatem intrinsecam. Ita communissima, & adeo certa, ut juxta Valentiam videatur esse de fide. Prima pars, quod Deus omnia possibilia simpliciter cognoscat, patet ex num. 151, quia videlicet alias aliqua possibilia ignoraret, nec posset illa producere, nec velle, nisi cæco modo, quod conciliari nequit cum infinita perfectione, & perspicacia intellectus Divini. Accedunt manifesta Scripturæ testimonia. Ad Hebr. 4 v. 13: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Eccli 23 v. 29: *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia.* Ad Rom. 4 v. 17: *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Denique Jerem. 1 v. 5: *Priusquam te formarem in utero, novi te.*

158 Ex iisdem Scripturæ testimoniis probatur altera pars conclusionis; tum etiam ratione multiplici. 1. Creaturæ possibiles sunt vere cognoscibiles secundum suum esse proprium, & singulare, & nisi Deus illas ita cognosceret, re ipsa cognosceret solam essentiam suam, quæ est esse eminentiale rerum creatarum, adeoque ignoraret omnia reliqua a se distincta. 2. Imo nequidem perfecte cognosceret suam essentiam, & omnipotentiam, quæ cum esse proprio, & formali creaturarum est essentialiter connexa. Nam, ut optime Doctor Angelicus loco supra cit. virtus alicujus rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quæ se virtus extendit. 3. Deus alias prudenter non posset velle, aut producere creaturas secundum suum esse proprium, & singulare, nec posset illas singillatim ordinare ad speciales suos fines, quo argumento usus est S. Augustinus lib. 11 de civit. cap. 10. dicens: *Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest: porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat.* Ex quibus patet

tet, Deum non ſolum cognoſcere poſſibilia ſecundum rationes communes, & velut in confuſo, ſed etiam ſecundum rationes differentiales ſpecificas, & individuales, ſecundum totum ſuum eſſe.

Objectiones.

Obj. 1. Si Deus per Scientiam Simplicis In- 159
telligentiæ cognoſceret omnia poſſibilia, cognoſceret infinita; hoc non poteſt dici: ergo. Min. prob. 1. Quia alias Deus ſua cognitione infinitum exhauriret. 2. Et infinita poſſet producere, cum omnipotentia DEI non ſit minor, quam illius ſcientia, neque Deus plura diſtincta cognoſcat, quam producere poſſit. Reſp. Diſt. maj. cognoſceret infinita ſyncategorematice, conc. maj. infinita categorematice, neg. maj. & ſic diſt. min. conſ. Primam probationem iterum diſt. Deus ſua cognitione exhauriret infinitum poſitive, perveniendo ad ultimum illius terminum, neg. mere negative, in quantum inter poſſibilia nullum eſt, quod non perfectiſſime cognoſcit, conc. Ad alteram probationem dico, Deum eodem modo poſſe producere infinita, quo illa cognoſcit; ſicut enim cognoſcit omnia ſimul ſimultate cognitionis, non vero objecti, ita poteſt omnia producere ſimul ſimultate potentiæ, non vero objecti. Quod ſi contendas, in mente DEI exiſtere infinitum categorematicum objectivum, tamen ideo Deus omnia poſſibilia non cognoſcit per modum unius collectionis a parte rei poſſibilis, neque cognitio in ſuo genere eſt perfectior, quam omnipotentia DEI in ſuo, ut jam advertimus num. 123.

Dices: Si Deus cognoſceret ſyncategorematice 160
infinita, ſciret omnes diviſiones poſſibiles continui usque ad minima tam realiter, quam virtualiter, aut formaliter diviſibilia; hoc implicat: ergo. Conf.

Inter omnia poſſibilia ſunt etiam univerſalia, ſed hæc Deus non cognoſcit, alias haberet cognitionem confuſam: ergo. Reſp. diſt. maj. Si poſſunt dari talia minima, quæ nec realiter, nec virtualiter, nec formaliter poſſint ulterius dividi, conc. maj. ſecus, neg. maj. Si enim hæc minima ſupponantur implicare, Deus ſolum debet ſcire, quod quavis diviſione poſſibili determinata ſit poſſibilis minor & minor ſine fine; eo modo, quo de creatura perfectiſſima, & numero finito maximo diſcurrere in Philoſophia didicimus. Ad conf. conc. maj. diſt. min. Deus univerſalia non cognoſcit formaliter, ſive ita, ut ipſe per cognitionem ſuam faciat univerſale, conc. min. Objective, in quantum cognoſcit, univerſalia fieri poſſe per cognitionem aliorum, neg. min. Sicut de tenebris poteſt dari cognitio clariſſima, ita Deus clariſſime cognoſcit noſtras cogitationes confuſas, & omnia illarum objecta diſtinctiſſime.

161 Obj. 2. Poſſibilia qua talia nihil ſunt, nec habent eſſe proprium: ergo ſecundum illud non poſſunt cognoſci a Deo. Conf. Ideo puræ negationes juxta multos Recentiores non poſſunt cognoſci in ſe ipſis, quia nihil ſunt: ergo a pari. Reſp. diſt. ant. Poſſibilia qua talia nihil ſunt, nec habent eſſe proprium actu per ſtatum, aut ampliationem, conc. ant. per alienationem, neg. ant. Juxta phraſim ſcholæ per ſtatum dicitur eſſe illud, quod exiſtit pro tempore per copulam importato, ut: Clemens XIII eſt Romanus Pontifex; per ampliationem, quando res quidem aliquando extitit, vel exiſtet, ſed non pro tempore per copulam importato, ut Adamus eſt primus homo. Dies extremi judicii eſt dies magna, & amara valde. Per alienationem denique, quando verbum eſt omnino præſcindit ab actuali exiſtentia, & præciſe ſignificat convenientiam, ſeu non repugnantiam prædicati cum ſub-

ſubjecto, ut in hac propoſitione: alter mundus eſt poſſibilis. Jam licet poſſibilia qua talia non habeant eſſe proprium per ſtatum, aut ampliationem, habent tamen ejusmodi eſſe per alienationem, quatenus, ſi exiſterent, eſſent aliquid, & non involverent repugnantiam. Econtra puræ negationes ne quidem conditionate ſunt aliquid, & nunquam poſſent eſſe aliquod proprium, aut veram exiſtentiam habere. Hinc ad conf. neg. conſ. & paritatem.

Dices: Poſſibilia tunc ſolum eſſent aliquid, & 162 haberent eſſe proprium, ſi exiſterent: ergo tunc primum ſecundum eſſe proprium poſſunt cognoſci. Conf. Poſſibilitas creaturarum datur ab æterno, quia ab æterno verum eſt, quod creaturæ ſint poſſibiles; atqui ab æterno nihil datur, præter Deum: ergo. Reſp. diſt. ant. tunc ſolum eſſent aliquid phyſicum, & in eſſe rei, conc. ant. objectivum, & in eſſe veri, neg. ant. & conſ. hoc ipſo, quod poſſibilia aliquid eſſent, & non dicerent repugnantiam, ſi exiſterent, hoc de illis jam nunc poteſt affirmari; conſequenter jam ſunt aliquid in eſſe veri, & ſuo modo objective exiſtunt. Ad conf. diſt. maj. Poſſibilitas creaturarum extrinſeca datur ab æterno, conc. maj. intrinſeca, ſubdiſt. datur ab æterno logice, & in eſſe veri, conc. maj. phyſice & in eſſe rei, neg. min. Hæc propoſitio: Creaturæ ſunt poſſibiles, intellecta de poſſibilitate intrinſeca, tantum facit hunc ſenſum conditionatum: ſi exiſterent creaturæ, non involverent repugnantiam; unde illius objectum nondum debet exiſtere actu, ſed ſufficit, ſi purificata conditione ita ſe haberet, prout propoſitio enunciat; atqui ab æterno verum eſt, quod poſſibilia non involverent repugnantiam, quandocumque conditio: ſi exiſterent, purificaretur.

QUÆSTIO III.

An, & quomodo DEUS possibilia cognoscat in se ipso?

163 Quando aliquid cognoscimus, ratio nostræ cognitionis, & quasi motivum assensus potest esse vel ipsa veritas objecti directe cogniti, vel aliud quoddam objectum, quod propter suam connexionem, similitudinem, vel continentiam est ratio, etiam cognoscendi alterum. Si primo modo aliquid cognoscatur, dicitur cognosci in se ipso tanquam medio, vel objecto in quo; si secundo modo, dicitur cognosci in alio. Utrumque hoc iterum fieri potest dupliciter, vel stricte, vel minus stricte; stricte tunc aliquod objectum in se ipso cognoscitur, quando cognitio ab hoc ipso objecto habet suum esse vel per identitatem, vel per influxum physicum, ita ut sit actus quasi proprius, & commensuratus huic objecto. Sic Deus se ipsum stricte videt in se ipso, quia se cognoscit per propriam suam essentiam tanquam speciem adæquatam, quæ est ratio metaphysica cognoscendi se ipsum, & divinæ cognitioni per identitatem se communicat. Minus stricte aliquid in se ipso cognoscitur, si quidem directe attingitur a cognitione, ita tamen, ut neque metaphysice, neque physice cognitio ab hoc objecto suum esse habeat, sed ab illo præcise terminetur, ut adeo objectum sit ratio mere logica, quod in se ipso cognoscatur.

164 Simili modo tunc aliquod objectum dicitur stricte cognosci in alio, quando cognitio habet suum esse ab illo alio vel per identitatem, vel per influxum physicum, ita, ut sit actus quasi proprius, & commensuratus illius alterius objecti, sic, ut statim dicemus, Possibilia cognoscuntur a Deo in sua essentia; quia hæc cognitio suum esse non habet a creaturis, sed ab ipsa essentia Divina, quæ tanquam species

ſpecies intelligibilis ſe huic cognitioni per identitatem communicat, ut diximus de cognitione, qua Deus ſe ipſum in ſe ipſo cognoſcit. Minus ſtricte objectum aliquod in alio cognoſcitur, quando illud aliud objectum directe quidem attingitur a cognitione, quin tamen cognitio ſuum eſſe, vel metaphyſice, vel phyſice ab illo habeat, ſed ut objectum directe cognitum præciſe terminet cognitionem, & ſit ratio ſolum logice ſufficiens cognoſcendi etiam alterum objectum. Sic Deus ſe ipſum cognoſcit in creaturis, quæ cognitioni Divinæ neque per identitatem, neque per influxum phyſicum ſe communicare poſſunt. Præmiſſa hac terminorum explicatione, quam Noſtri ex S. Thoma deſumpſerunt,

Dicendum: Deus omnes creaturas poſſibiles 165
proprie, ac ſtricte cognoſcit in ſe ipſo. Ita cum S. Thoma 1 part. q. 14 art. 5 in Corpore, Theologi plerique. Prob. Deus ſtricte cognoſcit ſe ipſum in ſe ipſo, & quidem perfectiſſime, ac comprehenſive: ergo etiam in ſe ipſo ſtricte cognoſcit creaturas poſſibiles. Ant. patet ex dictis. Conſ. prob. Eſſentia Divina habet eſſentialem reſpectum ad creaturas poſſibiles, in quantum Deus eſt cauſa omnium poſſibilium, & idea, ac exemplar, ad cujus imitationem, & quamdam ſimilitudinem fieri debet, quidquid poteſt produci: ergo fieri nequit, ut Deus ſe ipſum perfectiſſime comprehendat, quin eadem cognitione etiam cognoſcat omnia poſſibilia; ſicut nemo poteſt perfectiſſime cognoſcere ignem, ut cauſam contentivam caloris, quin etiam ipſum calorem indirecte in igne cognoſcat; vel ſicut artifex non poteſt perfecte cognoſcere ſuam ideam, quam habet de conſtruendo palatio, niſi eadem cognitione attingat palatium. Hæc porro cognitio, qua Deus poſſibilia in ſe ipſo cognoſcit, eſt cognitio poſſibilium ſtricte in alio, nempe in eſſentia Divina, ut advertimus numero ſuperiore.

Objectiones.

166 Obj. 1. Deus eſt ens abſolutiſſimum, & ſibi ſoli ſufficiens: ergo non habet eſſentialem connexionem cum creaturis, neque illas in ſe ipſo poteſt cognoſcere. Conf. Deus non habet relationem neceſſariam ad creaturas, ut cum S. Thoma part. 1 q. 13 art. 7 in Corp. docent Suarez, Vasquez, Tanner: ergo. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. Ergo cum creaturis non habet connexionem dependentiæ, vel indigentiæ, conc. conſ. connexionem perfectionis & abundantiæ, neg. conſ. Deus creaturas non reſpicit tanquam ſui cauſas in ullo genere, neque ab illis bonum aliquod intrinſecum, vel neceſſarium poteſt accipere, ſed creaturas tantum reſpicit tanquam effectus, quos ex abundantia ſuæ perfectionis libere ad imitationem, & quamdam ſimilitudinem eſſentiæ Divinæ poteſt producere; unde hic reſpectus eſſentialis nullam in Deo arguit imperfectionem. Ad conf. diſt. ant. Deus non habet relationem neceſſariam ad creaturas actu exiſtentes, conc. ant. ad poſſibiles, ſubd. relationem realem, tranſ. ant. relationem rationis, neg. ant. & conſ. Auctores citati per relationem realem etiam tranſcendentalem non intelligunt qualemcumque ordinem, vel habitudinem unius ad aliud, ſed talem, quæ ſupponit vel utrumque extremum exiſtere, vel ſaltem utrumque eſſe mutabile, & perfectibile, quod tamen Granad. Ruiz, Platel non requirunt. Hinc in Deo admittunt relationem realem ad creaturas poſſibiles.

167 Dices: Poſſibilitas creaturarum identificatur cum earum exiſtentia: ergo ſi Deus habet eſſentialem reſpectum ad creaturas poſſibiles, eundem etiam habet ad exiſtentes. Conf. Licet Angelus ſe ipſum comprehendat, & habeat eſſentialem reſpectum ad cognitiones ſyncategorematice infinitas, quas producere poteſt, tamen idcirco illas in ſe ipſo non cognoſcit: ergo a pari. Reſp. Conc. ant. diſt. conſ. Habet reſpectum ad creaturas exiſtentes qua tales, &

& absolute, neg. conf. quæ sunt tales, & conditionate, conc. conf. Deus tam ad creaturas possibiles, quam existentes habet necessarium respectum tantum in hoc sensu, ut, si existant, non involvant repugnantiam; neutiquam autem necessario exigit, ut existant. Adde, quod creaturæ possibiles, antequam actu existunt, a sua existentia distinguantur negative, in quantum eum ea necdum actu sunt identificatæ. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Angelus non est causa adæquata suarum cognitionum, sed ad illas indiget concursu DEI, & specierum; Deus autem est causa adæquata omnium effectuum creatorum vel formaliter, vel saltem eminenter. Nam licet se solo non possit formaliter producere actus nostros vitales, potest tamen hoc eminenter, in quantum adæquate potest producere illorum causam.

Obj. 2. Medium, in quo aliquid cognoscitur, 168
debet esse simile, & ejusdem rationis cum objecto, quod in illo cognoscitur; sed essentia DEI non est similis, aut ejusdem rationis cum creaturis: ergo. Conf. Essentia Divina est ipsa cognitio divina: ergo non potest esse medium, in quo Deus possibilia cognoscit; medium enim, in quo aliquid cognoscitur, debet mediare inter cognitionem, & objectum cognitum. Resp. Neg. maj. alias in nulla causa æquivoca posset cognosci effectus; neque Deus cognosceret creaturas in verbo, quod tamen expresse docet S. Thomas in 1. distinct. 27 q. 2 art. 2 quæstiunc. 1 ad 4. Itaque ad medium in quo sufficit, quod essentialiter connectatur cum altero objecto cognito, & si sit medium stricte tale, illud præcontineat formaliter vel eminenter, prout essentia Divina saltem eminenter continet omnes perfectiones specificas, & individuales creaturarum. Ad Conf. conc. ant. dist. conf. Ergo non potest esse medium physicum, & reale, conc. conf. pure objectivum, neg. conf. Ad medium pure objectivum sufficit,

ficit, quod vere ſit objectum cognitionis, & ſimul ratio cognoſcendi alterum objectum; atqui eſſentia Divina eſt vere objectum cognitionis Divinæ, & ſimul eſt ratio omnia poſſibilia cognoſcendi, licet phyſice, & realiter in iſtam cognitionem non influat.

169 Dices: qui videt rem per ſpeciem non propriam ſed alienam, non videt eam clare, & intuitive, ſed ſolum abſtractive, ſicut nos de facto cognoſcimus res ſpirituales: ergo Deus in ſua eſſentia creaturas non poteſt videre intuitive. Conf. Creaturæ in Deo non poſſunt videri, niſi eo modo, quo ſunt in Deo: ergo ſi in eſſentia Divina tantum continentur eminenter, in illa nequeunt videri ſecundum ſuum eſſe formale, & proprium. Reſp. diſt. ant. Niſi ſpecies alterius eminenter contineat perfectiones ſpeciei propriæ illius rei, conc. ant. ſecus, neg. ant. & conſ. Quando ſpecies aliena non continet eminenter perfectiones ſpeciei propriæ, utique res non poteſt clariſſime repræſentare, nec cauſare cognitionem intuitivam; ſi vero ſpecies aliena eminenter totam perfectionem ſpeciei propriæ continet, excitare poteſt cognitionem intuitivam, etiam perfectiorem, quam ſpecies propria. Quare ad conf. neg. maj. ſed ipſa eminentialis continentia eſt ratio perfectior creaturas cognoſcendi, & affirmandi, ſecundum illarum eſſe formale, & proprium.

170 Obj. 3. Omnipotentia DEI in ſuo conceptu formali ſolum dicit, quod Deus poſſit omnia, quæ non implicant contradictionem: ergo Deus in ſua omnipotentia poſſibilitatem Angeli, hominis &c. ſolum poteſt videre conditionate, ſi nempe non involvant repugnantiam. Conf. Si Deus poſſibilia videret in ſua omnipotentia, ideo eſſet omniſcius, quia omnipotens; hoc falſum: ergo. Reſp. Conc. ant. diſt. conſ. niſi accedat aliud attributum Divinum, tranſ. conſ. ſi accedat, neg. conſ. modo Deus omnia poſſibilia cognoſcat tum in ſua omnipotentia, tum in

in ſuis ideis, quas habet de qualibet re poſſibili, proprie ac abſolute illas in ſe ipſo videt; quamquam multi exiſtiment, omnipotentiam etiam ſeorſim ſpectatam ſufficere. Si enim poteſt omnia, quæ non implicant contradictionem, illa actu formaliter, aut eminenter continet: ergo videtur eſſe medium ſufficiens, ut in ipſa abſolute cognoſcantur eſſe poſſibilia. Ad conf. tranſ. maj. neg. min. cum omnipotentia intellectui Divino ſit ratio cognoſcendi creaturas poſſibiles, & ideo ſciat, ſe eſſe omnipotentem, quia eſt omnipotens, utique in aliquo ſenſu verum eſt, quod ſit omniſcius, quia omnipotens, licet ab ipſa omnipotentia non denominetur formaliter omniſcius.

Dices: Deus dicitur omnia poſſe per ſcientiam, 171
& voluntatem: ergo ſcientia debet eſſe prior ad omnipotentiam, & potius econtrario Deus eſt omnipotens, quia omniſcius. Conf. Etiamſi Deus non intelligeretur omnia poſſe, nihilominus poſſet adhuc intelligi omnia ſcire: ergo non ideo omnia cognoſcit, quia eſt omnipotens. Reſp. Conc. ant. diſt. conſ. Ergo ſcientia debet eſſet prior ad omnipotentiam ſpectatam in actu primo proximo, conc. conſ. ſpectatam in actu primo remoto, neg. conſ. quamvis ſcientia directiva, & cauſativa ſit aliquo modo prior ad omnipotentiam operantem, vel ad operandum proxime expeditam, quia Deus nihil operatur, niſi quod ſcit, eſſe poſſibile, & factibile: ſi tamen omnipotentia ſpectetur in actu primo remoto, prout præciſe continet effectus, ipſa logice prior eſt ad ſcientiam DEI neceſſariam, & in hoc ſenſu Deus ideo ſcit, ſe eſſe omnipotentem, quia eſt omnipotens, non viciſſim. Ad conf. diſt. ant. intelligi poſſet, omnia ſcire aliquo modo, conc. ant. omnimodo, quo ſunt cognoſcibilia, neg.ant. & conſ. Deus quidem adhuc aliis modis, quam in ſua omnipotentia poteſt poſſibilia cognoſceret & ſic jam intelligi omniſcius extenſive; quia tamen poſſibilia

bilia etiam ſunt cognoſcibilia in omnipotentia, hic quoque cognoſcendi modus illi debet attribui, ut ſit omniſcius perfectiſſime.

172 Obj. 4. Si eſſentia DEI eſſet medium objectivum, in quo Deus poſſibilia cognoſcit, Deus deberet prius cognoſcere ſe ipſum, & tunc progredi ad cognitionem poſſibilium ; ſed tali modo Deus diſcurreret : ergo. Conf. Ad hoc, ut aliquid proprie cognoſcatur in alio, non debet cognoſci per ſpeciem illi alteri propriam, & adæquatam ; alias ſi cognoſceremus cauſam abſtractive, ut plerumque fit in humanis, in cauſa non poſſemus proprie cognoſcere effectum. Reſp. Diſt. maj. Prius deberet cognoſcere ſe ipſum, prioritate quadam dignitatis, & excellentiæ, quatenus eſt objectum principalius, tranſ. maj. prioritate objectiva, & logica, & quaſi una cognitio prælucere deberet alteri, neg. maj. Deus unico ſimpliciſſimo intuitu & ſuam eſſentiam, & in ea omnia poſſibilia videt, alias poſſibilia potius videret ex ſe ipſo, quam in ſe ipſo. Ad conf. diſt. ant. Ad hoc, ut aliquid proprie cognoſcatur in alio tantum abſtractive cognito, non debet cognoſci per ſpeciem illi alteri propriam, conc. ant. ut cognoſcatur in alio intuitive cognito, neg. ant. Nos cum S. Thoma tantum loquimur de cognitione Divina, quæ eſt eſſentialiter intuitiva ; quid autem ſit cognoſcere in alio abſtractive cognito, Philoſophis definiendum relinquimus.

QUÆSTIO IV.

An, & quomodo DEUS poſſibilia etiam cognoſcat in ſe ipſis ?

173 Incipimus hic controverſiam cum Thomiſtis, quæ licet multum videatur habere de nomine, plurimum tamen confert ad ea, quæ in poſterum cum illis diſputabimus. Ut vero hæc ipſa controverſia bene

bene intelligatur, præter dicta de objecto formali, & duplici modo aliquid cognoſcendi in alio, notandum eſt diſcrimen inter varia ſpecificativa. Itaque per ſpecificativum rei in genere intelligitur id, per quod res habet, ut ſit in determinata ſpecie. Si tale ſpecificativum eſſentialiter ipſam rem conſtituit, vocatur ſpecificativum intrinſecum; quale potiſſimum eſt forma, quæ tanquam ratio formalis facit, ut res ſit potius hujus, quam alterius ſpeciei. Econtra ſpecificativum extrinſecum eſt, quod ipſam rem non conſtituit; idque iterum duplex, nempe phyſicum, ſeu effectivum, & pure logicum, ac illativum; prioris generis ſunt cauſæ rerum extrinſecæ, quæ phyſice ad rerum productionem concurrendo iisdem tribuunt eſſentiam determinatæ ſpeciei: poſterioris generis ſunt, quæ, licet rebus ſpeciem, & eſſentiam non tribuant, nobis tamen manifeſtant, cujus eſſentiæ, & ſpeciei res illæ ſint. Ut magis luceſcet ab exemplis in quæſtionis decurſu afferendis.

Dicendum: Deus poſſibilia creata vere cognoſcit in ſe ipſis, licet minus proprie, ac minus ſtricte. 174
Ita Scotiſtæ, & Noſtri communiter contra Thomiſtas, Maurum, Haunoldum &c. Prob. Ex una parte Deus eſt ſumme cognoſcitivus, & ſubjective, atque ex ſe determinatus ad cognoſcendam omnem veritatem: ex altera parte poſſibilia in ſe ipſis habent veritatem & cognoſcibilitatem intrinſecam, nempe ſuam eſſentiam, & poſſibilitatem paſſivam: ergo Deus illa in ſe ipſis cognoſcit. Ant. quoad primam partem patet: quoad ſecundam colligitur ex dictis; nam licet poſſibilia non habeant entitatem, veritatem, cognoſcibilitatem &c. actu exiſtentem, habent tamen entitatem, veritatem &c. quæ poteſt exiſtere, quod ſufficit, ut ab intellectu infinite perſpicaci vere cognoſcantur poſſe exiſtere, adeoque eſſe poſſibilia; alias nequidem ſecundum eſſe proprium, & formale poſſent cognoſci in Deo, ſicut etiam

etiam secundum esse proprium non possent cognosci mere futura, & præterita. Quoniam tamen possibilia in cognitionem Divinam nec physice, nec metaphysice per se ipsa, aut speciem ipsis propriam, & adæquatam influunt, sed illam præcise tanquam ratio logice sufficiens terminant, in se ipsis a Deo tantum cognoscuntur improprie, & minus stricte.

175 Probatur 2. Deus in creaturis possibilibus improprie quidem, attamen vere cognoscit se ipsum, ut docet S. Thomas in 1 distinct. 27 quæst. 2 quæstiunc. 1 ad 4: ergo creaturas possibiles etiam cognoscit in se ipsis; si enim possunt esse ratio logica sufficiens, ut Deus eas cognoscendo indirecte cognoscat se ipsum, etiam possunt esse ratio logica sufficiens, ut a Deo cognoscantur directe in se ipsis. Quod autem Deus in creaturis possibilibus se ipsum cognoscat, probatur ulterius, quia creaturæ possibiles essentialiter connectuntur cum Deo, tanquam sua causa, cujus perfectionem participant: ergo non possunt perfecte, & adæquate cognosci a Deo, quin cognoscatur etiam ipse Deus; cum non possit perfecte cognosci effectus ut connexus cum causa, ejusque perfectionem participans, quin simul cognoscatur causa, ejusque perfectio. Conf. Juxta S. Thomam 1 part. q. 14 art. 13 Deus possibilia minus stricte cognoscit in causis earum creatis: ergo etiam in se ipsis; cur enim veritas rei in causa creata sit sufficiens ratio, ut in illa cognoscatur effectus, & non etiam veritas rei in se ipsa sit sufficiens ratio, ut effectus immediate cognoscatur in se ipso?

Objectiones.

176 Obj. 1. Juxta SS. Patres Deus possibilia tantum cognoscit in se ipso; nam S. Dionysius de divin. nom. cap. 7 ait: *Deus non secundum visionem singulis se immittens, sed secundum unam causæ con-*

tinen-

tinentiam omnia sciens. Dein concludit: *DEUS ea, quæ sunt, noscit non rerum notitia, sed sui.* S. Ambrosius tract. in symbol. cap. 1. docet, *nihil Deum extra se intelligere, sed singula in se intueri.* Resp. Neg. ant. Ex SS. Patribus solum probatur, quod Deus creaturas in se ipsis non cognoscat stricte, quasi creaturæ in cognitionem divinam præstent aliquem influxum, & Deus primum in tempore se illis immittat, ex eisdem quærendo species. Colligitur de S. Dionysio ex contexu, qui ita habet: *Novit omnia, antequam fierent, neque enim ea, quæ sunt ex iis, quæ sunt, discens novit Divina Mens, sed ex se, nec ab iis, quæ sunt, ipsorum notitiam accipit.* Hinc in conclusione ait: *Noscit non rerum notitia*, id est, notitia ab ipsis rebus accepta, vel, ut exponit S. Maximus, successiva. Pariter mentem S. Ambrosii satis indicant verba immediate præcedentia, quibus asserit, *quod essentiæ Divinæ nihil extrinsecus adveniat*, nempe a quo, tanquam principio influente, Divina intellectio suum esse habeat.

Dices. S. Augustinus lib. 83 Quæst. quæst. 46 de 177
Deo inquit: *Non enim extra se positum quidquam intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est.* Conf. S. Thomas part. 1. q. 14 art. 5. in corp. expresse ait: *Sciendum est, quod DEUS se ipsum videt in se ipso, quia se videt per essentiam suam; alia autem a se videt non in se ipsis, sed in se ipso.* Ergo. Resp. Textum S. Augustini hic omnino non esse ad rem; agit enim de ideis Platonicis per se subsistentibus, & æternis; has negat, aliquid esse extra Deum, quod ille tanquam exemplar sit intuitus, dum universum condidit. Ad conf. conc. ant. dist. conf. ergo juxta S. Thomam DEUS creaturas non cognoscit in se ipsis stricte, ac proprie, conc. conf. minus stricte, & improprie, Neg. conf. Nam eadem quæstione art. 13 docet, quod DEUS cognoscat creaturas in

ſuis cauſis creatis ; alibi, quod ſe ipſum etiam in creaturis. Imo part. 1 q. 86 art. 4. in corp. clare aſſerit, quod futura contingentia a Deo in ſe ipſis cognoſcantur.

178 Obj. 2. Si DEUS cognoſceret poſſibilia in ſe ipſis, poſſibilia eſſent objectum formale cognitionis Divinæ ; hoc non poteſt dici; alias cognitio Dei primario deberet terminari ad creaturas, & tantum ſecundario ad DEUM : ergo. Conf. Reſpectu DEI idem eſt objectum motivum, & terminativum : ergo creaturæ Deum ad cognitionem moverent, & in illam influerent. Reſp. diſt. maj. creaturæ eſſent objectum formale phyſice motivum, neg. maj. intentionaliter motivum, ſubdiſt. determinativum, neg. maj. pure terminativum, conc. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Licet poſſibilia cognoſcantur in ſe ipſis, tamen objectum formale primarium eſt ſola eſſentia divina, a qua tanquam ſpecie intelligibili cognitio DEI habet ſuum eſſe per identitatem ; neque creaturæ hanc cognitionem terminant prioritate dignitatis, neque prioritate ordinis, cum poſſibilia nullo modo ante eſſentiam Divinam cognoſcantur, ſed ex noſtra doctrina ſolum ſequitur, quod reſpectu illius formalitatis Divinæ, qua in ſe ipſis cognoſcuntur, ſint objectum terminativum immediatum, & directum. Ad conf. diſt. ant. Reſpectu DEI idem eſt motivum, & terminativum, ſi ſermo ſit de motivo ſolum intentionali, conc. ant. ſecus, neg. ant. & conſ. videat. num. 148.

179 Dices 1. Objectum formale cognitionis Divinæ eſt illius ſpecificativum ; ſed poſſibilia non poſſunt eſſe ſpecificativum cognitionis Divinæ : ergo. Conf. Tali modo cognitio Divina dependeret a creaturis : ergo. Reſp. diſt. maj. Objectum formale eſt ſpecificativum phyſicum, aut intrinſecum cognitionis Divinæ, neg. maj. pure logicum, & extrinſecum, tranſ. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Cum poſſibilia nec

per

per identitatem, nec per influxum physicum valeant cognitioni Divinæ suum esse tribuere, utique non sunt illius specificativum intrinsecum, aut physicum; possunt nihilominus sine absurdo dici specificativum mere logicum, & illativum, ex quo cognitionem Divinam inferimus; ferme sicut ex possibilitate intrinseca creaturarum, tanquam specificativo logico, inferre possumus omnipotentiam DEI, & ex effectibus perfectionem, ac speciem causarum creatarum. Ad conf. neg. ant. dependere idem est, ac indigere, hinc cognitio Divina cum possibilibus quidem aliquo modo connectitur, tanquam cum suo objecto, attamen tam parum ab illis dependet, quem omnipotentia Divina ab illorum possibilitate intrinseca. Videatur numerus 173.

Dices 2. Saltem juxta nos veritas creata esset ratio formalis cognitionis, qua Deus possibilia in se ipsis cognoscit; hoc rursus non potest admitti; alias eadem veritas creata etiam esset ratio essentiæ, & existentiæ Dei, utpote cum cognitione identificatæ. Conf. Voluntas Divina non potest pro objecto formali, seu ratione amandi habere bonitatem creatam: ergo neque cognitio veritatem creatam. Resp. conc. maj. intellectam de ratione mere logica, & a posteriori, Neg. min. cum sequela addita; quippe hic modus loquendi, veritas creata est ratio essentiæ, & existentiæ Dei, videtur significare, quod Deus suum esse, & existere habeat a veritate creata, tanquam ratione physica, vel metaphysica a priori, quod neque de ipsa cognitione Dei verum est. Ad conf. transf. ant. quod cum aliis negat Gormaz, neg. conf. Si antecedens verum est, tunc ideo, quia summa rectitudo voluntatis Divinæ exigit, ut omnia ordinet unice ad Deum, tanquam finem ultimum, adeoque in voluntatem Divinam refunderetur aliqua imperfectio moralis, si in bonitate creata sisteret. At in intellectum per cognitionem possibilium in se ipsis nulla 180

redundat imperfectio ſive phyſica, ſive moralis. Certe licet Deus non poſſit amare peccatum, poteſt tamen illud cognoſcere, imo neceſſario cognoſcit omnem veritatem creatam.

181 Obj. 3. Deus poſſibilia perfectiſſime cognoſcit in ſe ipſo: ergo ſuperfluum foret, illa etiam cognoſcere in ſe ipſis, cum ideo nihil novi, aut melius cognoſceret. Conf. Cognitio, qua Deus poſſibilia in ſe ipſo cognoſcit, eſt infinite prrfecta: ergo jam includit omnem perfectionem, quæ in ratione cognitionis dari poteſt. Reſp. diſt. ant. Omnia poſſibilia in ſe ipſo cognoſcit perfectiſſime, & ſimul omni formaliter modo, quo poſſunt ſine imperfectione cognoſci, neg. ant. non tamen omni formaliter modo, quo poſſunt ſine omni imperfectione cognoſci, conc. ant. & neg. conſ. Ad ſcientiam infinite perfectam ſpectat, ut non tantum ſimplicitur omnia poſſibilia ſupercomprehendat, ſed etiam, ut ea cognoſcat omni modo, quo ſine imperfectione cognoſci poſſunt; conſequenter licet modus poſſibilia cognoſcendi in ſe ipſis nihil novi manifeſtet, ideo neutiquam eſt ſuperfluus, ſed Deo omnino neceſſarius. Sic licet Chriſtus per viſionem beatificam creaturas cognoſcat in verbo, ideo non cenſetur ſuperflua ſcientia infuſa, qua easdem cognoſcit in ſe ipſis. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. in ſenſu formali acceptam; quippe cognitio, qua Deus poſſibilia in ſe ipſo cognoſcit, necdum formaliter includit perfectionem cognoſcendi poſſibilia omni modo, quo ſunt cognoſcibilia.

182 Dices 1. Mòdus cognoſcendi poſſibilia in ſe ipſis eſt minus perfectus; ſicut cognitio Angelorum veſpertina, qua res creatas in ſe ipſis cognoſcunt, juxta S. Auguſtinum eſt imperfectior, quam cognitio, qua creaturas cognoſcunt in verbo. Conf. Species, per quam objectum in ſe cognoſcitur, debet eſſe ab illo objecto cauſata: ergo eſſentia Dei non poteſt eſſe ſpecies intelligibilis, repræſentans poſſibilia

bilia in ſe ipſis. Reſp. diſt. ant. Hic modus eſt minus perfectus realiter, & excluſive, neg. ant. formaliter, & præciſive, tranſ. ant. Cognitio matutina, & veſpertina Angelorum ſunt realiter diſtinctæ, & fiunt per diverſa media: at cognitio poſſibilium in ſe ipſis a parte rei eſt ipſa cognitio, qua Deus poſſibilia in ſe ipſo cognoſcit, & utraque ſuum eſſe habet ab eſſentia Divina, tanquam ſpecie intelligibili; ut adeo modus cognoſcendi poſſibilia in ſe ipſis ad ſummum ſit minus perfectus in ſenſu formali, & præciſivo, quo ſenſu etiam potentia producendi muſcam in Deo eſt minus perfecta, quam potentia producendi hominem. Ad conf. neg. ant. Angeli multa in ſe ipſis cognoſcunt per ſpecies a Deo infuſas; ſufficit ergo, modo ſpecies poſſit repræſentare objectum.

Dices 2. Juxta nos Deus poſſibilia cognoſcit mediante eſſentia Divina: ergo illa non cognoſcit immediate in ſe ipſis. Conf. Deus omnia videt in ſe ipſo, tanquam in ſpeculo clariſſimo, ut cum S. Thoma, & multis antiquis Patribus explicare ſolent Theologi: ergo poſſibilia tantum videt mediate. Reſp. diſt. ant. cognoſcit poſſibilia mediante eſſentia Divina, tanquam medio ut quo, conc. ant. tanquam medio ut quod, neg. ant. & conſ. loquendo de cognitione poſſibilium in ſe ipſis. Equidem eſſentia Divina reſpectu cognitionis, qua poſſibilia cognoſcuntur in Deo, ſe habet ut quod, ſive tanquam objectum cognitum, in quo creaturæ poſſibiles ſolum cognoſcuntur mediate, & indirecte. At reſpectu cognitionis, qua poſſibilia cognoſcuntur in ſe ipſis, eſſentia Divina ſe tantum habet ut quo, ſeu per modum applicationis intentionalis, qua poſſibilia intellectui Divino applicantur, unde recte dicitur, quod Deus per hanc cognitionem poſſibilia immediate cognoſcat, ſicut e. g. arbor immediate dicitur in ſe ipſa videri, licet videatur mediantibus ſpeciebus. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Si ſpecies a ſpe- 183

culo reflexæ ſe habent ut quod, de quo litigant Philoſophi, hæc paritas ſolum procedit de cognitione, qua Deus poſſibilia cognoſcit in ſe ipſo; imo neque in hoc eſt adæquata, cum ſpeculum non repræſentet objecta, niſi per ſpecies ab ipſo objecto acceptas.

184 Obj. 4. Deus ſe ipſum non cognoſcit in creaturis poſſibilibus: ergo nec creaturas poſſibiles in ſe ipſis. Ant. prob. Deus in creaturis poſſibilibus ſe ſolum cognoſceret imperfecte, & ænigmatice, ſicut nos de facto Deum in creaturis cognoſcimus; hoc repugnat infinitæ perfectioni Divinæ: ergo. Conf. talis cognitio deberet incipere a creaturis: ergo hoc ipſo eſſet imperfecta. Reſp. neg. ant. Ad prob. diſt. maj. Si ſe ipſum in creaturis cognoſceret ſtricte, ac proprie per ſpeciem creaturis propriam, conc. maj. ſecus, neg. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Perfectio, & claritas cognitionis ſolum commenſuratur illi objecto, cujus ſpecies propria eſt principium, vel quaſi principium cognitionis; cum igitur Deus ſe ipſum in creaturis non cognoſcat per ſpecies ipſis creaturis proprias, ſed per eſſentiam Divinam, hæc cognitio non eſt tantum ænigmatica, & imperfecta; ſicut ſunt cognitiones humanæ, quibus in via per ſpecies a creaturis abſtractas Deum cognoſcimus. Ad conf. diſt. ant. Hæc cognitio realiter ſpectata inciperet a creaturis, neg. ant. formaliter ſpectata, ſubdiſt. inciperet a creaturis tanquam principio, vel quaſi principio, neg. ant. tanquam mero termino, in quantum in creaturas juxta noſtrum modum concipiendi tenderet directe, & immediate, & in Deum indirecte, ac mediate, tranſ. ant. & neg. conſ. Nam tali modo imperfectio ſolum datur ex parte noſtri modi concipiendi.

185 Dices. DEUS in creaturis ſe non poteſt cognoſcere aliter, quam quo modo in illis relucet, & cum illis connectitur; ſed Deus in creaturis relucet valde imperfecte, neque quoad omnia ſua prædicata formalia

malia cum illis connectitur: ergo. Conf. Cognoscere se ipsum in se ipso, & in creaturis, sunt duo modi oppositi; nam cognoscere in se ipso est se cognoscere ratione sui, & se cognoscere in creaturis est se non cognoscere ratione sui: ergo. Resp. neg. maj. Sicut potentia perfectior, licet detur idem objectum, & medium, perfectiorem cognitionem elicere potest, e. g. Angelus perfectiorem, quam homo, & homo perfectiorem, quam brutum, sic Deus necessario semper habet cognitionem perfectissimam etiam supra meritum objecti, vel medii. Rationem ulteriorem supra dedimus; quia nempe creaturæ Deum ad se ipsum in illis cognoscendum non determinant per speciem propriam, sed præcise ob connexionem cum Deo sunt ratio logice sufficiens, ut etiam se ipsum cognoscat. Ad conf. neg. ant. Cognitio, qua Deus se cognoscit in creaturis, non excludit cognitionem, qua se cognoscit in se ipso, & ratione sui, sed ab illa tantum formaliter præscindit. Neque ob diversas ejusmodi formalitates in cognitione Dei datur aliquis circulus, aut processus in infinitum, ut colligitur ex dictis Num. 153.

DISPUTATIO II.

De Scientia Visionis.

Scientia Visionis vocatur illa, qua Deus cognoscit res ut actu existentes pro aliqua temporis differentia. Unde pro objecto habet non tantum prædicata Divina necessario existentia, sed etiam res creatas contingenter existentes, sive dein jam actu existant, sive extiterint, sive primum sint extituræ. Ex quo patet, quomodo differat a scientia libera. Nam scientia Visionis etiam tendit in illa, quæ necessario existunt, & vicissim scientia libera in actus Dei liberos conditionate futuros, 186

 quam-

quamvis pro nulla temporis differentia ſint actu extituri, ut adeo nec omnis ſcientia Viſionis ſit libera, nec omnis ſcientia libera ſit ſcientia Viſionis. Porro de ſcientia Viſionis, prout ſe extendit ad objecta neceſſario exiſtentia, vel contingenter quidem exiſtentia, quæ tamen actu jam dantur, vel data fuerunt, non eſt ſpecialis difficultas; unde in hac diſputatione ſolum diſcutiemus, an, & quomodo Deus videat objecta contingentia abſolute futura, præſertim libera.

187 Contingens in genere dicitur, quod potentia antecedente poteſt eſſe, & non eſſe. Si procedat a cauſa libera proxime expedita ad agendum, vel non agendum, erit contingens ſimpliciter tale, uti actus liberi creaturæ; ſi autem procedat a cauſa neceſſaria quidem, attamen adhuc impedibili, ſaltem ſupernaturaliter, erit contingens ſecundum quid, uti calor productus ab igne. Econtra neceſſarium dicitur, quod ſe aliter habere non poteſt. Si id proveniat ex ipſa eſſentia rei, nulla prorſus facta ſuppoſitione, erit abſolute neceſſarium, & ſic ſolus Deus neceſſario exiſtit. Si vero tantum proveniat ex ſuppoſita aliqua conditione, erit tantum neceſſarium ex ſuppoſitione; quæ ultima neceſſitas non opponitur contingentiæ, cum omne ens contingens ſuppoſita aliqua conditione neceſſario ſit, vel non ſit. Sic ex ſuppoſito, quod exiſtat volitio libera creaturæ, abſolute implicat, ut non ſit, & ſimiliter, ut ait S. Thomas hic q. 3 art. 13: *Omne, quod eſt, neceſſe eſt eſſe.*

188 Propterea neceſſitas ulterius dividitur in antecedentem, & conſequentem. Antecedens, quam aliqui cum S. Thoma vocant neceſſitatem conſequentis, juxta S. Anſelmum lib. 2 cur Deus homo. cap. 18 eſt illa, quæ facit rem, ſeu ex qua tanquam aliquo præſuppoſito, vel concomitante res ſequitur inimpedibiliter. Sic catena ferrea inauferibilis eſt neceſſitas antecedens ad non fugiendum. Neceſſitas conſequens (alii illam vocant neceſſitatem

con-

confequentiæ) eft, quam facit res, feu quæ fequitur ex ipfa rei fuppofitione. Sic ambulatio libere incepta eft neceffitas confequens motus. Hæc rurfus non obftat contingentiæ, etiam ftricte, & fimpliciter tali. Sic non obftat libertati Petri, fi ex fuppofito, quod libere currat, non poffit non moveri; cum ipfum curfum libere poffit omittere; ad hoc autem, ut negationem motus cum curfu conjungat, nunquam libertatem habere potuit.

Futurum contingens dicitur, quod ita eft futurum, ut potentia antecedente potuiffet non effe futurum; ejus forma denominans eft futuritio, quam plerique Thomiftæ refpectu entium contingentium conftituunt in decreto Dei, nullam aliam futuritionem admittentes, nifi illam, quæ datur in aliquo præcedente ipfum effe futuri contingentis. Noftri cum plurimis Scotiftis diftinguunt inter futuritionem formalem, & caufalem. Per caufalem intelligunt ordinationem, vel connexionem caufæ exiftentis ad effectum nondum exiftentem. Si ifta connexio infallibiliter poft fe trahit effectum, eft futuritio caufalis fimpliciter, & ftricte talis. Si vero tantum eft aliqua inclinatio caufæ ad effectum, vi cujus ordinarie loquendo effectus fequitur, erit tantum futuritio caufalis minis ftricte talis, & fecundum quid. Futuritio formalis eft ipfa non exiftentia rei nunc, & exiftentia rei poftea, pro tempore videlicet per copulam importato. Per hoc enim, quod res nunc non fit, fit autem poftea, proprie denominatur & intelligitur effe futura. 189

Utramque hanc futuritionem fatis clare tradidit S. Thomas; quamvis enim quibusdam in locis mentionem fecerit folius futuritionis caufalis, tamen in aliis eam expreffe a formali diftinguit; ut quando q. 12 de verit. art. 10 ad 7 ait: *Poteft aliquid dici futurum, non folum ex hoc, quod ita erit, fed quia eft ita ordinatum in fuis caufis.* Ratio eft, quia 190

futuritio causalis juxta dicta nihil aliud est, quam ordinatio causæ de præsenti existens, a qua res futura habebit, ut suo tempore existat: ergo cum quælibet causa distinguatur a suo effectu, etiam futuritio causalis distinguitur a formali, quæ est ille effectus, seu terminus, quem futuritio causalis respicit; sicut possibilitas intrinseca est ille effectus, & terminus, quem respicit possibilitas extrinseca, & causalis. Hinc quando Angelicus I part. q. 16 art. 7 ad 3 docet, quod res aliquando futuræ non fuerint ab æterno, nisi in causa, solum vult, quod non fuerint aliquid positivum, sed quod solus Deus ab æterno extiterit.

191 Colliges 1. Quod futuritio causalis sit totum simultaneum, utramque partem importans pro præsenti, nempe præparationem causæ, & negationem existentiæ rei futuræ. Hinc qui futurum tantum cognoscit in sua causa, seu futuritione causali, juxta S. Thomam q. 12 de veritate art. 3 ad secundum potius habet scientiam, quam præscientiam futuri. 2. Quod futuritio causalis minus stricte talis possit dari, quin sequatur, aut detur futuritio formalis e. g. potest dari inclinatio ad iram, quin sequatur actus iræ. Hinc propositio affirmans tantum futuritionem causalem potest esse vera, licet non sequatur futuritio formalis. 3. Quod futuritio formalis sit totum successivum, cujus partes simul dari nequeunt; & ideo, ut nunc detur denominatio futuri, non requiritur, ut nunc omnes illius partes dentur, sicut non requiritur, ut simul dentur omnes partes anni, senis &c. 4. Imo naturam hujus denominationis esse talem, ut pro præsenti exigat dari non ipsam rem, sed negationem rei, sicut id exigit denominatio præteriti; si enim res actu existeret, nunc non esset futura, aut præterita, sed præsens.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An DEUS per ſcientiam Viſionis cognoſcat omnia futura contingentia præſertim libera?

SCientiam rerum contingentium Deo abnegarunt 192
1. illi, qui Job. cap. 22 v. 13 dixerunt: *Quid enim novit Deus? & quaſi per caliginem judicat.* Item Pſalm. 93. v. 7: *Non videbit Dominus, nec intelliget DEUS Jacob.* 2. Tullius lib. 2. de Divinatione, qui, cum præſcientiam Dei non poſſet cum libertate humana combinare, negavit, Deum eſſe præſcium futurorum. 3. Idem aſſeruit Marcion, eo quod primum hominem fuerit paſſus in peccatum labi, ut colligitur ex Tertulliano lib. 2 adverſus ipſum cap. 5. 4. Waltherus Lolhardus per Germaniam, & Bohemiam inter cætera ſpargens, Deum neſcire mala, quæ ſub terra fiunt, ideo anno 1321 Coloniæ exuſtus. 5. Sociniani, etſi præſcientiam futurorum non omnino negent, eo tamen dementiæ devenere, ut dicerent, futura libera contingentia conjecturis duntaxat quibusdam, ac veriſimilibus rationibus Deo nota eſſe, non certa, ac firma cognitione.

Dicendum. Deus certiſſime præſcit omnia fu- 193
tura contingentia, etiam libera. Prob. 1 Authoritate Scripturæ, Pſalm. 138 v. 3 & 4: *Intellexiſti cognitiones meas de longe - - & omnes vias meas prævidiſti.* Eccleſ. 23 v. 29: *Domino DEO, antequam crearentur, omnia ſunt cognita.* Sap. 8 v. 8: *Scit præterita, de futuris æſtimat, - - ſigna, & monſtra ſcit, antequam fiant, & eventus temporum & ſæculorum.* Conf. Ex libris Prophetarum, per quos Deus plurima contingentia abſolute futura prædixit; quas Prophetias Origenes Lib. 5 contra Celſum *Divinitatis notam, & characterem,* Tertullianus Apologet. cap. 20 *Divinitatis teſtimonium* appellat

pellat, Isaias quoque cap. 41 v. 23 Gentilium Numinum inanitatem ostensurus, provocat ea ad enunciandа futura: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos.* Hinc merito S. Augustinus lib. 5 de civit. cap. 9 scripsit: *Confiteri DEUM, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.*

194 Probatur 2 Ratione. Intellectus Divinus, utpote infinite perfectus essentialiter est determinatus ad cognoscendum ab æterno certo, & infallibiliter omnem veritatem eo modo, quo datur, & ex suppositione, quod detur; Hæc enim est perfectio simpliciter simplex, & oppositum manifesta imperfectio arguens ignorantiam: ergo Deus est essentialiter determinatus ad cognoscenda ab æterno omnia contingentia absolute futura; nam sicut ex suppositione, quod aliquid actu sit, necessario verum est, quod sit, sic ex suppositione, quod aliquid sit absolute futurum, necessario verum est, quod ita sit futurum. Conf. Deus contingentia futura infallibiliter cognoscit tunc, quando actu existunt; ergo eadem infallibiliter jam cognoscit ab æterno, antequam actu existant; alias proficeret in sua scientia, in quantum inciperet de novo aliquid cognoscere, quod prius vel omnino non cognovisset, vel saltem non tam perfecte; quod aperte repugnat perfectioni, & Immutabilitati Divinæ.

Objectiones.

195 Obj. 1. Deus sæpe aliqua prædixit, quæ postea non evenerunt, ut Isai. 38. v. 2 mortem Ezechiæ Regis. Jonæ 3 v. 4. subversionem Ninive &c. ergo prædictiones Divinæ tantum fuerunt conjecturales, & potius comminationes, quam prædictiones. Conf. Ex eo, quod Deus aliqua certa prædixerit, præsertim, quæ ipsi soli erant libera, non sequitur,

tur, quod infallibiliter cognoſcat omnia, etiam ea, quæ ſunt libera homini: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Quamvis aliquæ prædictiones Divinæ caruerint ſuo eventu, abſurdiſſime Deo affingitur cognitio tantum conjecturalis; ſed vel iſtæ prædictiones tantum fuerunt comminatoriæ, & conditionatæ e. g. niſi Ezechias ad Deum per preces confugiat; vel ſi fuerunt abſolutæ, tantum fuit prædicta futuritio cauſalis, eaque minus ſtricte talis. Ad conf. neg. ant. Eadem ratio, quæ probat, a Deo aliqua futura contingentia infallibiliter cognoſci, etiam probat, cognoſci omnia, & in Scriptura non ſolum actus Deo liberi, ſed etiam cogitationes, peccata, aliique actus humani prædicuntur. Vid. Num. 191.

Dices. Scriptura de libere futuris non nunquam 196
adhibet particulas forte, forſitan &c. *Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant, & convertantur*, Jerem. 26 v. 2 & 3, *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi*, Ioann. 5 v. 46; Atqui hæc indicant notitiam tantum dubiam, & conjecturalem: ergo. Conf. non nulli ex antiquis Patribus, & Doctoribus negarunt in Deo præſcientiam futurorum, uti S. Auguſtinus lib. 2. ad Simplicianum q. 2. S. Gregorius Magnus lib. 20 moral. cap. 23. Boetius lib. 5 de conſ. philoſoph. proſ. 6. ergo. Reſp. conc. maj. neg. minor. Ad conf. diſt. ant. Negarunt in Deo præſcientiam quoad rem, neg. ant. quoad nomen, ſubdiſt. Reſpectu Dei, conc. ant. Reſpectu noſtri, neg. ant. Dum reſpectu Dei nihil ſit proprie futurum, ſed omnia præſentia, Patres quidam, & Doctores contenderunt, notitiam, quam Deus habet de rebus, quæ reſpectu noſtri ſunt futuræ, non debere reſpectu Dei vocari præſcientiam futurorum, ſed ſcientiam præſentium, ut explicat S. Auguſtinus loc. cit. his verbis: *Quid eſt præſcientia, niſi ſcientia futurorum? quid autem futurum eſt DEO, qui omnia ſupergreditur tempora? ſi enim in ſcientia*

res

res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes: ac per hoc non jam præscientia, sed scientia dici potest. Interim S. Doctor ipsemet respectu nostri præscientiam Dei adstruit, ut patet ex Num. 193.

197 Cæterum particulæ forsan, forsitan, aliæque similes a S. Scriptura adhibentur, ut significent, rei eventum incertum esse respectu nostri. Ita S. Augustinus in Psalm. 2: *Ne quando irascatur Dominus, cum dubitatione positum est, non secundum visionem Prophetæ, cui certum est, sed secundum eos ipsos, qui monentur, quia cum dubitatione cogitare solent iram DEI, quibus non aperte revelatur.* 2. Ut doceat, ex prævisione Dei liberum non lædi hominis arbitrium, *Verbum ambiguum forsan*, inquit S. Hieronymus in cap. 26 Jerem. *Majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servetur arbitrium.* 3. Ad designandam rei difficultatem, vel ad increpandam hominum malitiam, & pervicaciam. Ita rursus S. Augustinus, qui tract. 37 in Joann. ad ea Christi verba, *si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*, ait: Ille, *qui omnia scit, quando dicit forsitan, non dubitat, sed increpat.* Et post pauca: *Dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante, quia nesciente. cum vero dicitur a DEO verbum dubitationis: cum DEUM nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Divinitas.*

198 Obj. 2. Cognitio futurorum contingentium non est melior, quam ejus negatio; sed Deus esset æque perfectus, si talia objecta non essent absolute futura, consequenter ut talia ab illo non cognoscerentur: ergo hæc cognitio non est perfectio. Conf. contingentia absolute futura nondum habent certam veritatem, adeoque nondum sunt infallibiliter cognoscibilia: ergo tam parum est aliqua imperfectio illa nondum certo cognoscere, quam non posse producere

ducere impoſſibilia. Reſp. diſt. ant. Hæc cognitio non eſt melior, quam ejus negatio nulla facta hypotheſi, conc. ant. facta hypotheſi, quod contingentia revera ſint abſolute futura, neg. ant. & ſub eadem diſtinct. conſ. Quamvis non ipſa actualis cognitio futurorum contingentium, nihilominus eſſentialis determinatio ad cognoſcendam omnem veritatem juxta omnes eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; cum igitur ex ſuppoſitione, quod contingentia ſint aliquando exitura, neceſſario verum ſit, illa eſſe futura, Deus eſſentialiter eſt determinatus ad ea, ut talia cognoſcenda; & hæc cognitio utique melior eſt, quam ignorantia, aut cognitio illi oppoſita. Ad conf. neg. ant. Abſolute futura habent determinatam veritatem, tum in ſua cauſa ſive decreto Divino, tum in ſe ipſis, ut patet ex dictis, & adhuc uberius explicabitur.

Dices. Contingentia abſolute futura fient ali- 199
quando præſentia, aut præterita : ergo ſi Deus illa ab æterno affirmat ut futura, vel poſtea debet mutari ejus cognitio, vel ſi durat, evadit falſa. Conf. Hypotheſis, quod contingentia aliquando ſint futura, primum dabitur in tempore : ergo ſub hac hypotheſi non poſſunt cognoſci ab æterno ut futura. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. Si Deus illa affirmaret ut abſolute futura reſpectu ſuæ æternitatis, vel durationis creatæ præſentis, aut præteritæ, conc. conſ. Si tantum affirmat ut futura reſpectu alicujus durationis præcedentis, neg. conſ. Quando Deus aliquid affirmat, ut futurum, id ſolum affirmat reſpectu alicujus durationis creatæ præcedentis, & quidem determinatæ e. g. peccatum Antichriſti futurum reſpectu omnium durationum præcedentium actualem exiſtentiam peccati, reſpectu durationis vero, cui peccatum coexiſtet, affirmat illud ut præſens, demum reſpectu durationum ſubſequentium affirmat illud ut præteritum; quare cognitio Divina nunquam mutatur, aut falſificatur, quia, quod ab

æterno

æterno affirmat, ſemper affirmat, & iſtud ſemper verum manet. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Hoc ipſo namque, quod in tempore hæc hypotheſis detur, ab æterno verum eſt, quod contingentia abſolute ſint futura.

QUÆSTIO II.

An ſcientia Viſionis ſit cauſa rerum?

200 Cum Deus nihil agat cæco modo, ſed omnia ſumma ſapientia, & conſilio producat, vel permittat, manifeſtum eſt, aliquam ſcientiam eſſe cauſam rerum, & decretis Divinis prælucere. Hinc Deus Pſalm. 103 v. 24. dicitur, *omnia in ſapientia feciſſe*, & Sap. 7 v. 21: *Sapientia omnium artifex.* Enim vero, quia cauſa directiva artefacti juxta omnes eſt ſcientia artificis, quæ oſtendit naturam artefacti, atque ordinem, & modum illud faciendi, facile inter Scholas convenit, Scientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe cauſam remotam rerum, videlicet cum voluntate Divina efficaciter aliquid decernente, & omnipotentia exſequente. Conſentit S. Thomas, dum part. 1 q. 14 art. 8 docet, *Scientiam, quæ eſt cauſa rerum, eſſe ſcientiam artificis, & habere ſe ad oppoſita ita, ut non magis repræſentet exiſtentium, quam non exiſtentiam ſui objecti; ac propterea indigere determinatione Divinæ voluntatis, nec aliter cauſare, niſi mediante voluntate.* Quibus noſtri reſpectu actuum liberorum addunt ſcientiam mediam, qua Deus prævidet, quid quilibet libere eſſet acturus, ſi haberet hanc determinatam libertatem.

201 At Thomiſtæ contra pleroſque alios Auctores contendunt, cauſam proximam rerum eſſe ſcientiam Viſionis, non ſolum realiter ſpectatam, prout cum ſcientia ſimplicis Intelligentiæ, & Decretis Divinis identificatur, ſed etiam formaliter ſpectatam, prout hoc ipſum objectum, quod juxta ipſos efficit, tanquam abſolute futurum cognoſcit. Id Alvarez Gonzalez,

zalez, Gonetus, aliique Recentiores Thomiſtæ ita explicant. 1. Scientia ſimplicis intelligentiæ exhibet rem poſſibilem, ſimulque oſtendit modum, ac finem, quo, & propter quem res poſſit produci. 2. Prælucente hac ſcientia Deus decernit effectum ſuo tempore ad extra producere. 3. Hoc tamen decretum nondum ſufficit, ut res producatur, ſed inſuper requiritur actus imperii, quo intellectus Divinus dicat: Fiat hoc. Nam principium productivum rerum ad extra juxta ipſos non eſt potentia formaliter ab intellectu, & voluntate diſtincta; neque eſt ipſa voluntas, quæ intellectum ad illud imperium tantum movet, & applicat, ſed eſt intellectus, cujus proin actus eſt practicus, prout imperat, approbat, & facit ſuum objectum: ſpeculativus vero, prout illud intuetur & videt.

Sed contra eſt 1. Quod SS. Patres, ut contra 202
gentiles, & hæreticos oſtendant, præſcientiam DEI non obſtare libertati noſtrorum actuum, ferme unanimiter aſſerant, & veluti loco principii ponant, actiones noſtras non ideo eſſe futuras, quia a Deo præſciuntur, ſed ideo eas præſciri a Deo, quia ſunt futuræ, adeo, ut Vaſquez in Patribus verſatiſſimus diſp. 68 cap. 6 aſſerere non dubitet, communi Patrum doctrina, & ratione bene perpenſa, rem hanc extra controverſiam fore, ſi animus indagandæ veritati potius, quam contentioni eſſet intentus. Complura ejusmodi Patrum teſtimonia exhibet Montoya diſp. 33, 34, & 36, ex quibus aliqua inferius recitabimus. Id ſolum hic noto, hæc teſtimonia Patrum non tantum poſſe intelligi de præſcientia peccatorum; nam Patres loquuntur generatim de præſcientia futurorum, ſive bona, ſive mala illa ſint, & ſcopus illorum erat oſtendere, quod præſcientia Divina non præjudicet libertati humanæ; quantum autem ad libertatem, par eſt ratio boni, & mali operis.

203 Contra est 2. Quia imperium metaphoricum intellectus (Deus enim sibi proprie non imperat, sicut nec obedit) gratis confingitur, & est prorsus superfluum; nam cum Deus sit omnipotens, & nullam possit habere difficultatem in executione, ad productionem rerum creatarum sufficit decretum Divinæ voluntatis, quod imperium metaphoricum vocari potest ob potentiam, & efficaciam voluntatis Divinæ, ad cujus nutum res existunt, non aliter, ac si illius imperium perciperent, & promptissime obedirent. Nec est paritas cum actibus & causis intellectualibus creatis, in quibus S. Thomas 1 2 q. 17 art. 1 imperium intellectuale videtur requirere, eoquod in creatis potentiæ executivæ distinguantur ab intellectu, & in ipsa executione quandoque magna detur difficultas. Quod si tamen contendas, in Deo debere admitti scientiam practicam, dico, eam esse scientiam simplicis Intelligentiæ, & etiam mediam, quæ seorsim consideratæ sint practicæ remote, conjunctæ autem cum imperio voluntatis practicæ proxime; & respectu actuum bonorum vocari possunt scientia Approbationis.

204 Contra est 3. Tam scientia speculativa Visionis, quam practica, seu imperium intellectuale est juxta Thomistas essentialiter requisitum, simulque essentialiter connexum cum actu secundo, ac demum a libertate creata inimpedibile; alias posset a creatura pro libitu determinari vel impediri, adeoque actus nostri absolute futuri ideo a Deo præviderentur, quia sunt futuri, & non vicissim: ergo hæc scientia neque potest esse causa proxima, neque remota actuum liberorum; non causa proxima, quia si hæc scientia constitueret actum primum proximum creatum, hic non amplius esset indifferens ad actum, & omissionem actus, sed essentialiter determinatus ad unum: non causa remota, in quantum voluntati Divinæ tantum præluceret ad concipiendum decretum; nam juxta Thomistas scientia practica primum

mum ad decretum ſubſequitur, & alias actus primus proximus metaphyſicus ad tale decretum involveret aliquid eſſentialiter cum decreto connexum, nempe ipſam ſcientiam Viſionis ſui objecti: ergo decretum Divinum non proveniret ab actu primo proximo indifferente, nec eſſet liberum.

Dices 1. Juxta S. Scripturam Deus omnia cau- 205
ſat per dictionem, ſeu locutionem internam: *Ipſe dixit, & facta ſunt,* Pſalm. 148 v. 5; atqui hæc dictio eſt actus intellectus, & ſcientia viſionis; cum Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non dicat, ut res fiant, ſed tantum, quod poſſint fieri. Conf. Juxta S. Thomam ſcientia operativa ſubjacet voluntati Divinæ, & eſt tantum eorum, quæ exiſtunt de præſenti, præterito, & futuro: ergo non eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Reſp. tranſ. maj. neg. min. rationem diſt. per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſeorſim ſpectatam, conc. ſpectatam una cum decreto Divino, neg. Complexum ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & decreto Divino, merito poteſt vocari locutio practica DEI, nec ulla ratione probatur, quod hæc locutio debeat conſiſtere in ſolo actu intellectus. Ad conf. diſt. ant. Scientia operativa ſubjacet voluntati Divinæ in eſſendo, neg. ant. in operando, conc. ant. Scientia ſimplicis intelligentiæ neceſſario quidem exiſtit, & repræſentat ſua objecta, eaque præciſe poſſibilia, non tamen neceſſario operatur, ſed quoad hoc voluntati Divinæ ſubjacet, cum qua ſua objecta cauſat, & ſic in operando etiam fit ſcientia eorum, quæ pro aliqua temporis differentia exiſtunt.

Dices 2. Sicut medicina non curat, quod igno- 206
rat, ſic nulla ſcientia poteſt eſſe cauſa rerum, quas non cognoſcit; atqui ſcientia ſimplicis intelligentiæ non cognoſcit res exiſtentes, vel abſolute futuras: ergo. Conf. Scientia dirigens voluntatem Divinam ad operandum debet proponere id, quod

 decer-

decernitur: ergo debet proponere exiſtentiam rei. Reſp. conc. maj. diſt. min. Scientia ſimplicis intelligentiæ non cognoſcit res exiſtentes, vel abſolute futuras ut tales, conc. min. quæ ſunt tales, & ut poſſibiles, neg. min. & conſ. nam res poſſibiles, & exiſtentes realiter ſunt idem; hinc ſcientia viſionis, & ſimplicis intelligentiæ non differunt quoad objectum, ſed tantum quoad modum tendendi, e. g. ſcientia ſimplicis intelligentiæ affirmat, quod hic mundus, ſi exiſteret, non dicat repugnantiam; ſcientia viſionis, quod hic mundus, qui non implicat, exiſtat, cum utique non alius exiſtat mundus, quam qui poſſibilis fuit. Ad conf. diſt. ant. Debet proponere ut factibile id, quod decernitur, conc. ant. Debet proponere ut jam factum, neg. ant. & conſ. Quod ſcientia dirigens artificem, artefactum non debeat proponere ut jam confectum, ſed ſolum ut factibile, ſeu modum, quo conficiatur, clare patet ex creatis.

207 Dices 3. Verbum Divinum procedit non ſolum ex cognitione rerum poſſibilium, ſed etiam ex viſione ſui ipſius, ita, ut Pater æternus videndo Filium, ipſum producat, & producendo videat: ergo etiam creaturæ poſſunt ſimul produci, ſimulque videri per ſcientiam Viſionis. Conf. Licet decreta Divina ſint neceſſario connexa cum objecto futuro, tamen juxta nos poſſunt conſtituere ſcientiam practicam, ſalva libertate DEI, ac hominum: ergo etiam ſcientia viſionis. Reſp. omitt. ant. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia proceſſio, ſeu productio Verbi Divini non eſt libera, neque verbum a Patre producitur dependenter ab aliquo decreto, ſed naturali, & metaphyſica neceſſitate; at productio rerum creatarum debet eſſe libera voluntati Divinæ, & ſæpe etiam voluntati creatæ; alterutra autem libertas everteretur, ſi ſcientia viſionis eſſet cauſa rerum, vel certe imperium intellectuale omnino eſt ſuperfluum. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Si datur

præ-

prædefinitio intrinſece efficax, non eſt cauſa immediate, & determinate requiſita, ſed ſolum mediate ſe tenens ex parte actus remoti, cumque a ſcientia media dependeat, eſt impedibilis a creatura, & ideo non tollit libertatem creatam; neque libertati, aut prudentiæ voluntatis Divinæ opponitur, ut alibi ex inſtituto declarabitur.

QUÆSTIO III.

In quibus mediis DEUS videat contingentia abſolute futura?

Varia ejusmodi media ab auctoribus aſſignantur. D. Bonaventura cum non nullis aliis auctoribus docuit contingentia abſolute futura a Deo cognoſci in ſuis ideis, per ideas intelligendo vel ipſam eſſentiam Divinam imitabilem, & participabilem a rebus creatis, vel rationem practicam, quæ in mente DEI repræſentat res factibiles, & omnem modum, quo factibiles ſunt. Sed contra eſt: Ideæ Divinæ in utroque ſenſu explicato non ſunt eſſentialiter connexæ cum entibus contingentibus abſolute futuris, ſed prorſus indifferentes ad hoc, ut futura aliquando exiſtant, vel non exiſtant: ergo non ſunt medium aptum, in quo contingentia futura cognoſcantur. Conſ. patet. Ant. prob. Etiamſi nullum contingens exiſteret, nihilominus exiſteret eſſentia Divina, & verum eſſet, quod ſit a creaturis participabilis; neque ratio practica, utut in ſua linea perfecta, res aliter repræſentat, quam præciſe ut factibiles: ergo Ideæ Divinæ non ſunt eſſentialiter connexæ cum entibus contingentibus abſolute futuris; neque iſta ſunt cognoſcibilia pro illo ſigno, pro quo ideæ Divinæ dari concipiuntur. 208

Ex hoc ipſo argumento colligitur 1. Quod Deus contingentia futura non cognoſcat in ſua omnipotentia, aut alia perfectione neceſſaria; cum nulla 209

nulla perfectio necessaria possit esse essentialiter connexa cum veritate contingente, alioquin ex necessario posset sequi contingens ; quod fieri non posse in summulis demonstratur. 2. Quod Deus actus liberos contingentes non cognoscat in suis causis proximis, & immediatis, seu in libero arbitrio creato, quia etiam hoc de se est indifferens, ut actus liber sit absolute futurus, vel non. Neque dicas, omnipotentiam Divinam, uti etiam arbitrium liberum creatum cum futuris contingentibus saltem essentialiter connecti facta suppositione, quod sint absolute futura, nam cum hac ipsa suppositione omnipotentia Divina, & liberum arbitrium nullam connexionem necessariam habent, & sine illa dari possunt. Hinc licet Deus liberum nostrum arbitrium supercomprehendat, ideo non debet in illo absolute futura cognoscere, nec destituitur aliis mediis illa cognoscendi.

210 Cardinalis Gotti, Alvarez, aliique Thomistæ Recentiores pro medio objectivo statuunt physicam præsentialitatem futurorum cum æternitate DEI. Ad quod intelligendum nota 1. Certum esse, quod res creatæ Deo ab æterno sint præsentes tum objective, quatenus ab æterno sunt cognoscibiles, tum intentionaliter, quatenus ab æterno re ipsa a Deo cognoscuntur. 2. Quod omnia, quæ aliquando existent, tunc saltem, quando existunt, sint physice præsentia Deo, ejusque æternitati, & quidem toti, utpote indivisibili. 3. Quod creaturæ ab æterno physice non coexistant Deo in propria sua mensura, quasi in æternitate DEI jam essent positæ extra suas causas, & propria illarum duratio se ad totam æternitatem extenderet. Nihilominus Thomistæ contendunt, creaturas ab æterno realiter, & physice esse Deo præsentes in ipsa æternitate Divina, tanquam earum mensura extrinseca, a qua ab æterno denominentur realiter, & physice præsentes, ferme

sicut

ſicut a Divina cognitione denominantur præſentes intentionaliter.

Hæc jam præſentia rerum prout conſideratur ex parte ipſius æternitatis, juxta Thomiſtas eſt propria ratio, per quam Deus certo cognoſcit omnia futura. Verum contra eſt 1. Quia in nullo vero ſenſu dici poteſt, quod creaturæ realiter, & phyſice ab æterno exiſtant; non enim ab æterno exiſtunt in propria menſura, ſéu duratione, ut per ſe certum; neque in menſura externa æternitatis Divinæ; alias pari jure dici poſſet, quod cr-aturæ per immenſitatem Divinam, tanquam menſuram extrinſecam, exiſtant ubique, adeoque quod humanitas Chriſti, phyſice unita verbo, ſit ubique, ut contendunt Ubiquiſtæ. Jam vero ſi creaturæ in nullo vero ſenſu phyſice, & realiter ab æterno exiſtunt, etiam in nullo vero ſenſu phyſice, & realiter coexiſtunt Deo, ejusque æternitati ab æterno: ergo in phyſica, & reali præſentialitate cum æternitate DEI non poſſunt ab æterno cognoſci, 2. Quamvis præſentialitas rerum ab æterno involvat partim res ipſas, partim æternitatem DEI, tamen juxta Thomiſtas ſola æternitas DEI eſt ratio, ſeu medium objectivum cognoſcendi futura, quin illa in ſe ipſis cognoſcantur; atqui hoc non poteſt dici, quia æternitas DEI tam parum habet eſſentialem connexionem cum futuris contingentibus, quam alia prædicata DEI neceſſaria. 211

Denique juxta eosdem Thomiſtas Deus futura contingentia libera etiam cognoſcit in decretis prædeterminantibus, juxta Scotiſtas in decretis condeterminantibus, juxta Auguſtinianos in decretis moraliter neceſſitantibus, juxta Noſtros in complexo ex ſcientia media, & decreto collativo auxilii; quippe hoc complexum eſſentialiter eſt connexum cum actu libero futuro; ſi enim Deus habeat hanc ſcientiam mediam infallibilem: Si Petrus haberet libertatem a, ageret pœnitentiam, & ſi præterea de- 212

 cernat,

cernat, Petro ſuo tempore conferre hanc libertatem a, neceſſaria conſequentia inde ſequitur, quod Petrus ſuo tempore pœnitentiam ſit acturus. Ex eadem ratione Deus contingentia abſolute futura cognoſcit in decretis prædefinitivis, Deo adæquate intrinſecis, & intrinſece efficacibus, ſi quidem talia decreta dentur; ſi vero decreta DEI compleantur per aliquid extrinſecum creatum, & hoc complementum ſint ipſæ res futuræ, non poterunt cognoſci in actu Divinæ voluntatis, utpote abſolute neceſſario, ſed idem plane erit, res videri in decreto, & eas videri in ſe ipſis.

213 Dices 1. Juxta SS. Patres reſpectu æternitatis Divinæ nihil eſt præteritum, aut futurum: ergo omne id, quod aliquando phyſice, & realiter coexiſtit æternitati Divinæ, ſemper, & ab æterno eidem coexiſtit. Conf. Deus creaturis coexiſtit ab æterno: ergo etiam creaturæ Deo. Reſp. diſt. ant. reſpectu æternitatis Divinæ nihil eſt præteritum, aut futurum, præteritione aut futuritione ſtricte tali, qualis datur in rebus creatis, conc. ant. præteritione, aut futuritione minus ſtricte tali, neg.ant. & conſ. Præteritio, & futuritio ſtricte talis eſt, quæ conſtituitur ex durationibus adæquate diverſis, & nullatenus coexiſtentibus: cum igitur creatura quandocumque exiſtit, neceſſario durationi, ſeu æternitati Divinæ indiviſibili coexiſtat, merito SS. Patres aſſerunt, in ſenſu ſtricto reſpectu DEI nihil eſſe præteritum, aut futurum. Poſſunt nihilominus res creaturæ reſpectu DEI dici futuræ, in quantum Deus exiſtit ante creaturas, & illis fuit prior duratione, quem ſenſum ſæpe indicat ipſa Scriptura, præſertim Pſalm. 89 v. 2. *Priusquam montes fierent -- a ſæculo tu es Deus.* Ad conf. neg. ant. Nam forma adæquata denominans Deum creaturis coexiſtentem, non eſt ſola æternitas DEI, ſed inſuper duratio rei creatæ.

214 Dices 2. S. Thomas 1 part. q. 14 art. 13 docet, quod omnia, quæ ſunt in tempore, ſint ab æterno

Deo

Deo præsentia, *Non solum ea ratione, qua habet rerum rationes apud se præsentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Conf. Creaturæ coexistunt Deo ut existenti ab æterno: ergo. Resp. S. Thomam plus non velle, quam quod creaturæ ab æterno non solum sint Deo præsentes intentionaliter & objective, ut factibiles, ac possibiles, *seu ea ratione, qua DEUS habet rerum rationes apud se præsentes*; sed etiam ut absolute futuræ, *in quantum ejus intuitus ab æterno fertur super omnia* per scientiam Visionis, qua futura contingentia cognoscit in se ipsis. Ad conf. neg. ant. Sicut ad hoc, ut Petrus coexistat Paulo ut hodie existenti, requiritur, ut etiam Petrus existat hodie: sic ad hoc, ut creaturæ coexisterent Deo ut existenti ab æterno, requireretur, ut etiam creaturæ ab æterno existerent. Dein quæro, an creaturæ coexistentes Deo quoad locum, exinde coexistant ut existenti ubique?

Dices 3. Ut duo physice, & realiter sibi sint 215 præsentia, non debent adæquate, & pro semper sibi coexistere, sed sufficit, quod res aliquando coexistens sit vere subjecta conspectui claro, & intuitivo alterius, ut indicat S. Thomas 1. part. q. 8. art. 3. ergo licet creaturæ Deo physice non coexistant ab æterno, sunt tamen Deo physice ab æterno præsentes. Conf. Deus absolute futura cognoscit iutuitive: ergo debent ab æterno ipsi esse præsentia. Resp. transf. totum, quod denique reducitur ad modum loquendi, quin tamen aliquid patrocinetur Thomistis; quia nihilominus verum manet, quod creaturæ ab æterno Deo non coexistant, & quod ratio adæquata, seu motivum objectivum futura contingentia cognoscendi non sit æternitas DEI; sed ipsa futura objective Deo ab æterno præsentia. Ad conf. dico, ad cognitionem intuitivam plus non requiri, quam ut

ut objectum cognoscatur clare, & in se, vel per speciem propriam, vel alienam eminenter continentem perfectiones speciei propriæ: Vel certe sufficit, ut res Divinæ cognitioni aliquando physice coexistat; cum enim hæc sit æterna, ab æterno rem videt intuitive, quin requiratur æterna utriusque coexistentia. Videantur dicta de æternitate DEI.

QUÆSTIO IV.

An DEUS contingentia absolute futura etiam cognoscat in se ipsis?

216 Quemadmodum certissimum est, quod nihil contingens possit esse absolute futurum, Deo illud non decernente, aut permittente, ita libentissime fatemur, quod propositiones de contingentibus absolute futuris non possint esse veræ ante, aut in signo priori ad decretum DEI, ut malevole, aut imperite nobis affingunt multi Adversarii. Sed si quandoque nostri Auctores obscurioribus phrasibus usi dixerunt, ejusmodi propositiones esse veras independenter, aut sine decreto DEI, solum voluerunt, quod non sint formaliter veræ per decretum DEI; in quantum futuritio rerum, aut formalis veritas istarum propositionum potest concipi præscindendo a decreto DEI, nec ab illo dependet tanquam a parte constitutiva. Unde status quæstionis non est, an Deus contingentia absolute futura cognoscat ante suum decretum, sed præcise versatur in eo, an actus contingentes absolute futuri, seu veritas objectiva ipsis intrinseca, sint Deo sufficiens ratio objectiva, ut eos cognoscat potius esse futuros, quam non futuros, videlicet cognitione in se ipsis minus stricte tali, ut diximus de cognitione, qua Deus cognoscit possibilia in se ipsis.

Dicen-

Dicendum. Deus contingentia absolute futura cognoscit in se ipsis. Ita nostri communiter: ex Nominabilibus Okamus, Gregorius Major; ex Scotistis cum suo Doctore Subtili Faber, Pontius, & reliqui uno agmine, ut loquitur Martinez: ex antiquioribus Thomistis Hervæus, Capreolus, Ferrariensis, & non pauci alii, contra Thomistas Recentiores. S. Thomas 1. part. q. 57 art. 3 in corp. expresse distinguit duplicem modum cognoscendi futura, nempe in suis causis, & in se ipsis; & hunc posteriorem ait esse proprium soli Deo. Quia videlicet creaturæ indigent aliquo influxu physico ex parte objecti, quem futura neque per se, neque per vicarias species præstare possunt. Idem repetit q. 86 art. 4 in corp. his verbis: *Sciendum est, quod futura dupliciter cognosci possint, uno modo in se ipsis, alio modo in suis causis: in se ipsis quidem futura cognosci non possunt nisi a DEO.* Hinc dici non potest, quod per hos textus solum velit indicare, quod Deus futura in suis causis non tantum cognoscat quomodocumque, sed secundum esse eorum proprium; nam tali modo etiam a nobis cognosci possunt, ut loco posteriore ipse Angelicus declarat exemplo astronomi, qui in causa eclypseos cognoscit eclypsim secundum esse illius proprium. 217

Probatur conclusio ratione. Contingentia absolute futura habent in se ipsis hanc determinatam veritatem objectivam, & cognoscibilitatem, quod sint absolute futura: ergo Deo sunt sufficiens ratio objectiva, ut illa in se ipsis cognoscat: cum igitur intellectus Divinus subjective sit essentialiter determinatus ad cognoscendum omne cognoscibile, prout cognoscibile est, neque indigeat objecto præsente, aut physice motivo, contingentia absolute futura a Deo actu in se ipsis cognoscuntur. Ant. videtur patere; sicut enim contingentia actu existentia habeat hanc determinatam veritatem, quod actu existant, 218

ſtant, & ex ſuppoſito, quod exiſtant, non poſſunt non exiſtere : ſic etiam contingentia futura habent hanc determinatam veritatem, quod ſint futura, & facta ſuppoſitione, quod aliquando ſint extitura, impoſſibile eſt, ut non ſint futura. Conf. ad hominem contra Thomiſtas, qui communiter docent, actus Deo contingentes compleri per aliquid extrinſecum, nempe per ſe ipſa contingentia futura; quo poſito explicari non poteſt, quomodo Deus illa cognoſcat in ſuo decreto, niſi eadem cognoſcat in ſe ipſis, ut indicavimus Num. 212.

219 Cæterum ratio a priori, quod contingentia abſolute futura habeant determinatam veritatem, eſt iſta. Ex una parte natura contradictionis eſſentialiter, & ſaltem confuſe exigit, ut quolibet inſtanti reali futuro aliqua pars contradictionis detur, & altera non detur; nam idem in nullo inſtanti reali poteſt ſimul eſſe, & non eſſe : ex altera parte in nullo inſtanti reali poteſt dari ſuſpenſio, vel indeterminatio realis inter duo contradictoria, ſed quodlibet determinate eſt, vel non eſt; ergo quodlibet contingens ſuo tempore erit, vel non erit, e. g. Antichriſtus ſuo tempore peccabit, vel non peccabit : ergo ex ſuppoſito, quod Antichriſtus ſit peccaturus, jam nunc neceſſario determinate verum eſt, quod peccatum Antichriſti ſit futurum. Neque dicas, de hoc ipſo ſuppoſito, an Antichriſtus ſit peccaturus, eſſe quæſtionem; nam utique ſuo tempore erit liber ad peccandum, vel non peccandum, adeoque ſe neceſſario ad hoc vel illud determinabit : ergo ſi ſe determinaturus eſt ad peccatum, nunc determinate verum eſt, peccatum eſſe futurum, ſi vero ſe determinaturus eſſet ad non peccandum, determinate verum eſſet, peccatum non eſſe futurum, ut patet ex paritate cum præſentibus, & præteritis.

Objectio-

Objectiones.

Obj. 1. Si Deus futura contingentia cognosceret immediate in se ipsis, deberent esse determinativum scientiae Divinae; atqui hoc non potest dici, quia futura contingentia nihil sunt, & nunc in se ipsis nullam habent cognoscibilitatem. Conf. Determinativum cognitionis Divinae debet existere ab aeterno; sed absolute futura non existunt ab aeterno: ergo. Resp. dist. maj. Deberent esse determinativum mere extrinsecum, & intentionaliter motivum, conc. maj. intrinsecum, aut physice motivum, neg. maj. & sic dist. min. conf. Quamvis futura contingentia nihil adhuc sint, nec habeant aliquam cognoscibilitatem affirmabilem pro statu, sunt tamen aliquid per ampliationem, quatenus suo tempore aliquid erunt, quod solum per propositiones de futuro enunciatur, non vero quod actu jam existant. Ad conf. dist. maj. Determinativum subjectivum cognitionis Divinae debet existere ab aeterno, conc. maj. Determinativum objectivum, neg. maj. Determinativum subjectivum est infinita intellectus Divini perspicacia, per quam essentialiter est determinatus ad omne verum cognoscendum. Modo igitur verum sit, quod aliquid contingens in tempore sit futurum, haec veritas objectiva Deum jam potest ad sui cognitionem extrinsece determinare. 220

Dices 1. Contingentia futura in se necdum sunt aliquid determinatum, sed adhuc indifferentia; nam e.g. Antichristus suo tempore habebit adhuc plenam libertatem ad ponendum, vel omittendum peccatum: ergo ne quidem possunt esse determinativum objectivum cognitionis Divinae. Conf. Ideo Deus in libertate Antichristi non potest praevidere illius peccatum, quia libertas est indifferens ad peccandum vel non peccandum: ergo quia etiam peccatum Antichristi adhuc est indifferens ad existendum, vel non 221

non existendum, non potest videri in se ipso. Resp. dist. ant. Erunt tamen suo tempore aliquid in se determinatum, conc. ant. aliter, neg. ant. & cons. Ad determinativum extrinsecum, & pure objectivum sufficit, si sit aliquid in se determinatum pro illo tempore, pro quo a Deo cognoscitur esse exstiturum; quia igitur Antichristus suo tempore libere peccabit, & indifferentiam peccati ad existendum tollet, Deus non obstante libertate Antichristi, potest cognoscere illius peccatum esse futurum. Ad conf. conc. ant. neg. cons. & parit. Libertas secundum se pro nulla temporis differentia habet necessariam connexionem cum determinato membro contradictionis: econtra peccatum Antichristi suo tempore necessario determinate erit, vel determinate non erit; cum in statu reali inter hæc nequeat dari suspensio.

222 Dices 2. Saltem contingentia absolute futura in se non sunt certa, & infallibilia, multo minus necessaria: ergo non possunt esse ratio objectiva cognitionis Divinæ infallibilis. Conf. Non potest dari certa, & infallibilis cognitio creata futurorum in se ipsis: ergo neque Divina. Resp. dist. ant. In se non sunt certa, & infallibilia nulla facta suppositione, conc. ant. facta suppositione, quod sint absolute futura, neg. ant. Metaphysice enim implicat, ut objectum ex suppositione, quod sit futurum, non sit futurum. Itaque infallibilitas cognitionis Divinæ oritur partim ex hac certitudine objectiva, partim ac præcipue ex infinita perspicacia intellectus Divini, & essentiali determinatione ad cognoscendum omne verum. Ad conf. transf. ant. neg. conf. Intellectus creatus non est ex se determinatus ad cognoscendum omne verum, neque ab ipsis futuris potest determinari, ut advertimus Num. 217. Unde illa solum cognoscit in suis causis, quæ si cum re futura sint certo connexæ, hæc in illis etiam a creaturis certo cognosci potest. Sic certo cognoscimus

mus futuritionem rei, quam Deus futuram esse revelavit; quodsi insuper accedat lumen suasivum hanc futuritionem immediate manifestans, etiam poterit cognosci immediate in se ipsa.

Obj. 2. Objectum determinativum scientiæ Visionis est futuritio rerum contingentium; sed hæc consistit in decreto tanquam causa infallibili, per quam futurum a mere possibili distinguitur, quin producatur nova forma in futuro, ferme sicut non producitur nova forma in objecto cognito. Conf. Non possumus concipere rem ut possibilem sine omnipotentia Divina: ergo neque rem ut futuram sine decreto Divino. Resp. conc. maj. dist. min. Futuritio causalis consistit in decreto Divino, trans. min. futuritio formalis, neg. min. Decretum Divinum extrinsece quidem & causaliter futurum a mere possibili distinguit, non tamen intrinsece ipsam futuritionem formalem constituit. Hinc neutiquam se habet, sicut cognitio, quæ est forma unice & immediate denominans cognitum; quod enim objectum se solo non sufficiat ad tribuendam sibi denominationem cogniti, per se patet ex ipsa notione nominis: at vero modo concipiatur res non existens pro nunc, existens autem postea, formaliter concipitur futura. Ad conf. dist. ant. Non possum concipere rem extrinsece possibilem sine omnipotentia DEI, conc. ant. intrinsece possibilem, neg. ant. & eodem modo conf. Vid. Num. 189. 223

Dices 1. Futurum nunc datur, & est denomina- 224
tio realis; nam Antichristus nunc est futurus: ergo futuritio debet esse præsens, imo ab æterno; sicut ab æterno verum fuit, quod Antichristus sit futurus: atqui præter decretum Divinum nihil est præsens, aut ab æterno existit: ergo. Conf. Forma denominans debet tunc dari per statum, quando aliquid denominat: sed futuritio nunc denominat Antichri-

tichristum futurum: ergo. Resp. dist. ant. Futurum nunc datur per statum, & adæquate, neg. ant. per ampliationem, vel etiam inadæquate per statum, trans. ant. & sub eadem distinct. neg. cons. Futurum quidditative sumptum dicit negationem rei nunc, & existentiam postea, unde est solum denominatio realis, ac positiva inadæquate, ad quam sufficit, si una pars nunc sit præsens, & ab æterno per statum suo modo fuerit: sicut ad denominationem præteriti sufficit, quod res aliquando fuerit, & nunc per statum detur ejus negatio. Ad conf. dist. maj. Forma denominans debet tunc dari, quando actu denominat, eo modo, quo denominatio id exigit, conc. maj. debet dari alio modo, neg. maj. Futurum juxta communem acceptionem dicitur, quod nunc non est, erit autem postea. Unde denominatio futuri solum exigit, ut nunc suo modo per statum detur negatio existentiæ. Vid. Num. 191.

225 Dices 2. Si ad denominationem futuri sufficit, ut detur negatio existentiæ pro nunc, dabitur etiam futuritio, postquam res jam actu extitit, sicque ipsum præteritum poterit dici futurum; hoc absurdum: ergo. Conf. Existentia e. g. Antichristi destruit futuritionem: ergo non potest esse illius pars; alias totum destrueretur a sua parte. Resp. dist. maj. Si sufficit, ut detur negatio existentiæ pro nunc quomodocunque, conc. maj. si debet dari eo modo, quo exigit denominatio futuri, neg. maj. Hæc denominatio negationem existentiæ pro nunc ita exigit, ut negatio præcedat, & existentia postea sequatur: econtra præteritum negationem existentiæ pro nunc ita involvit, ut existentia præcesserit, negatio sequatur. Ad conf. dist. ant. Existentia rei, quæ tantum datur per ampliationem, destruit futuritionem, neg. ant. existentia rei, quæ datur per statum, subdist. destruit futuritionem adæquate, & secundum omnes partes, neg. ant. inadæquate, nempe secun-

ſecundum negationem exiſtentiæ, conc. ant. & neg. conſ. In totis ſucceſſivis nihil eſt novi, quod pro diverſis inſtantibus involvant contradictoria, & una pars alteram deſtruat.

Obj. 3. Vel propoſitiones de futuris contingen- 226
tibus ſunt veræ dependenter, vel independenter, a decreto Divino? ſi primum, ſine decreto divino non poſſunt cognoſci: ſi ſecundum, non magis a decreto dependent, quam poſſibilia, & ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Conf. Propoſitio de futuro adhuc eſt indifferens ad veritatem, & falſitatem: ergo. Reſp. Tales propoſitiones eſſe quidem veras dependenter a decreto Divino, tanquam aliquo ad illorum ſuturitionem, & ſcientiam Viſionis præ-requiſito, non vero tanquam conſtitutivo veritatis. Unde hæc præſcindendo a decreto poteſt concipi, & ſic cognitio futurorum in ſe ipſis eſt a decreto independens præciſive: ſcientia autem ſimplicis intelligentiæ nullum omnino decretum prærequirit. Ad conf. diſt. ant. Propoſitio adhuc eſt indifferens extrinſece, neg. ant. intrinſece, ſubdiſt. propoſitio naturalis, conc. ant. ſupernaturalis, aut Divina, neg. ant. & conſ. Indifferentia intrinſeca eſt capacitas propoſitionis ad conformitatem, vel difformitatem cum ſuo objecto, hæc cum propoſitionibus naturalibus ac creatis identificatur, & nunquam poteſt tolli. Indifferentia extrinſeca præter dictam capacitatem dicit præciſionem a ſtatu objecti, quæ cauſaliter tollitur per decretum Dei, formaliter per ipſam futuritionem objecti; hac enim data, non amplius datur præciſio ab eo, an objectum ſit futurum.

Dices 1. Veritas propoſitionum de futuris jam 227
nunc datur: ergo jam nunc debet dari illarum objectum verificativum; cum utique totum, & omnes partes ſint idem. Conf. Negatio exiſtentiæ pro nunc poteſt ſtare cum veritate, & falſitate propoſitionis, ſicut ſtare poteſt cum objecto futuro, & non futu-

ro : ergo non poteſt propoſitionem determinare ad verum. Reſp. diſt. ant. Veritas harum propoſitionum denominative ſumpta jam nunc datur, conc. ant. quidditative ſumpta, neg. ant. & diſt. conſ. Ergo debet dari illarum verificativum eo modo, quo propoſitio illud affirmat dari, conc. conſ. alio modo, neg. conſ. Propoſitiones de futuro dicunt objectum nunc non eſſe, futurum autem poſtea ; neque ipſæ propoſitiones, quæ denominantur veræ, ſunt veritas quidditative ſumpta, ſed hæc partialiter etiam conſiſtit in objecto ita ſe habente, prout enuntiat propoſitio, & in propoſitionibus de futuris eſt totum ſucceſſivum. Retorſio rurſus datur in propoſitiones de præteritis. Ad conſ. conc. ant. diſt. conſ. Ergo negatio ſe ſola non poteſt propoſitionem determinare ad verum, conc. conſ. una cum exiſtentia danda ſuo tempore, neg. conſ. Albedo muri A poteſt partialiter determinare ſimilitudinem cum muro B, etſi ſtare poſſit cum albedine, & nigredine muri B.

228 Dices 2. Si actu non datur propoſitio, non datur veritas : ergo etiam, ſi actu non datur objectum. Conf. Præteritum jam eſt aliquid determinatum, & extra ſuas cauſas poſitum, & inſuper aliquid dicit de præſenti, e. g. ſpeciem rememorativam a ſe relictam : ergo non eſt paritas inter præteritum, & futurum. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Propoſitio eſt ſubjectum recipiens denominationem veri, hinc illius exiſtentia actualis ad hanc denominationem ſimpliciter requiritur ; non ita ſemper requiritur ſtatus objecti, ut quando aliquid affirmatur de præteritis. Certe deficiente homine deficit denominatio ſenis, quæ non deficit deficientibus annis præteritis. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Paritas a nobis ſolum inſtituitur in hoc, quod, ſicut intellecta præciſe negatione rei nunc, & exiſtentia antea, plene intelligitur, quod res ſit præterita, & per hæc duo verificantur propoſitiones de præteritis, ſic etiam præciſe intellecta negatione rei nunc, &

exi-

existentia postea intelligatur, quod res sit futura, & per hæc verificentur propositiones de futuro. Adde etiam, præterita pro statu non esse determinata, & nihil magis indignum Theologo, quam dicere, hanc propositionem: *Judas extitit*, formaliter verificari per speciem a Juda relictam.

Obj. 4. Natura contradictionis non exigit, ut 229
potius hoc membrum contradictionis sit verum, quam alterum. Imo neque hoc evincitur ex eo, quod a parte rei non possit dari suspensio: ergo ex his principiis non probatur, quod unum membrum contradictionis sit verum. Conf. Nos sæpe nescimus, ad quid homo se sit determinaturus e. g. ad peccandum, vel non peccandum: ergo neutrum possumus determinate inferre. Resp. transf. ant. dist. conf. Non probatur, quod unum membrum contradictionis sit verum determinate, neg. conf. unum potius, quam alterum, transf. Natura contradictionis inprimis exigit, ut alterutra propositio indeterminate sit vera; cum autem a parte rei non possit dari indeterminatio, ex hoc principio simul sequitur, quod Antichristus e. g. necessario suo tempore se sit libere determinaturus ad unum determinatum: facta igitur hypothesi, quod se sit determinaturus ad peccandum, hæc propositio: Antichristus peccabit, potius vera erit, quam ejus contradictoria. Ex quo vides, ultimato denique a determinatione Antichristi haberi, quod potius hæc, quam altera propositio sit vera. Ad conf. conc. ant. dist. conf. Neutrum possumus inferre determinate quo ad nos, conc. conf. determinate quod se, neg. conf. Licet ex allatis rationibus nondum sciamus, quænam propositio determinate sit vera, scimus tamen, quod una sit determinate vera, & hanc Deus cognoscit.

Dices 1. Ex istis principiis sequeretur, quod 230
propositiones de contingentibus futuris jam sint ve-

ræ in signo priori ad decretum Dei. Probatur. Vel in signo priori ad decretum Dei existet Antichristi peccatum futurum, vel ejus negatio? Si existet peccatum, propositio, Antichristus peccabit, jam est vera ante decretum Dei: si non, ejus contradictoria est vera. Conf. Natura contradictionis exigit, ut jam ante decretum Dei alterutra contradictoria sit vera: ergo. Resp. neg. sequelam. Ad probationem neg. maj. In signo priori ad decretum Dei nec peccatum, nec negatio peccati existet, sed datur mera indifferentia ad utrumlibet. Nam esse in signo priori naturæ dicit esse constitutivum actus primi proximi ad agendum: atqui nec peccatum, nec negatio peccati potest constituere actum primum proximum ad hoc ipsum peccatum, quia nec peccatum se ipsum, nec negatio peccati peccatum causare potest. Hinc non sunt contradictoria: Actus non est in signo priori. Negatio actus non est in signo priori; non enim habent idem subjectum, & utraque potest esse vera. Ad conf. neg. suppositum, quod antecedenter ad decretum Dei possit ulla veritas, vel falsitas contingens concipi. Cum ante decretum Dei nihil contingens possit fieri.

231 Dices 2. A parte rei non potest dari suspensio, & præcisio, sed ex contradictoriis debet unum dari: ergo jam ante decretum debet una propositio esse vera. Conf. Ante decretum Dei nihil potest contingere: ergo hoc ipso vera est hæc propositio: Antichristus antecedenter ad decretum Dei non peccabit. Resp. dist. ant. A parte rei non potest dari suspensio, & præcisio formalis, & ex contradictoriis unum debet dari in quolibet instanti reali, conc. ant. non potest dari suspensio, & præcisio fundamentalis, & ex contradictoriis aliquod debet dari in quolibet signo naturæ, vel rationis, neg. ant: licet in nullo instanti reali a parte rei possit dari medium inter esse, & non esse, datur tamen medium in priori

signo

ſigno inter determinate verum, & falſum, nempe indifferentia, in quantum in ſigno priori ad decretum cauſa adhuc poteſt, & debet concipi indifferens ad agendum, vel non agendum, in quo conſiſtit præciſio fundamentalis, ſeu fundamentum præſcindendi ab exiſtentia & non exiſtentia e. g. peccati futuri. Hinc ad conſ. conc. ant. diſt. conſ. Ergo vera eſt allata propoſitio veritate neceſſaria, conc. conſ. veritate contingente, de qua hic agimus, neg. conſ. Cum nihil poſſit contingere niſi Deo decernente, aut permittente, neceſſarium eſt, ut nec peccatum Antichriſti, nec aliquid aliud ante decretum Dei ſit futurum. At pariter neceſſarium eſt, ut Deus pro poſteriori ſigno determinet vel exiſtentiam, vel negationem rei, ſaltem per puram omiſſionem decreti, quia non poteſt manere irreſolutus.

QUÆSTIO V.

An ſcientia Viſionis præjudicet contingentiæ, & libertati noſtrorum actuum?

CUm ex una parte certum ſit, quod Deus habeat præſcientiam omnium contingentium abſolute futurorum, etiam liberorum, ut auctoritate, 232
& ratione oſtendimus quæſt. 1: ex altera vero parte etiam libertas actuum noſtrorum clariſſimis Scripturæ, ac Patrum teſtimoniis, ac evidentibus argumentis in tractatu de actibus humanis demonſtretur, manifeſte ſequitur, erraſſe Joannem Huſs, Wicleffum, Calvinum, aliosque novatores, aſſerentes, contingentiam, & libertatem actuum noſtrorum cum infallibili præſcientia Dei ſtare non poſſe. Neque obſtat, quod ipſi Doctores Catholici inter ſe controvertant, quomodo hæc invicem combinari poſſint; nam certo conſtat, & omnes conveniunt de re,

de re, quamvis non constet de modo, quo res explicari debeat. Nos hic omissis aliorum explicationibus concordiam præscientiæ Divinæ cum nostra libertate juxta principia partim a nobis jam stabilita, partim adhuc stabilienda declarabimus.

233 Dicendum: Scientia Visionis nihil præjudicat contingentiæ, & libertati nostrorum actuum. Prob. 1. Præscientia Dei licet certa, & infallibilis, non obstat, quo minus actus nostri contingentes absolute futuri ponendi sint a potentia proxime expedita ad agendum, & non agendum: ergo non præjudicat illorum libertati. Conf. patet ex conceptu libertatis. Ant. prob. Præscientia Dei est tantum simplex intuitus objecti, & nihil in illo immutat; sed mere repræsentat, prout est in se, & vi suæ causæ, quam omnino indifferentem relinquit: ergo tam parum obstat, quo minus actus absolute futuri sint ponendi a potentia proxime expedita ad agendum, & non agendum, quam parum obstat cognitio evidens & certa, qua homo cognoscit suas, vel alterius actiones liberas præsentes. Conf. Memoria certa, & evidens de actibus præteritis non tollit libertatem, dependenter a qua fuerunt positi: ergo etiam præscientia Dei non tollit libertatem actuum futurorum, sed potius dandam supponit; cum neutra immutet indifferentiam causæ. Hinc S. Augušt. lib. de liber. arb. cap. 4. ait: *Sicut tu memoria tua non cogis, facta esse, quæ præterierunt: sic DEUS præscientia sua non cogit facienda esse, quæ futura sunt.*

234 Probatur 2. Necessitas, quæ oritur ex præscientia Divina, est tantum consequens; sed hæc necessitas consequens non obstat libertati, & contingentiæ: ergo. Min. patet ex Num. 188, major prob. Præscientia Divina, ac proinde etiam necessitas inde orta tantum consequitur ad liberum voluntatis creatæ arbitrium, & posset a creatura impediri, in quantum

tum creatura impedire posset ipsum actum suum liberum, sine quo præscientia Dei absolute dari non posset, cum actus liberi non ideo sint futuri, quia Deus illos prævidet, sed ideo Deus illos prævidet, quia sunt futuri; quo argumento contra gentiles usi sunt SS. Patres, ut advertimus Num. 202. S. Justinus Martyr in lib. Quæst. q. 58 ait: *Nec causa est ejus, quod futurum est, prænotio, sed quod futurum est, causa est prænotionis: neque enim prænotionem sequitur, quod futurum est, sed quod futurum est, prænotio.* Origenes lib. 7 in cap. 8. ad Rom. *Non propterea erit aliquid, quia id scit DEUS futurum, sed quia futurum est, scitur a DEO, antequam fiat.* S. Hieronymus in cap. 26 Jerem. *Non ex eo, quod DEUS scit futurum aliquid, idcirco futurum est, sed quia futurum est, Dominus novit.* Similia habent S. Chrysostomus, Damascenus, Beda, Cyrillus, & præsertim S. Anselmus.

Objectiones.

235 Obj. 1. Ex una parte præscientia Dei est essentialiter vera, & infallibilis: ex altera parte antecedit omnia contingentia futura: ergo quidquid præscit DEUS, necessario est futurum, consequenter præscientia Dei tollit contingentiam, & libertatem nostrorum actuum. Conf. Præscientia Dei non potest dependere a creaturis: ergo futura contingentia nullam habent prioritatem ad illam. Resp. conc. ant. quoad 1 membrum. dist. quoad 2. Scientia Dei antecedit omnia contingentia futura causalitate, neg. ant. & duratione, conc. ant. & dist. conf. Ergo quidquid præscit DEUS, necessario est futurum necessitate consequente, conc. conf. antecedente, neg. conf. Licet præscientia Dei sit ab æterno, nihilominus actus nostri illam præcedunt objective, & hæc denominatio: Deus præsciens actum liberum futurum, a voluntate nostra

ſtra poteſt determinari, vel impediri, ſi enim actum ponas, facis, ut Deus illum præſciverit. Si omittas, facis, ut illum ab æterno non præſciverit. Ad conf. tranſ. ant. diſt. conſ. Futura non habent prioritatem phyſicam ad præſcientiam Dei, conc. conſ. objectivam, & logicam, neg. conſ. Quia futura nullum præſtant influxum phyſicum in præſcientiam Dei, utique hæc ab illis in ſenſu ſtricto non dependet, poteſt tamen dici dependere in ſenſu latiore, quatenus futura objective, & logice ſcientiam Dei determinant.

236 Dices 1. Juxta S. Gregorium, & Auguſtinum ſcientia Viſionis præcedit actus noſtros cauſalitate; nam prior lib. 20 Moral. cap. 23 ait: *Quæcunque ſunt, non ab æternitate ejus ideo videntur, quia ſunt, ſed ideo ſunt, quia videntur.* Et lib. 32 cap. 6: *Non exiſtentia videndo creat, exiſtentia videndo continet.* Poſterior lib. 15 de Trinit. cap. 1 inquit: *Univerſas creaturas ſuas - - - non quia ſunt, ideo novit: ſed ideo ſunt, quia novit; non enim neſcivit, quæ fuerat creaturus: quia ergo ſcivit, creavit, non quia creavit, ſcivit, nec aliter ſcivit creata, quam creanda.* Reſp. Ne iſti duo Patres communi aliorum videantur contradixiſſe, explicandi ſunt de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ propter ſuam certitudinem, & claritatem etiam in ſenſu quodam latiore ſcientia Viſionis appellari poteſt, & non exiſtentia quodammodo metaphorice creat, tribuens ipſis eſſe intentionale. Certe S. Auguſtinus lib. 6 de Trinit. cap. 10, ubi ſimili modo loquitur, illam ſcientiam, quæ eſt cauſa rerum, dicit *Artem omnipotentis DEI.* Et lib. 5 de civit. cap. 10 ait: *Neque enim ideo peccat homo, quia DEUS illum peccaturum præſcivit, qui ſi nolit, utique non peccat, ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit.*

237 Dices 2. S. Auguſtinus expreſſe ait, quod Deus *non aliter ſciverit creata, quam creanda;* atqui creata non ſcivit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: ergo. Conf. S. Thomas part. 1 q. 18 a. 8 exponens textum

textum Origenis Num. 234 a nobis allegatum, dicit, primam partem intelligendam esse de scientia, cui non competit ratio causalitatis, nisi adjuncta voluntate, alteram vero partem intelligendam secundum causam consequentiæ, non secundum causam essendi. Resp. conc. maj. dist. min. creata non scit per scientiam simplicis intelligentiæ ut creata, conc. min. ut creabilia, neg. min. Intentio S. Augustini, ut ex contextu patet, fuit, ostendere, quod Deus nunquam acquirat novam notitiam, & non ideo præcise cognoscat creata, quia nunc existunt, sed quod ea jam cognoverit ab æterno. Ad conf. Per expositionem primæ partis Angelicus solum indicat, quod scientia visionis non inducat juxta Origenem necessitatem, eo quod non sit causa rerum secundum se, sed prout adjunctum habet decretum voluntatis Divinæ. Per expositionem vero secundæ partis nihil aliud docet, quam quod objectum futurum non sit causa physica præscientiæ Divinæ, sed præcise ratio logica, ex qua velut a priori inferri potest, quod Deus illud præsciat, quin vicissim, ex præscientia tanquam a priori inferri possit, quod objectum sit futurum; quippe scientiam, quæ est causa rerum, ipse S. Doctor vocat scientiam artificis, dicit, illam se habere ad opposita, ut notavimus Num. 200.

Obj. 2. Scientia Dei est immutabilis: ergo non 238
potest impediri a creatura; alias Deus ex sciente fieret non sciens. Conf. Vel præscientia Dei a libertate creata posset impediri ab æterno, vel in tempore? non primum, quia libertas creata non fuit ab æterno: non secundum, quia alias scientia Dei in tempore posset deficere. Resp. conc. ant. neg. conf. Rationem additam dist. Deus ex sciente, fieret non sciens per mutationem scientiæ, neg. per antecedentem illius carentiam, transf. Tunc scientia Dei mutaretur, si Deus prius haberet scientiam de aliquo objecto, & postea illam non amplius haberet. At hoc

hoc creatura non poteſt facere, ſed ſolum impedire, ut Deus ab æterno ſcientiam de ſuo peccato futuro nunquam habuiſſet; attamen tunc habuiſſet ſcientiam oppoſitam de peccato non futuro. Hinc ad conf. conc. maj. neg. min. quoad ſecundum membrum cum ratione addita. Præſcientia Divina de actibus liberis futuris includit, vel ſaltem eſſentialiter præſupponit ipſum actum liberum in tempore futurum: ſicut ergo homo in tempore actum liberum poteſt ponere, vel omittere, ita ſcientiam Dei in tempore poteſt determinare, vel impedire.

239 Dices 1. Quod exiſtit ab æterno, non poteſt impediri per id, quod primum exiſtit in tempore; ſed præſcientia Dei exiſtit ab æterno: ergo. Conf. Ad præteritum non datur potentia, ſed præſcientia Dei, reſpectu actus futuri eſt præterita: ergo. Reſp. diſt. maj. Non poteſt per id, quod primum exiſtit in tempore, impediri phyſice, & directe, conc. maj. logice, & indirecte, neg. maj. Utique creatura in tempore nihil poteſt agere, per quod phyſice, & directe præſcientia Dei impediatur, poteſt nihilominus in tempore impedire objectum, ſcilicet ipſum actum liberum, quem præſcientia affirmat, & ſine quo abſolute dari nequit hæc denominatio: Deus præſciens actum futurum. Ad conf. diſt. maj. Ad præteritum reduplicative ſumptum. & in ſenſu compoſito non datur potentia, conc. maj. ad præteritum ſpecificative ſumptum & in ſenſu diviſo, neg. maj. Quamvis fieri nequeat, ut præteritum ex ſuppoſitione, quod ſit præteritum, ſimul non ſit præteritum, datur tamen potentia ad præteritum ſpecificative ſumptum, quæ ſcilicet antecedenter impedire poſſit ipſum præteritum ſecundum ſe.

240 Dices 2. Factum infectum fieri nequit; alias Antichriſtus ſuo tempore poſſet adhuc impedire fratricidium Caini: ergo neque datur potentia ad præteritum ſpecificative ſumptum. Conf. Juxta nos neque daretur potentia ad impediendum futurum redupli-

duplicative ſumptum, nam ex ſuppoſitione, quod aliquid ſit futurum, fieri nequit, ut non ſit futurum: ergo quoad hoc non erit diſcrimen inter præteritum, & futurum. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Qui impedit præteritum tantum ſpecificative ſumptum, non facit, ut id quod factum eſt, non ſit factum, ſed tantum facit, ut illud nunquam fuerit. Interim cum fatricidio Caini non eſt paritas, utpote quod neutiquam includit, aut ſupponit actum aliquem ab Antichriſto ſuo tempore impedibilem. Ad conf. tranſ. totum, quod pridem in hoc ipſo ſenſu conceſſit S. Auguſtinus lib. 26 contra Fauſtum cap. 4 dicens: *Tam non poſſunt futura non fieri, quam non fuiſſe facta præterita.* In communi tamen modo loquendi futurum ſolet accipi ſpecificative, præteritum reduplicative.

Obj. 3. Saltem ex ſuppoſito, quod revera jam 241
exiſtat præſcientia Dei de actu libero abſolute futuro e. g. de peccato Antichriſti, non amplius poſſet omitti actus: ergo cum iſta ſuppoſitio de facto detur, actus non amplius eſt liber. Conf. Quod eſt determinate futurum, non eſt contingenter, & libere futurum; cum non amplius ſit indifferens, ut ſit, vel non ſit: atqui quod Deus jam præſcit, eſt determinate futurum: ergo. Reſp. diſt. ant. Non amplius poteſt omitti actus potentia conſequente, & in ſenſu compoſito cum præſcientia Divina, conc. ant. potentia antecedente, & in ſenſu diviſo, neg. ant. & eodem modo conſ. Suppoſito, quod detur præſcientia de peccato Antichriſti, hoc ipſo ſupponitur, quod Antichriſtus ſe libere ſit determinaturus ad peccatum, conſequenter ſicut peccatum non poteſt conjungere cum omiſſione peccati, & impotentia non peccandi, ex hoc ſuppoſito orta, eſt tantum conſequens, ſic etiam reſpectu præſcientiæ Divinæ impotentia non peccandi eſt tantum conſequens. Ad conf. diſt. maj. Quod eſt determinate futurum determinatione cauſali, antecedente, & inim-

pedibili,

pedibili, conc. maj. determinatione tantum formali, vel causali impedibili, neg. maj. & sic dist. min. conf. Determinatio causalis est, vi cujus causa determinatur ad unum; formalis, qua res quælibet per suam existentiam potius determinatur ad esse, quam non esse. Hæc non præjudicat libertati, sed ad existentiam cujuslibet entis, etiam liberi, requiritur.

242 Dices 1. Antichristus non potest omittere peccatum stante præscientia Dei: ergo non habet amplius libertatem antecedentem. Conf. Juxta nos aliquod membrum contradictionis ex ipsa natura rei est determinate verum: ergo illud est necessarium necessitate absoluta. Resp. conc. ant. neg. cons. Auctores magnum discrimen solent facere inter istas propositiones: Homo potest non peccare stante præscientia Dei de suo peccato, & : Homo stante præscientia Dei de suo peccato potest non peccare. Prima affirmat simultatem actus, quasi conjungi posset omissio peccati cum præscientia de peccato, quod falsum. Altera tantum affirmat simultatem potentiæ, in quantum cum præscientia de peccato potest conjungi potentia non peccandi, quod verissimum: sicut stante mea ambulatione verissime manet tota mea libertas, & potentia antecedens ad non ambulandum; alias potentia ambulandi libera tolleretur per ipsum suum actum. Ad conf. dist. ant. debet unum membrum determinate esse verum ex ipsa natura rei, independenter a libera determinatione creaturæ, neg. ant. dependenter a libera determinatione creaturæ, transf. ant. & neg. conf. Equidem ex ipsa natura rei potentia libera debet se determinare ad unum determinatum membrum contradictionis, sed non potius ad hoc, quam ad illud. Vid. Num. 229.

243 Dices 2. Si homo non potest conjungere omissionem peccati cum præscientia Dei de peccato, eo ipso in sensu composito præscientiæ Divinæ non habet libertatem: ergo. Conf. Hæc veritas, Antichristus

christus peccabit, est essentialiter connexa cum peccato: ergo si Deus hanc veritatem præscit, peccatum non amplius est liberum. Resp. dist. maj. In sensu composito non habet libertatem ad peccandum, vel non peccandum, & ad præscientiam Divinam impediendam, neg. ant. non habet libertatem ad conjungendam omissionem peccati cum præscientia, conc. ant. & neg. suppositum, quod hanc libertatem chimæricam habere possit, aut debeat. Porro hæc propositio: Homo in sensu composito præscientiæ de peccato potest omittere peccatum, est iterum ambigua, si enim prima verba reducuntur ad to *omittere peccatum*, indicant conjunctionem præscientiæ cum omissione peccati. Si vero tantum reducantur ad verbum *possit*, solum indicant conjunctionem potentiæ non peccandi cum præscientia. Adeoque faciunt sensum divisum ac verissimum. Ad conf. neg. ant. Si enim hæc veritas sumatur denominative pro ipsa propositione, hæc de se est indifferens ad verum & falsum: si sumitur objective, consistit in negatione peccati pro nunc, & ejus existentia postea, negatio peccati rursus est indifferens ad existentiam postea; existentia vero postea est ipsum peccatum, & non tantum aliquid cum illo connexum.

Obj. 4. Si homo stante præscientia Dei est liber 244 ad peccandum, vel non peccandum, potest scientiam Dei falsificare; hoc non potest admitti: ergo. Maj. prob. potest scientiam Dei non verificare: ergo potest illam falsificare. Conf. Homo præscientiam Dei e. g. de suo peccato libere verificat vel non verificat: ergo ita illam verificat, ut possit eandem falsificare: nam præscientiam non verificari est idem, ac falsificari. Resp. neg. maj. ad prob. dist. ant. potest scientiam Dei non verificare potentia antecedente, & in sensu diviso, conc. ant. potentia etiam consequente, aut in sensu composito, neg. ant. & conf. Homo non obstante præscientia Dei de suo peccato

to habet quidem potentiam faciendi, ut non detur verificativum hujus ſcientiæ; at ſi hoc faceret, iſta præſcientia nunquam extitiſſet, poſtquam autem ponitur ex libera determinatione hominis exiſtere, non amplius habet potentiam omiſſionem peccati cum illa conjungendi; hinc ad conſ. conc. ant. neg. conſ. cum ratione addita. Quippe non verificari ſcientiam Dei, tantum dicit non exiſtere illius veritatem, quod etiam tunc verum eſt, ſi præſcientia non omnino datur. Econtra præſcientiam falſificari dicit exiſtere ejus falſitatem, ſeu dari præſcientiam peccati & tamen non eſſe veram.

245 Dices 1. Si homo facta ſuppoſitione, quod exiſtat præſcientia Dei de ſuo peccato, non peccaret, actu falſificaret præſcientiam Dei: ergo ſi facta eadem ſuppoſitione poteſt non peccare, poteſt eandem præſcientiam falſificare. Conf. Homo præſcientiam Dei libere non falſificat: ergo. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. ergo ſi facta eadem ſuppoſitione poteſt non peccare potentia etiam conſequente, & in ſenſu compoſito, poteſt falſificare eandem ſcientiam, conc. conſ. Si tantum poteſt non peccare potentia antecedente, & in ſenſu diviſo, neg. conſ. Si homo ſtante præſcientia de peccato non peccaret, conjungeret omiſſionem peccati cum ſcientia, adeoque daretur ſenſus compoſitus, & præſcientia evaderet falſa, quod non contingit, licet ſtante hac præſcientia habeat potentiam non peccandi. Quippe præſcientia tantum affirmat, non eſſe futuram omiſſionem peccati, non autem affirmat, non eſſe futuram potentiam omittendi peccatum. Ad conf. neg. ant. Præſcientia Divina cum ſit eſſentialiter vera, neceſſario aut verificatur, aut omnino non datur, adeoque impoſſibile eſt, ut homo pro ullo caſu illam falſificet.

246 Dices 2. Poſito quod Petrus heri ſponte admiſerit vinculum inſolubile, hodie non amplius eſt liber ad ambulandum, quia vinculum ab illo non

am-

amplius poteſt tolli, nec ambulatio cum vinculo conjungi, ſed etiam præſcientia de peccato ex ſuppoſito, quod detur, non amplius poteſt tolli, nec omiſſio peccati cum illa conjungi: ergo. Conf. Saltem ſi Antichriſtus in ſacra ſcriptura legat revelationem de ſuo peccato, neceſſario peccabit, vel debebit falſificare ſcripturam: ergo. Reſp. tranſ. maj. diſt. min. præſcientia non amplius poteſt tolli, poteſt tamen impediri, conc. min. neque poteſt impediri, neg. min. Vinculum inſolubile, licet heri ſponte admiſſum, hodie eſt impedimentum omnino inauferibile, cum nullo modo dependeat ab hodierna voluntate, aut ab omiſſione ambulationis hodiernæ. Econtra præſcientia Dei, licet ex ſuppoſito, quod detur, potentia conſequente non amplius tolli poſſit, ſuo modo tamen dependet a voluntate & peccato futuro, adeoque adhuc poteſt impediri, & non eſt impedimentum omnino inauferibile. Ad conf. neg. ant. Antichriſtus antecedenter & indirecte non minus poteſt impedire hanc revelationem, quam præſcientiam Dei; ſi enim non eſſet libere peccaturus, Deus nec ſciret, nec revelaſſet ejus peccatum, nec ipſe hanc revelationem in Scriptura legeret.

DISPUTATIO III.

De Scientia media.

Scientia media eſt, qua Deus cognoſcit actus liberos conditionate futuros ſub hypotheſi libertatis, quin hæc cognitio Divina præſupponat decretum Dei abſolute exiſtens. Vocatur media, ſcilicet inter Scientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis: item inter ſcientiam neceſſariam & liberam, quia a ſingulis iſtis aliquid participat, licet in ſenſu ſtricto ab illis aliquo modo differat. Cum Scientia ſimplicis intelligentiæ convenit in hoc, quod non præſupponat 247

ponat decretum Divinum actu existens, neque exigat objectum suum aliquando absolute dari; differt ab illa in eo, quod scientia media absolute possit non dari in Deo, & objectum suum non affirmet sub conditione necessaria. Econtra cum scientia visionis convenit in hoc, quod absolute possit non dari; discrepat autem in eo, quod non præsupponat Decretum actu & absolute existens, neque sit de objectis aliquando existentibus qua talibus.

248 Similiter cum Scientia necessaria convenit Scientia media in hoc, quod non præsupponat decretum actu existens, neque sit libera Deo; discrepat autem, quia est simpliciter contingens, & potest non dari. Econtra cum Scientia libera convenit, quia est contingens & libera saltem voluntati creatæ, discrepat, quia non præsupponit decretum Dei actu existens. Sicut igitur color cinericius dicitur medius inter nigrum & album, eo quod habeat aliquid de nigro & de albo; ita hæc scientia merito inter reliquas dicitur media, quia de singulis aliquid habet. Alia adhuc ratio hujus appellationis est, quia scientia contingentium conditionate futurorum, juxta nostrum concipiendi modum, medium quasi locum inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis obtinet, ut patebit, quando declarabimus, quomodo secundum nostrum systema Deus actus liberos creaturarum decernere soleat.

249 Itaque scientia media pro objecto habet contingentia conditionate futura qua talia, intelligendo per conditionate futurum illud, quod futurum esset, si certa poneretur conditio. Si hæc conditio aliquando purificabitur, erit etiam absolute futurum, secus mere conditionate futurum. Unde rem aliquam esse conditionate futuram ratione nostra & a subsistendi consequentia est prius, quam eandem esse absolute futuram, & per propositionem hypotheticam,

cam, ſeu conditionatam non affirmatur exiſtentia conditionis, ſed ab hac præſcinditur, alias conditio jam purificaretur, & propoſitio fieret abſoluta. Ob eandem rationem non affirmatur conditionatum abſolute, ſed ſola habitudo conditionis ad conditionatum. Ex quo vides in omnibus conditionate futuris tria eſſe conſideranda, nempe hypotheſin, ſive conditionem ſub qua aliquid eſſet futurum; conditionatum, quod eſſet futurum; & habitudinem conditionis ad conditionatum. In exemplo, quando dico: Si ſol luceret, dies eſſet, lux ſolis eſt conditio, dies conditionatum, connexio vero lucis ſolaris cum die eſt habitudo conditionis ad conditionatum.

Porro ſicut abſolute futurum, ſic etiam condi- 250
tionate futurum eſt aliquod concretum, conſtans ex ipſa re futura tanquam ſubjecto & ex futuritione tanquam forma denominante. Futuritio autem rurſus duplex eſt. Cauſalis reſpectu actuum liberorum conſiſtit in cauſa libera proxime expedita, quæ poſita hac libertate ſe potius eſſet determinatura ad hoc, quam illud: vel etiam decretum DEI, quod quidem reſpectu mere conditionate futurorum modo non exiſtit, exiſteret tamen, vel potius ab æterno exſtitiſſet, ſi purificaretur conditio. Hinc etiam conditionate futura juxta nos non eſſent futura ſine decreto, aut ante decretum, quo Deus decerneret conferre libertatem, & ad actum concurreret: non tamen intrinſece & formaliter ſunt futura per ipſum decretum, ſed futuritio formalis conſiſtit in negatione exiſtentiæ nunc, & exiſtentia conditionata poſtea. His enim ſolis intellectis propriiſſime aliquis actus liber conditionate futurus intelligitur, & facta hypotheſi, quod ſub hac conditione eſſet futurus, impoſſibile eſt, ut ſub eadem non eſſet futurus.

Habitudo conditionis ad conditionatum varia 251
eſſe poteſt. Primo. Interdum conſiſtit in identitate

vel eſſentiali connexione conditionis cum conditionato, & tunc propoſitio conditionalis dicitur neceſſaria & illativa. Ut ſi exiſteret homo, exiſteret animal rationale. Si Deus decreviſſet alterum mundum producere, alter mundus exiſteret. 2. Interdum habitudo conſiſtit in repugnantia inter conditionem & conditionatum, & tunc reſultat propoſitio impoſſibilis, ut ſi exiſteret homo, eſſet animal irrationale. 3. Interdum tantum conſiſtit in aliqua conducentia non neceſſaria conditionis ad conditionatum, ita, ut conditio ad conditionatum adhuc ſit indifferens, & tunc propoſitio conditionalis eſt contingens, & non illativa, ut ſi Petrus audiret ferventem concionem, ſe converteret. 4. Quandoque conditio eſt quidem indifferens, ſed nullam ad conditionatum habet conducentiam ac utilitatem. Ideo propoſitio inde reſultans vocatur diſparata, nec eſt proprie conditionalis, ſed potius affirmat fortuitam utriusque objecti coexiſtentiam, quæ non per particulam *ſi*, ſed *quando*, exprimi deberet: ut ſi Turca dormit, Petrus ſaltat.

252 Hic bene advertendum, quod aliquæ propoſitiones conditionales prima fronte & conditione præciſe ſecundum ſe ſpectata videantur eſſe contingentes, quæ tamen reipſa ſunt neceſſariæ, quia conditio tacite includit, vel involvit decretum Divinum, vi cujus neceſſario cum conditionato connectitur. Talis eſt illa propoſitio Joann. 16 v. 7: *Si enim non abiero, Paraclytus non veniet ad vos.* Nam licet abitus Chriſti e terra ſecundum ſe ſpectata ſit tantum contingenter connexa cum adventu Spiritus ſancti, habent tamen invicem neceſſariam connexionem ratione decreti efficacis, vi cujus Deus decrevit non mittere Spiritum ſanctum, niſi ſub conditione, ſi Chriſtus ex terris abierit. Quare hæc propoſitio non eſt pure conditionalis, ſed ex parte conditionis implicite affirmat abſolutam exiſtentiam decreti Divini. Simili modo diſcurrendum de quibus-

busdam propositionibus, quæ videntur disparatæ e.g. de illa Elisæi ad Regem Joas : *Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem*, 4 Reg. 13 v. 19, nempe etiam hic tacite affirmatur decretum Divinum efficax de omnimoda percussione Syriorum sub illa conditione.

Præsens jam Disputatio non instituitur 1. De 253
objectis conditionate futuris sub conditione sive ratione sui, sive ratione alicujus decreti Divini essentialiter cum illis objectis connexa, aut essentialiter repugnante. Hæc enim cum sint necessaria vel impossibilia, pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ. 2. Neque de objectis conditionate futuris sub conditione penitus disparata; cum enim non sint stricte conditionate futura, sed potius importent coexistentiam conditionis & conditionati, spectant ad scientiam visionis, si hæc coexistentia consideretur ut absolute futura, vel rursus ad scientiam simplicis intelligentiæ, si consideretur ut pure possibilis. 3. Instituitur itaque solum de objectis conditionate futuris sub conditione indifferente, attamen aliquid conducente ad conditionatum. 4. Et quidem potissimum de actibus nostris liberis, qui conditionate sunt futuri sub conditione libera, & ad consensum vel dissensum proxime indifferente.

Unde conditio sive hypothesis, sub qua per 254
scientiam mediam actus liber creaturæ enuntiatur, consistit in toto actu primo proximo completo, & ad agendum & non agendum expedito. Cujus constitutiva juxta communissimam doctrinam sunt 1. Ipsa voluntas creata, quæ importatur in recto tanquam subjectum denominationem liberi in actu primo recipiens. 2. Cognitio indifferens, sive sit una repræsentans simul utrumque motivum, sive sint duæ, quarum una repræsentet motivum alliciens, altera motivum absterrens. 3. Carentia & negatio omnis impedimenti, quod ad unum inimpedibili-

ter necessitaret, nec a voluntate posset auferri. 4. Præsentia omnium eorum, quæ per se sunt prærequisita, & a voluntate acquiri non possunt. Si enim ea pro libitu possunt haberi, eorum absentia non impedit potentiam proxime expeditam. 5. Denique omnipotentia DEI ut formaliter applicata ad concurrendum cum causa libera, quæ sine tali concursu agere non posset, ut ex philosophia supponitur.

255 Hæc constitutiva, quamvis omnia & singula (siquidem sint per se necessario & determinate requisita, & non tantum per accidens actum primum proximum constituant) debeant esse indifferentia ad utrumque extremum seu exercitium libertatis, & quidem non solum indifferentia impedibilitatis, sed etiam conjungibilitatis, ita, ut cunjungi possint tam cum hoc, quam cum altero extremo ; non tamen omnia se habent eodem modo ad actum liberum. Nam 1 aliqua influunt in utrumque extremum libertatis, vel physice, uti voluntas, cui competit jus privativum eligendi & reliqua determinandi. Vel directive, ita juxta multos influit cognitio motivorum allicientium & retrahentium, si sit unica. 2. Aliqua in neutrum exercitium libertatis influunt, uti negationes impedimentorum inauferibilium & necessitantium, quæ vocantur constitutiva negativa. 3. Aliqua tantum influunt in unum extremum libertatis, ut cognitio repræsentans tantum motiva allicientia e. g. ad amorem, item gratia supernaturalis, quæ non influit in peccatum.

256 Dixi, hypothesin respectu actuum liberorum consistere in actu primo proximo, qui bene distingui debet ab actu primo remoto. Per priorem intelligitur ipsa potentia proxime expedita ad agendum vel non agendum, aut etiam ad agendum oppositum. Per posteriorem intelliguntur causæ actus primi proximi. Sic actus primus proximus ad legendum est oculus, lumen, liber &c. actus primus remo-

remotus eſt auctor libri, typographus &c. qui non conſtituunt actum primum proximum, quia modo darentur prius recenſita unde unde demum e. g. liber ſine typographo, jam daretur tota libertas in actu primo, ſeu potentia tota proxime expedita ad legendum. Actus primus remotus per hypotheſin ſcientiæ mediæ ſaltem directe non attingitur, ſed duntaxat actus primus proximus, quem brevitatis gratia per has loquendi formulas exprimere ſolemus. Si daretur libertas *a*, ſi daretur auxilium *b* &c. intellige, ſi daretur tota & adæquata libertas conſtituta etiam per auxilium *b*.

QUÆSTIO I.

An DEUS certo & infallibiliter cognoſcat contingentia libera conditionate futura?

Antiquiores Thomiſtæ teſte Ledesma tract. de Divinæ Gratiæ auxiliis diſp. 2 de ſcient. futur., & Joanne Gonzalez de Albelda tom. 1 in primam partem diſp. 44 ſect. 2 docuerunt, quod Deus infallibiliter tantum cognoſcat inclinationem voluntatis, ipſos actus liberos autem non niſi probabiliter & conjecturaliter. Horum doctrinam conatur quidem benignius interpretari Gonetus, ſed ipſemet in admittenda ſcientia conditionate futurorum admodum parcus eſt. Nam licet fateatur, Deum infallibiliter cognoſcere conditionate futura, quæ ſunt revelata, vel alias ad ordinem hujus univerſi pertinent, tamen diſp. 5 de ſcientia conditionat. art. 1 hæſitat idem admittere de conditionate futuris ad hoc univerſum non pertinentibus. Goneto conſentit Joannes a S. Thoma in primam partem diſp. 2 art. 1. At moderni Thomiſtæ cum Scotiſtis ac noſtris fatentur indubitatum eſſe, quod Deus certam & infallibilem habeat notitiam omnium eorum, quæ voluntas creata quælibet faceret, ſub quacun-

257

que libertate, seu actu primo proximo indifferente.

258 Dicendum. Deus certo & infallibiliter cognoscit omnia contingentia etiam libera conditionate futura.

Prob. 1 auctoritate Scripturæ, in qua Deus multa ejusmodi futura revelavit, quæ revelationes utique fuerunt certæ & infallibiles; alias tota fides nostra nutaret. Sic 1 Reg. 23 v. 12 cum David fugiens a facie Saul in civitatem Ceilam venit, ibique Dominum consuluit: *Si tradent me viri Ceilitæ in manus ejus? & si descendet Saul, sicut audivit servus tuus?* respondit Deus v. 13: *Descendet, tradent.* Matth. 11. v. 21 Christus duabus civitatibus exprobrans incredulitatem & duritiem cordis ait: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Sap. 4 v. 11 de justo immatura morte sublato dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Adeoque enunciatur illius perversio sub conditione, si diutius in vivis permansisset.

259 Prob. 2 auctoritate PP. Sanctus Chrysostomus lib. 1 ad Stagirium, quare Deus Adamum admisso peccato statim e Paradiso proturbaverit, reddit hanc rationem, *Quia ex honore sibi præstito deterior effectus esset, si post spretum violatumque mandatum immotus ille stabilisque durasset.* Ergo S. Doctor clare supponit Deum præscivisse quod Adam deterior factus fuisset, si diutius in Paradiso permansisset. S. Gregorius M. lib. 33 moralium cap. 19 observat justis in bonum cedere, si aliquando vexentur: *Quia mira potentia prævidet Deus, quod si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent - - - mentis prostrati vulneribus jacerent.* S. Augustinus lib. 2 de bono perseverantiæ cap. 9 ait: *Nunquid possumus dicere, & Tyrios & Sydonios talibus apud se virtutibus factis credituros non fuisse, si fierent? cum eis*

eis ipse DEUS attestetur, quod acturi essent magnæ
humilitatis pœnitentiam. S. Prosper ad illam quæ-
stionem, cur Deus prædicationem & miracula
Christi voluerit fieri apud Judæos, non autem apud
Tyrios atque Sydonios? resp. 8 ad excerpta Ge-
nuensium ait: *Manifeste scimus, & verum esse, quod*
dixit Christus, & justum esse, quod fecit. Plura Pa-
trum testimonia exhibet Suarez, & Ruiz.

Prob. 3 ratione. Intellectus Divinus, utpote 260
infinite perfectus, est essentialiter determinatus ad
cognoscendam certo & infallibiliter omnem verita-
tem, eo modo, quo datur, ut advertimus num. 194.
sed quid quælibet voluntas sub quacunque demum
conditione ac libertate possibili esset actura, est ve-
ritas de se cognoscibilis, ut patet ex paritate cum
contingentibus absolute futuris. Sane si Deus con-
tingentia etiam conditionate futura, non certo &
infallibiliter cognosceret, interrogatus, an hoc vel
illud sub certa quadam conditione contingeret, vel
non? sine periculo erroris non posset aliter respon-
dere, quam nescio, vel dubito, aut probabile vel pro-
babilius est esse futurum. Hæc autem hæsitantia &
incertitudo manifeste pugnat cum infinita DEI per-
fectione. Conf. Quia sine hac notitia Deus non
posset summa sapientia & providentia gubernare
hoc universum, sed sæpe de rebus tantum cæco mo-
do aut conjecturaliter deberet disponere, & si effe-
ctus intentus non sequeretur, deberet dicere: non
putabam hoc futurum.

Objectiones.

Obj. 1. Quando in Scriptura revelantur con- 261
tingentia conditionate futura, tantum sermo est de
futuritione causali & inclinatione, quam habet cau-
sa libera sub illa conditione, ferme sicut num. 195
diximus de prædictionibus comminatoriis: ergo
non probatur, quod Deus contingentia conditio-
nate

nate futura cognoſcat certo & infallibiliter. Conf. Scriptura ſe accommodat humano modo loquendi, juxta quem cauſarum propenſiones ſolent enunciari de futuro, ad rem magis exaggerandam aut exprobrandam. Reſp. neg. ant. verba Scripturæ in ſenſu proprio denotant ipſos actus conditionate futuros & non præciſe inclinationem cauſæ, alias de eventu dubitare poſſemus, quod juxta S. Auguſtinum & Proſperum non licet. Certe David non ſolum interrogavit de inclinatione Saulis & Ceilitarum, nec Deus, cum reſponderet : *deſcendet, tradent,* de ſolo periculo locutus eſt. Aliud eſt de prædictionibus comminatoriis, quæ plerumque potius fieri ſolent, ut homines a malis intentatis abſterreantur, & ſi nude acciperentur, non fuiſſent veræ. Ad conf. Licet Deus quandoque modo loquendi hominum minus proprio ſe accommodet, verba tamen Scripturæ in ſenſu proprio & juxta mentem Patrum accipi debent, quamdiu ex circumſtantiis contrarium non apparet.

262 Dices 1. Etſi Scriptura loquatur de futuritione formali, plus non ſequitur, quam quod Deus certo & infallibiliter cognoverit illa conditionate futura, quæ prædixit, aut quæ aliquando ſunt abſolute futura : ergo. Conf. propoſitiones conditionales debent reſolvi in abſolutas. Sic quando Deus promiſit Sodomis parcere, ſi vel decem juſti in illis inveniantur, ſenſus erat : vel decem juſtorum contemplatio poteſt amoliri interitum urbis. Reſp. neg. ant. Sicut ex eo, quod Deus aliqua contingentia abſolute futura prædixerit, omnes inferunt, quod infallibiliter cognoſcat omnia, ita id ipſum univerſaliter de omnibus conditionate futuris inferri poteſt ex revelatione aliquorum, cum de non revelatis eadem ſit ratio, quæ de revelatis. Porro illa, ex quibus noſtram concluſionem probavimus, nunquam erant abſolute futura. Ad conf. trans-

miſſo,

misso, quod aliquæ propositiones conditionales in absolutas possint resolvi, nulla adhuc ratione probatur, quod etiam revelationes a nobis allegatæ ita resolvi possint, aut debeant.

Dices 2. SS. Patres in Deo nullam agnoscunt præscientiam contingentium mere conditionate futurorum, quin illam in Semipelagianis irrident, ac damnant. Sic S. Augustinus lib. de anima & ejus origine cap. 12 inquit: *Ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur non erit, quomodo enim recte dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Et lib. de prædestin. Sanct. in illud: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, sic loquitur: *dictum est secundum pericula hujus vitæ, non secundum præscientiam DEI, qui hoc præscivit, quod futurum erat, id est, quod ei mortem fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Similia habent S. Prosper in Epist. ad Augustinum contra Semipelagianos. S. Fulgentius lib. 1 de verit. prædestin. cap. 7. S. Anselmus dialogo adversus Manichæos num. 73. Ergo. Resp. dist. ant. in Deo nullam agnoscunt præscientiam tantum conditionate futurorum acceptam in sensu stricto, & quoad finem ac usum, quem illi affingebant Semipelagiani, conc. ant. in sensu latiore & quoad rem ipsam, neg. ant. 263

Nomen præscientia quandoque accipitur pro ea solum scientia, quæ duratione præcedit objectum olim reipsa absolute futurum. Interdum latius pro omni scientia etiam mere conditionate futurorum. Hac ad stabiliendam suam hæresin abutebantur Semipelagiani docentes, bonum & malum usum gratiæ, quem Deus futurum esse prævidet, si eam gratiam adultis concederet, esse causam seu motivum, ut hanc gratiam absolute quibusdam adultis concedat, 264

cedat, aut deneget: in parvulis vero, ut unus ad Baptismum & ſalutem, non item alter perveniat. Hos errores cum SS. Patres vehementer impugnarent, ut ſuos adverſarios omni ex parte premerent, ſimul etiam nomen præſcientiæ impugnarunt, eo quod ſolum illa in ſenſu ſtricto præſciantur, quæ aliquando ſunt abſolute futura. Ut colligitur ex citatis verbis S. Auguſtini: *Quomodo enim recte dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum?* Qui tamen ideo neutiquam negavit, in Deo dari præſcientiam mere conditionate futurorum, ut patet ex probatione ſecunda. Vide etiam num. 195.

265 Obj. 2. Scientia conditionalis varias involvit imperfectiones. Nam 1 fingit exiſtere conditionem, quæ ſæpe non exiſtit; cum dicere: Si Petrus haberet auxilium *a*, conſentiret, idem ſit, ac dicere: ponamus Petro dari auxilium *a*. 2. Eſt compoſitiva, quia componit conditionem cum conditionato. 3. Eſt diſcurſiva, nam ex conditione infert conditionatum, & veritas propoſitionis conditionalis conſiſtit in bonitate illationis ſeu conſequentiæ: ergo. Reſp. neg. ant. quoad omnia membra. Quoad primum. Quia Deus conditionem, quæ reipſa nunquam datur, neutiquam cognoſcit per modum exiſtentis, ſed tantum per modum requiſiti aut conducentis, ut conſtat ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ, e. g. Si exiſteret alter mundus, non involveret repugnantiam. Quoad ſecundum. Quia Deus uno ſimpliciſſimo actu ſimul cognoſcit conditionem, conditionatum & habitudinem conditionis ad conditionatum, & hæc absque ulla compoſitione enunciat, ut rurſus patet in ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Quoad tertium. Quia Deus per ſcientiam mediam unam veritatem ignotam non infert ex altera notiore. Neque veritas propoſitionum conditionalium contingentium, de quibus hic loquimur, conſiſtit in bonitate illa-

illationis, cum non accipiantur in ſenſu illativo, ſed mere enunciativo, ut patet ex num. 251.

Dices 1. Tali modo ſcientia conditionalis tan- 266
tum eſt ſimplex apprehenſio, cum neque affirmet, neque neget conditionem exiſtere. 2. Præciſiva, nam præſcindit ab exiſtentia conditionis & conditionati. 3. Suſpenſiva, quia intellectum de exiſtentia conditionis & conditionati relinquit ſuſpenſum : ergo. Reſp. neg. illatum rurſus quoad ſingula. Quippe primo ſcientia conditionalis a parte rei ſemper habet ſibi identificatam ſcientiam viſionis, qua Deus videt, tam conditionem quam conditionatum eſſe abſolute exſtiturum ; vel non eſſe abſolute exſtiturum : formaliter autem accepta affirmat vel negat conditionatum exſtiturum, ſi poneretur conditio, item quod conditio ſit ens, quod ex natura ſua conducat ad conditionatum. 2. Si hæc ſcientia verſatur circa objectum mere conditionate futurum, illud non eſt cognoſcibile ut actu futurum, ſecus vero ut tale cognoſcitur. Conſequenter in neutro caſu datur præciſio proprie talis, ſeu abſtractio ex parte DEI, ſed objectum ſemper tantum cognoſcitur, quantum cognoſcibile eſt. 3. Hinc neque intellectus Divinus unquam relinquitur ſuſpenſus, ſed in quolibet inſtanti reali affirmat, quidquid de objecto eſt affirmabile. Quod autem ſcientia conditionalis reſpectu noſtri aliquo modo formaliter & minus proprie ſit præciſiva, in quantum illam non apprehendimus ut affirmantem aut negantem exiſtentiam abſolutam ſui objecti, nullam in ipſo Deo arguit imperfectionem.

Dices 2. Saltem ſi objectum abſolute exiſtit, 267
vel reipſa futurum eſt, ſcientia conditionalis eſt ſuperflua, imo ridicula. Sicut ridiculum foret, ſi quis actu ſcribens diceret : Si haberem calamum, ſcriberem : ergo. Conf. Si Deus conſtitutiva libertatis ex parte hypotheſis attingeret conditionate, ita ten-

tenderet: si existerent omnia constitutiva libertatis, & inter hæc mea omnipotentia &c. atqui hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ant. Cujus falsitas iterum patet in scientia simplicis intelligentiæ. Ratio est, quia Deus quodlibet objectum debet cognoscere secundum omnem statum, secundum quem habet determinatam veritatem, & nisi pro priori signo sciret, an & sub qua conditione res futura esset, non posset satis provide illam absolute decernere. Cumque hæc cognitio data fuerit ab æterno nec mutari possit, necessario adhuc perseverat, etiamsi objectum pro posteriori signo etiam cognoscatur ut absolute futurum vel actu existens. Certe siquis ante scriptionem diceret: Si haberem calamum, scriberem, & hæc cognitio essentialiter semper duraret, non esset absurdum, quod postea conjungeretur cum actuali scriptione. Imo dum quis actu peccat, cognoscit, quod offendat Deum, si actum illum ponat, licet pro posteriori signo evidenter possit cognoscere, quod suus actus & offensa DEI absolute existat. Ad conf. neg. maj. Non enim opus est, ut omnia constitutiva libertatis tantum conditionate attingantur, hinc scientia conditionalis ita tendit: Si darentur omnia constitutiva libertatis, & inter hæc applicatio meæ omnipotentiæ, quam omnipotentiam video absolute existere &c.

268 Obj. 3. Vel Deus per scientiam conditionalem cognoscit individuum, vel tantum speciem actus liberi? non primum, quia determinatio ad individuum non fit a creatura, sed a Deo; non secundum, quia alias scientia conditionalis esset confusa. Conf. Deus infallibiliter debet scire, quodnam individuum esset determinaturus, si videret Petrum consensurum auxilio *a.* ergo infallibiliter scit, quodnam individuum e. g. amoris Petrus poneret. Resp. conc. maj. trans. min. quoad primum membrum, neg. quoad secundum. Si per ter-

terminum confuſa, idem intelligatur ac obſcura. Si enim Deus ex parte conditionati ſeu actus liberi (nam ex parte conditionis determinatum individuum auxilii attingit) per ſcientiam conditionalem ipſum individuum non cognoſcit, tunc ideo, quia pro ſigno ſcientiæ mediæ directæ non eſt cognoſcibile, ut ſupponit objectio. Interim clariſſime videt omnia individua, quæ ſub hac determinata hypotheſi poſſent ſequi. Conſequenter cognitio DEI tam parum eſt confuſa, quam cognitio, qua Deus cognoſcit omnia poſſibilia, quin per illam videat, quænam ſint determinate futura, vel qua cognoſcit omnes equos, quin videat unum determinate eſſe neceſſarium ad equitandum. Ad conſ. diſt. ant. Debet hoc infallibiliter cognoſcere per ſcientiam mediam directam, qua præciſe cognoſcit actus conditionate futuros creaturarum, neg. ant. per ſcientiam mediam reflexam, qua cognoſcit actus ſuos proprios conditionate futuros, tranſ. ant. & ſub eadem diſtinctione neg. conſ.

Dices. Operatio creaturæ libera non tantum quoad ſpeciem, ſed etiam quoad individuum debet eſſe determinata : ergo per ſcientiam mediam directam debet prævideri determinatum individuum. Conſ. Ejusmodi operatio non poteſt exiſtere, niſi in determinato individuo : ergo. Reſp. diſt. ant. operatio creaturæ abſolute exiſtens non tantum debet eſſe determinata quoad ſpeciem, conc. ant. conditionate exiſtens, neg. ant. & conſ. ad conſ. iterum diſt. ant. talis operatio non poteſt exiſtere abſolute & phyſice niſi in determinato individuo, conc. ant. non poteſt exiſtere conditionate & objective, neg. ant. & conſ. Exiſtere aliquid objective, ſive in ſtatu intentionali, nihil aliud eſt, quam eſſe cognoſcibile, & cognoſci. Jam vero poteſt actus præciſe conditionate futurus, qui a parte rei nihil eſt, ſed tantum aliquid eſſet, ſi poneretur conditio, per ſcientiam mediam directam 269

eſſe

esse cognoscibilis præcise quoad speciem, quia per hanc scientiam Deus ex parte conditionati solum cognoscit ea, quæ essent conditionate futura ex determinatione creaturæ, & singula individua sunt æqualiter apta ad actum, quem creatura esset positura, individualiter complendum. Hinc determinatio ad individuum juxta hoc systema non constituit actum primum proximum ad electionem a creatura faciendam, sed tantum actum remotum. Sed de hoc plura alibi.

270 Obj. 4. Scientia conditionalis e. g. de pœnitentia Tyriorum sub hypothesi, si Christus ipsis prædicaret, esset essentialiter connexa cum pœnitentia Tyriorum sub dicta hypothesi, & se teneret ex parte actus primi remoti respectu ejusdem pœnitentiæ: ergo tolleret libertatem. Conf. Scientia visionis, si esset causa sui subjecti, tolleret illius libertatem: ergo a pari. Resp. conc. ant. neg. conf. Licet scientia conditionalis se teneat ex parte actus primi remoti respectu contingentium absolute futurorum, in quantum dirigit decretum Divinum, quo Deus decernit creaturæ dare libertatem, & ipsum actum futurum prædefinit, vel permittit; tamen ipse actus conditionate futurus est objective prior ad scientiam conditionalem. Nam ideo hæc scientia datur in Deo, quia pro hac hypothesi creatura se libere determinaret ad actum. Sicut ergo creatura se libere posset non determinare ad actum, ita scientiam conditionalem posset impedire, consequenter non infert necessitatem antecedentem, sed ad summum consequentem, ut disp. præcedente quæst. 5 diximus, de scientia visionis. Ad conf. neg. paritatem, cum enim scientia media sit impedibilis, & tantum se teneat ex parte actus primi remoti, Deus autem stante illa possit hoc auxilium creaturæ conferre, vel negare, neque libertati creatæ, neque Divinæ ullum affert præjudicium, uti tamen alterutram ever-

everteret scientia visionis, quemadmodum probavimus num. 204.

Dices. Vel hæc propositio: Si Tyrii audirent 271
prædicationem Christi, agerent pœnitentiam, habet hunc sensum universalem: pro omni casu possibili, quo Tyrii audirent prædicationem Christi, agerent pœnitentiam; vel hunc particularem: pro aliquo casu, quo Tyrii audirent prædicationem Christi, agerent pœnitentiam. Non primum, alias propositio esset necessario falsa: non secundum, alias esset necessario vera. Conf. Si conditio est indifferens, non connectitur infallibiliter cum conditionato: ergo sub tali conditione actus non potest infallibiliter prævideri. Resp. neg. maj. Sed ejusmodi propositiones faciunt sensum singularem e. g. pro hoc casu singulari & individuo, quo Tyrii audirent prædicationem Christi, agerent pœnitentiam. Quod neque necessarium neque impossibile est, sed contingens. Argumentum probaret, quod ne quidem conjecturaliter aliquam veritatem contingentem possimus cognoscere, e. g. an Petrus, si percuteretur baculo, irasceretur, vel non. Ad conf. dist. ant. non connectitur infallibiliter cum conditionato nulla facta suppositione, conc. ant. facta suppositione, quod actus sub hac conditione esset exstiturus, neg. ant. & conf. vide num. 219.

Quæres. An in Deo possit dari cognitio conje- 272
cturalis aut mere probabilis. Resp. 1. In Deo non potest dari notitia conjecturalis aut mere probabilis subjective talis, imo neque objective talis in hoc sensu, quod motiva probabilia & de se fallibilia possint fundare aliquam incertitudinem ac fallibilitatem in ipso intellectu & cognitione Divina; hoc enim manifestam diceret imperfectionem, & repugnat cognitioni infinite perfectæ. 2. Si vero per notitiam conjecturalem aut probabilem objecti-

ve

ve talem intelligatur illa, qua Deus certo & infallibiliter cognoſcit non ſolum objecta, ſed etiam cognitiones probabiles & conjecturales, quas de iisdem ex motivis probabilibus & de ſe fallibilibus habent creaturæ, poteſt in hoc ſenſu admitti; ſicut ab omnibus admittitur, quod Deus clariſſime cognoſcat cognitiones noſtras obſcuras & perfectiſſime res imperfectas, quamquam cognitio Divina in iſto ſenſu non niſi improprie ſit conjecturalis, aut mere probabilis.

QUÆSTIO II.

An DEUS actus noſtros liberos conditionate futuros cognoſcat in Decreto phyſice prædeterminante.

273 Thomiſtæ recentiores duce Banneſio ſicut futuritionem contingentium abſolutam conſtituunt in decreto intrinſece efficaci ac phyſice prædeterminante, ita juxta ipſos etiam futuritio formalis actuum liberorum conditionate futurorum in ſimili decreto conſiſtit, cujus tendentiam ita exſplicant: Ego efficaciter volo, ac prædefinio, e.g. pœnitentiam Tyriorum, eisque decerno præmotionem phyſicam ad pœnitentiam pro caſu, quo audirent prædicationem Chriſti. Vocant hoc decretum ſubjective abſolutum, & objective ſeu terminative conditionatum, quia actu ab æterno abſolute exiſtit in Deo, tanquam ſubjecto metaphyſico, in objectum vero tendit, ac ad illud terminatur ſolum conditionate: ſi Tyrii audirent prædicationem Chriſti. Itaque Deus quando actum aliquem liberum a creatura vult obtinere, juxta ſyſtema Banneſianum ita procedit: 1. Immediate poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ concipit decretum prædeterminans ſubjective abſolutum & objective conditionatum. 2. Dein talem actum etiam decernit decreto objective abſoluto. 3. De-

3. Denique in tempore creaturæ dat præmotionem physicam ad talem actum. Quæ præmotio est entitas creata a solo Deo procedens, causæ operanti transeunter impressa, eamque efficaciter ac physice movens atque determinans ad operandum.

Præcipuæ proprietates decreti prædeterminantis tum objective absoluti, tum terminative conditionati sunt. 1. Quod simpliciter ac metaphysice sit necessarium ad omnem actum creaturæ: quia in hoc decreto consistit futuritio cujuslibet rei contingentis, & in eo actus contingenter futuri a Deo prævidentur; alias, ajunt, Deus non esset primum agens, primum liberum &c. 2. Quod sit intrinsece efficax atque indispensabiliter connexum cum actu prædeterminato; alias Deus in tali decreto non posset infallibiliter actum futurum prævidere, neque per prædeterminationem physicam illum infallibiliter obtinere; præmotio igitur physica facit, ut causa secunda operetur, & actus primus reducatur in secundum. 3. Quod sit a creatura inimpedibile, & inobtinibile, & dependeat a solius Dei arbitrio, cui liberrimum est, dare vel non dare præmotionem physicam; cum enim decretum prædeterminans dirigatur a sola scientia simplicis intelligentiæ, & nullo modo actum liberum creaturæ præsupponat, nullatenus est in potestate libertatis creatæ, sicut nec ipsa præmotio physica; alias spectatis Thomistarum principiis ipsa creatura esset primum liberum & primum determinans, si ipsamet Deum libere determinaret ad dandam vel non dandam præmotionem physicam. 274

Equidem circa tertiam proprietatem non omnes Thomistæ satis sunt constantes, sed in solutione objectionum cum Alvarez, Joan. a S. Thoma, Contenson &c. contendunt, præmotionem physicam saltem ad actus bonos præceptos a nobis impediri, imo etiam acquiri posse, vel per actus præcedentes, vel etiam per illum ipsum actum, ad quem datur 275

prædeterminatio, in quantum Deus ab hoc ipso actu movetur ad dandam præmotionem, aut saltem voluntas gratiæ excitanti non resistit. Verum hæc non cohærent cum principiis Bannesianis, juxta quæ decretum prædeterminans ac præmotio physica requiritur ad omnem actum liberum, etiam primum. Jam vero quomodo iste actus potest esse prior ad prædeterminationem, cum nullo modo decretum Dei præcedat, sed tota ejus futuritio consistat in hoc solo decreto, sine quo actus a Deo præcise cognoscitur ut possibilis? quomodo homo gratiam prædeterminantem potest libere acceptare vel non acceptare, si præmotio physica est applicatio essentialiter requisita ad omnem actum? in quo denique medio Deus hanc acceptationem vel ejus negationem prævideret? quomodo primus ad illam determinaret? certe ignis per ipsam combustionem actualem non potest acquirere applicationem ad illam, neque avis alas per ipsum volatum.

276 Dicendum. Deus actus creaturarum liberos conditionate futuros non potest cognoscere in decreto physice prædeterminante subjective absoluto, & terminative conditionato. Ita contra Recentiores Thomistas Scotistæ & nostri unanimiter cum plurimis aliis. Prob. 1. Decretum hoc ex una parte esset essentialiter connexum cum actu conditionate futuro, eumque indispensabiliter post se traheret, si poneretur conditio, sub qua esset futurus: ex altera parte esset omnino independens a creatura, quæ neque hoc decretum, neque purificationem conditionis, utpote soli Deo liberam, posset impetrare aut impedire: ergo essentialiter repugnat libertati indifferentiæ, & creaturam constitueret sub antecedente, insuperabili, & metaphysica necessitate ad ponendum actum, non minus ac ipsa præmotio physica ex isto decreto essentialiter resultans. Conf. Quia juxta Thomistarum systema Deus etiam deberet per hoc

hoc decretum prædeterminare ad materiale peccati, ſed hoc repugnat ſanctitati Divinæ, ut probabimus in tract. de peccatis.

Prob. 2. Ut voluntas creata ſit libera, debet 277
habere potentiam proxime expeditam ad agendum & non agendum, & quidem in his determinatis circumſtantiis; atqui in ſyſtemate Banneſiano hanc potentiam non habet: ergo. Maj. patet tum ex conceptu libertatis, tum quia nemo dicit, quod v. g. ligatus vinculis inſolubilibus habeat libertatem ad ambulandum & non ambulandum, licet poſſit ambulare in aliis circumſtantiis, nempe in abſentia vinculorum. Min. prob. Voluntas creata in hoc ſyſtemate neque eſſet proxime expedita ad agendum & non agendum, ſi haberet prædeterminationem ad actum, neque ſi illa careret; ſi enim prædeterminationem haberet, ſtante illa non poſſet actum omittere, cum abſolute impoſſibile ſit, ut omiſſio actus conjungatur cum prædeterminatione ad actum; ſi vero prædeterminatione careret, careret aliquo ad actum eſſentialiter requiſito, neque in ejus poteſtate eſſet illud acquirere: ergo. Conf. Quandocunque datur aliquid eſſentialiter requiſitum, & abſolute connexum cum actu, ſimulque inimpedibile, & inevitabile, tollitur libertas ad actum; atqui decretum prædeterminans eſſet aliquid eſſentialiter requiſitum, & eſſentialiter connexum cum actu prædeterminato, ſimulque inevitabile, & inimpedibile: ergo.

Probationes allatæ fundantur in ſacra Scri- 278
ptura, quæ non ſolum indifferentiam libertatis humanæ claris textibus adſtruit, ſed etiam Actor. 7 Judæis, & Matth. 11 Corozaitis ac Betſamitis duritiem cordis exprobrat, qui tamen juxta Banneſianos ſe facile potuiſſent excuſare dicendo, quod non habuerint prædeterminationem phyſicam ad bene agendum. Concilium quoque Tridentinum Seſſ. 6 can. 4 anathematizat aſſerentem, quod libe-

rum arbitrium non poſſit diſſentire gratiæ, cui cooperatur : hoc autem ſtante prædeterminatione phyſica fieri non poſſet, ut oſtendemus in tract. de gratia, ubi etiam refutabimus inanes Banneſianorum reſponſiones. Hic ſolum pro confirmatione addo unum & alterum textum ex S. Thoma. In ſecundum diſtinct. 28 quæſt. 1 art. 1 in corpore ait: *Non eſſet homo liberi arbitrii, niſi ad eum determinatio operis pertineret.* Et diſtinct. 39 quæſt. 1 art. 1 in corp. *Ipſa potentia voluntatis, quantum in ſe, eſt indifferens ad plura, ſed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.* Item in quartum diſtinct. 49 quæſt. 1 art. 3 quæſtiunc. 2 : *Voluntas non poteſt in oppoſitum ejus, ad quod ex divina impreſſione determinatur, poteſt autem in oppoſitum eorum, quæ ipſa ſibi determinat, ſicut ſunt ea, quæ ordinantur ad finem, quorum electio ad ipſam pertinet.*

Objectiones.

279 Obj. 1. Juxta S. Thomam Deus cauſas ſecundas movet, & applicat ad agendum, neque iſtæ ſe movent, niſi ſint motæ a primo movente, *quia*, ait quæſt. 3 de potentia art. 7, *natura inferior non agit, niſi mota, ſequitur de neceſſitate, quod Deus ſit cauſa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens & applicans virtutem ad agendum:* ergo actiones creaturarum phyſice a Deo prædeterminantur. Conf. Cauſæ ſecundæ agunt in virtute cauſæ primæ: ergo. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. prædeterminantur phyſice præmotione tali, qualem adſtruit Banneſius & moderni Thomiſtæ, neg. conſ. alia libertati creatæ accommodata, tranſ. conſ. transmiſſo quod S. Thomas admiſerit aliquam præmotionem phyſicam ad agendum in genere, ut exiſtimant Pallavicinus, Bellar. & alii quidam ex noſtris, nunquam tamen adverſarii probabunt, quod aſſeruerit talem, per

quam

quam liberum arbitrium necessario & inimpedibiliter determinatur potius ad unam speciem quam ad alteram. Imo alii cum P. Mayr existimant, mentem S. Doctoris satis explicari posse per hoc, quod Deus causis secundis det virtutem & libertatem ad agendum, simultaneo concursu cum ipsis operetur, atque actiones humanas ad certos fines ordinet, & applicet. Certe per ista causæ secundæ satis intelliguntur agere in virtute causæ primæ. Hinc ad conf. conc. ant. neg. conf.

Dices, S. Thomas Lect. 8 in secundum Physic. 280
inquit: *Ab eo, quod est ad utrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum.* 1 parte, quæst. 19 art. 3 ad 5: *Causa, quæ ex se est contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo exteriore ad effectum*, & quæst. 115 art. 1 ad 3: *Hoc ipsum, quod causæ secundæ ordinentur ad determinatos effectus, est illis a DEO.* Ergo præmotio physica datur ad certam speciem. Conf. Creaturæ sunt instrumenta Dei: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Quomodo causæ secundæ determinentur ab aliquo exteriore, explicat S. Doctor lib. 1 contra gentes cap. 82, ubi ait, voluntatem ad volitionem determinari a bono apprehenso, & necessario quidem ad volendum finem seu beatitudinem, libere autem ad media; imo in textu tertio solum loquitur de causis necessariis. Ad conf. dist. ant. Sunt instrumenta Dei libera, conc. ant. necessaria, neg. ant. *Dicendum*, inquit S. Thomas in secundum dist. 25 art. 1 ad tertium, *quod DEUS operatur in omnibus, ita tamen, quod in unoquoque secundum ejus conditionem.* Nempe ut causis necessariis ministret virtutem, & simul determinet naturam ad certam actionem, libero autem arbitrio determinationem actionis in sua potestate relinquat, ut clarissimis verbis ibidem declarat.

281 Dices 2. S. Doctor 1. 2 quæst. 10 art. 4 ad 3 expresse asserit: *Si DEUS movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur*, & part. 1 quæst. 23 art. 1: *A providentia Dei omnia sunt prædeterminata*: ergo admittit prædeterminationem necessario cum actu connexam. Conf. A principio indifferente non potest oriri actio determinata; sed juxta commune præverbium: Quidquid movetur, ab alio movetur. Resp. transf. ant. dist. conf. admittit prædeterminationem cum actu connexam necessitate consequente, conc. conf. connexam necessitate antecedente, neg. conf. Textus secundus loco objecto non invenitur, si tamen alicubi detur, exponi potest de prædefinitione a creatura antecedenter impedibili, qua posita, si Deus voluntatem per gratiam etiam indifferentem movet, necessitate consequente necessario datur actus, ad quem Deus movet. Ad conf. dist. ant. a principio indifferente indifferentia insufficientiæ ac mere passiva non potest oriri actio determinata, conc. ant. a principio indifferente indifferentia & sufficientiæ & activa, neg. ant. Nam istud principium habet virtutem proxime expeditam ad agendum vel non agendum, & intrinsece manet quidem indifferens, dum actu agit, extrinsece autem determinatur per ipsum actum, quem libere elicit. Adagium additum juxta Vasquez, Lessium, aliosque solum significat, quod omne illud, quod producitur, ab alio producatur.

282 Obj. 2. Deus ex essentia sua est primum agens, primum liberum, primum determinans: ergo creatura se ipsam non potest determinare ad agendum. Conf. Voluntas humana Deo est perfectissime subjecta: ergo motioni divinæ non potest resistere. Resp. conc. ant. dist. conf. ergo creatura se ipsam non potest determinare determinatione immediata & ultima, neg. conf. determinatione prima, subdist. prioritate juris eligendi antecedenter independentis a Deo, conc. conf. a Deo participati, neg. conf.

cum

cum creatura nihil possit agere, quin Deus prius exerceat suam libertatem conferendo creaturæ potentiam, ac libertatem agendi, ac demum in ipsum actum creaturæ influat, sufficienter intelligitur, quomodo Deus sit primum agens, primum liberum &c. licet postea creatura habeat jus immediate se determinandi ad hunc vel illum actum. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Voluntas creata Deo est satis subjecta per hoc, quod Deus antecedenter ipsi potuisset negare libertatem, & stante hoc pro libitu conferre auxilium, quod videt esse conjungendum cum consensu vel dissensu.

Dices 1. Deus in actum liberum creaturæ juxta 283
nos tantum influit ut determinatus: ergo nondum explicatur, quomodo sit primum agens, primum liberum &c. in actu secundo. Conf. Deus operatur in nobis ipsum velle, & quidem in nobis sine nobis: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Licet Deus in ipsum actum secundum creaturæ influat ut determinatus, nihilominus simpliciter est agens primum dignitate, quatenus ab eo tanquam causa prima omnes actus creaturæ immediate ac essentialiter dependent. Item prioritate dominii, quatenus creaturam antecedenter potuisset vel impedire ab actu, vel illum permittere. Ad conf. dico, quod Deus in nobis operetur ipsum velle tum physice concurrendo per eandem actionem, tum respectu actus boni moraliter, in quantum actum bonum intendit, & ideo confert tale auxilium, quod videt esse conjungendum cum consensu, idque sine nobis, quia ad hoc auxilium nihil libere conferimus. Porro respectu actus mali, Deus nec debet, nec potest moraliter concurrere, alias fieret auctor peccati.

Dices 2. Juxta has responsiones homo posset 284
aliquid facere, quod Deus non potest facere, ut faciat homo; nam homo potest auxilio a libere

 con-

consentire, quin Deus possit facere, ut libere consentiat. 2. Deus in hac providentia non posset convertere hominem independenter a voluntate hominis. 3. Voluntas humana sibi subordinaret Deum & gratiam, sicut artifex sibi subordinat instrumentum. Resp. ad primum. Dist. homo posset aliquid facere, quod Deus non potest facere independenter a consensu hominis, conc. dependenter a consensu hominis, neg. Nam Deus homini potest dare tale auxilium, cui scit infallibiliter illum esse consensurum. Ad 2 neg. suppositum, quod ad dominium Dei spectet, ut liberum consensum obtineat sine electione voluntatis, cui ipsemet libertatem concessit. Ad 3 neg. sequelam, quia Deum & gratiam sibi subordinare non tantum est gratiæ benevole collatæ posse consentire vel dissentire, sed est habere aliquam superioritatem in Deum & gratiam, & posse illa uti ex jure & nomine proprio tanquam causam principalem, sicut artifex utitur instrumento.

285 Obj. 3. Deus a voluntate creata debet posse obtinere quemcunque actum liberum; atqui hoc non potest sine præmotione physica, sine qua omnia auxilia sunt indifferentia ad consensum vel dissensum: ergo. Conf. Tali modo posset dari creatura rebellis, quæ omnia auxilia respueret: ergo. Resp. conc. maj. neg. min. Licet Deus homini conferat auxilia indifferentia, hoc tamen juxta nos facit dependenter a scientia media, qua infallibiliter prævidet, quid homo cum tali auxilio esset acturus, ita ut complexum ex auxilio indifferente, & ex scientia media de consensu conditionate futuro fit infallibile medium obtinendi actum, licet antecedenter hæc scientia media a creatura potuisset impediri. Ad conf. neg. ant. saltem loquendo de hac providentia; cum enim Deus ex una parte in Scriptura revelaverit, quod corda hominum habeat in sua manu, ex altera parte aliunde probatum sit

non

non dari gratiam prædeterminantem, infertur, quod in hac providentia nulla creatura a Deo ſit producta, vel producenda, quam Deus providet omnibus auxiliis eſſe reſtituram, licet potentia antecedente illis reſiſtere potuiſſet.

Dices 1. Sicut Deus in omni providentia ma- 286
net plenus dominus voluntatis creatæ, ſic in qualibet debet habere infallibile medium ad obtinendum quemlibet actum liberum: ergo in nulla providentia poteſt dari creatura, quæ omnibus auxiliis poſſet reſiſtere. Conf. Omnipotentia DEI eſt infinita, liberum autem arbitrium creaturæ eſt tantum finitum: ergo. Reſpondent aliqui primo. Ex ſuppoſitione, quod DEUS liberrime dederit creaturæ libertatem, dominio DEI nihil obeſſe, quod impotentia conſequente non amplius poſſit ab illa obtinere quemlibet conſenſum liberum, ſicut dominio DEI nihil officit, quod ex ſuppoſitione promiſſionis de danda juſtis gloria cœleſti illam non amplius poſſit negare. Reſpondent alii 2. In nulla providentia creaturam poſſe reſiſtere omnibus auxiliis indeterminate ſumptis, ſed dari neceſſitatem vagam, ut per ſcientiam mediam neceſſario prævideatur alicui auxilio libere conſenſura, ferme ſicut datur neceſſitas vaga, ut creatura libera qua talis ponat unum contradictionis membrum, vel ut DEUS aliquas creaturas indeterminate ſumptas non producat, licet quamlibet determinatam liberrime poſſit producere.

Dices 2. Pertinet ad dominium DEI, ut ſub 287
qualibet determinata collectione auxiliorum poſſit quemlibet conſenſum liberum obtinere; ſaltem hoc non poteſt fieri ſine præmotione phyſica: ergo. Conf. Non datur neceſſitas vaga alicui auxilio determinate ſumpto diſſentiendi: ergo nec alicui conſentiendi. Reſp. neg. maj. Quia tali modo conſenſus non eſſet liber, & neceſſitas vaga reduceretur ad neceſſitatem determinatam. Sicut igitur creaturæ liberæ non debet tribui talis independentia a

DEO, quæ præjudicaret dominio DEI, sic DEO non debet tribui tale dominium, quod everteret libertatem, creaturæ a DEO concessam. Ad conf. omitt. ant. neg. conf. Si verum est antecedens tunc ideo, quia DEUS per sua auxilia non intendit dissensum, & necessitas vaga dissentiendi potius argueret defectum hominem movendi ac consensum obtinendi. Sic rex perfectissime subditos suos haberet in potestate, si omnia quæcunque vellet ab ipsis posset obtinere; neutiquam vero ejus potestas commendaretur per hoc, quod posset habere subditos rebelles. Porro quamvis creatura prævideretur consensura omnibus auxiliis, nihilominus adhuc essent gratia, quia illi non sunt debita, & Deus omnia præsertim supernaturalia posset subtrahere.

288 Obj. 4. Nostræ probationes reducuntur ad hoc principium: quidquid per necessariam Consequentiam sequitur ex inimpedibili, est inimpedibile, & necessarium; sed hoc principium est damnatum a Sixto IV: ergo. Conf. Quamvis oratio Christi Lucæ 22. v. 32. pro perseverantia D. Petri in fide fuerit efficax, essentialiter connexa cum fide Petri, nec ab ipso impedibilis, tamen fides ipsius erat libera: ergo. Resp. transf. maj. neg. min. Cujus falsitatem authentice ostendit Theodorus Eleutherius in sua historia, & Cardinalis de Lugo de Incarnatione disp. 26 sect. 6. Alia longe fuit propositio, quæ tunc Lovanii, aut etiam Romæ proscripta fuit, nempe ista Petri de Rivo: *Quod ex præcedenti ordine successivæ durationis sequitur, est necessarium & inimpedibile.* Ex quo sequeretur, quod vaticinia Prophetarum & præscientia DEI tollant libertatem indifferentiæ. Ad conf. neg. quod efficacia in actu secundo orationis Christi a Petro non potuerit impediri; nam præsuppoduit scientiam de eo, quod Petrus libere crederet, si ex vi hujus orationis illi daretur hoc auxilium, & hæc scientia

con-

constituebat libertatem Christi, non quidem ad orandum simpliciter pro fide Petri, sed ad orandum efficaciter.

Dices 1. Præmissæ sunt necessitas antecedens ad conclusionem, & tamen potest impediri veritas conclusionis, etsi veritas præmissarum sit inimpedibilis, ut patet in his syllogismis. 1. Vel Petro non dabitur libertas *a*, vel amabit; sed Petro dabitur libertas *a*: ergo amabit. 2. Omnis, qui salvabitur, est ab æterno prædestinatus; sed Petrus non est ab æterno prædestinatus: ergo non salvabitur. 3. Si Petrus me rogaret, illum exaudirem; sed non exaudio: ergo me non rogat. Resp. neg. ant. quoad secundum membrum. In primo syllogismo Petrus potest impedire hoc membrum majoris: vel Petrus amabit. Alterum vero supponitur impeditum ab ipso DEO, siquidem minor vera sit. In secundo Petrus potest impedire minorem, cum enim prædestinatio & reprobatio non fiat independenter a meritis & demeritis, DEUS ex supposito, quod hoc auxilium daret, Petrum prædestinaret, si eidem cooperaretur. In tertio si sensus minoris sit: non exaudio, quia me non rogat, præmissæ sunt disperatæ, si vero sensus sit, non exaudio, etsi me roget, minor evertit majorem; adeoque syllogismus in neutro sensu est legitimus. 289

Dices 2. Saltem DEUS in his syllogismis nullam præmissam potest impedire, quamvis ipsi conclusio sit libera: Si existeret libertas *a*, daretur consensus Petri; sed non datur consensus Petri: ergo non existit libertas *a*. item: Si datur libertas *a*, datur peccatum Petri: sed non datur peccatum Petri: ergo non existit libertas *a*. Conf. Potest liberum esse antecedens, quin sit liberum consequens, ut patet in hoc enthymemate; Video Petrum: ergo Petrus existit: ergo vicissim potest consequens esse liberum, quin sit liberum antecedens. Resp. omissa forma syllogismi, quam Ulloa ob rationem superius 290

perius datam negat esse bonam, neg. ant. cum enim supposita veritate majoris DEO liberum sit purificare conditionem, potest facere, ut existat conditionatum: ergo potest impedire veritatem utriusque minoris, hoc tamen discrimine, quod minorem secundi syllogismi non possit impedire causaliter & per se, sed solum permissive, nempe permittendo peccatum. Ad conf. conc. ant. neg. cons. Quod ens contingens ex certa suppositione e. g. existentiæ suæ possit esse connexum cum ente necessario, patet ex demonstratione DEI: at antecedens essentialiter connexum cum consequente simulque inimpedibile infert necessitatem insuperabilem: ergo nequit post se trahere actum liberum.

QUÆSTIO III.

An DEUS actus nostros liberos conditionate futuros cognoscat in decreto condeterminante.

291 SCotistæ cum Thomistis conveniunt quidem in hoc, quod ad contingentia conditionate futura requirant aliquod decretum subjective absolutum, & objective conditionatum. Discrepant autem, tum quia decretum Scotisticum effectum suum operatur immediate absque qualitate physica causis secundis in tempore impressa, tum quia, ut ajunt, non antecedit actum liberum sed illum solum comitatur sic tendendo: condetermino e. g. cum Tyriis pœnitentiam sub hac conditione, si audirent prædicationem Christi, hoc decretum juxta Franciscum Macedo, & alios quosdam apud Herincx part. 1. disp. 6. quæst. 5 num. 58 est essentialiter connexum cum actu, & a libertate creata inimpedibile non minus quam Bannesianum; hinc iisdem servata proportione rationibus refutatur. Juxta Philippum Fabrum

brum & Pontium fit dependenter a fcientia media, de quo difputabimus quæft. fequente. At juxta communiorem Scotiftarum omnem fcientiam mediam antevertit, & folum a fcientia fimplicis intelligentiæ dirigitur. Quod clariffimus quidam Scotifta in tractatu cui titulus : *DEUS infallibiliter fciens & decernens*, anno 1742 Ingolftadii edito ita explicat.

Decretum condeterminans feu concomitans eft 292 determinatio voluntatis Divinæ, qua DEUS vi perfectionis fuæ infinitæ ab æterno cum creatura libere fe determinante, fimultanee coincidit, & determinat actus absque eo, quod eos prius per fcientiam mediam futuros effe cognoverit; hoc tamen decretum concomitans præfupponit aliquod aliud generale, quo DEUS tanquam caufa prima, & auctor naturæ prius exercet fuam libertatem, ac ftatuit caufas fecundas in fuis actionibus juxta ipfarum exigentiam adjuvare, & cum illis concurrere faltem ordinarie, nifi videlicet fua poteftate abfoluta velit uti, & in hac lege quafi difpenfare. Ex quo vides, quod neceffitas fe accommodandi rebus creatis ex decreto generali defcendens fit folum phyfica, quia DEUS faltem per miraculum, & ut abfolutus dominus adhuc poffet aliquid contra exigentiam creaturarum difponere. Neque decretum generale fe folo fufficit ad fundandum decretum concomitans, fed infuper requiritur infinita illa perfectio voluntatis Divinæ, vi cujus fine periculo erroris poffit cum voluntate creata coincidere ad quoslibet actus liberos, fine qua perfectione ipfum decretum generale a DEO concipi non poffet.

Igitur juxta hoc fyftema DEUS actus creaturarum liberos ita decernit, quia voluntas Divina 293 perfectiffime continet voluntatem creatam, & ideo cum illa absque periculo erroris poteft coincidere. 1. DEUS decreto generali ftatuit, & quafi fe obligavit ad ita concurrendum cum caufis liberis,

ut

ut non lædat earum libertatem ; atque hæc obligatio, inquit auctor laudatus, est ipse concursus paratus, qui actu solum præstari potest per decretum concomitans, cum operatio omnipotentiæ Divinæ nihil aliud sit, quam volitio DEI efficax. 2. Prælucente sola scientia simplicis intelligentiæ Deus concipit decretum concomitans, objective conditionatum respectu actus mere conditionate futuri, respectu autem actus absolute futuri tam subjective, quam objective absolutum. 3. Quia tamen per decretum generale Deus sibi imposuit necessitatem coincidendi cum creatura libera juxta creaturæ liberam electionem, concipiendo decretum concomitans, Deus non amplius agit immediate libere. 4. Utrumque hoc decretum est intrinsece efficax & essentialiter connexum cum actu creaturæ ; attamen a voluntate creata impedibile, in quantum Deus ad hunc actum non condeterminaret, nisi ipsa creatura immediate libere hunc actum eligeret.

294 Dicendum. Deus actus creaturæ liberos conditionate futuros non cognoscit in decreto concomitante subjective absoluto, & objective conditionato. Ita contra Scotistas reliqui ferme omnes Prob. 1. Deus post decretum generale se accomodandi libertati creatæ, prælucente sola scientia simplicis intelligentiæ, antequam cognosceret, quid Petrus in hac vel illa hypothesi esset acturus, statim faceret hoc decretum : Ego condetermino e. g. amorem Petri, si haberet libertatem *a.* sed hoc decretum in DEO non potest admitti : ergo. Maj. patet. Quia DEUS juxta Scotistas actus conditionate futuros primum cognoscit in ipso decreto, adeoque in signo metaphysico decretum subsequente. Min. prob. Deus tali modo actum conditionate futurum efficaciter decerneret, antequam cognosceret, an talis actus sit conditionate futurus, cum hoc immediate pendeat a libertate creata; atqui iste modus decernendi non est satis providus & dignus sapientia Divina : ergo. Conf. Quia

DEUS

DEUS juxta hoc fyftema etiam deberet condeterminare ad materiale peccati, adeoque pofitive vellet aliquid cum formali peccati effentialiter connexum; hoc autem repugnat infinitæ fanctitati, quemadmodum diximus de decreto prædeterminante.

Prob. 2. Vel decretum condeterminans a vo- 295
luntate creata effet impedibile aut obtinibile, vel non? neutrum poteft dici. Non primum; alias ipfa creatura e. g. per actum amoris deberet DEUM determinare, ut potius decerneret actum amoris quam ejus omiffionem; atqui hoc fieri nequit, quia juxta adverfarios actus conditionate futurus ante decretum DEI nullo modo exiftit, adeoque nec moraliter feu objective, multo minus phyfice ad illud poteft determinare. Quodfi autem DEUS ad hoc decretum nequeat determinari a voluntate creata, erit inimpedibile, & inobtinibile, confequenter tollet libertatem creatam, ut fatentur ipfi auctores, contra quos hic agimus. Conf. DEUS ad hoc decretum condeterminans e. g. actum amoris non poteft determinari per fuam effentiam, voluntatem, fcientiam fimplicis intelligentiæ, aut decretum generale, quia hæc omnia funt prorfus indifferentia ad amorem & ejus omiffionem: neque poteft determinari per infinitam perfectionem coincidendi, vel fympathiam aliquam, quia hæc rurfus nihil aliud dicunt, quam effentiam & voluntatem DEI: ergo folum poteft ac deberet determinari per ipfum actum amoris conditionate futurum.

Prob. 3. Decretum condeterminans juxta Scoti- 296
ftas eft futuritio caufalis volitionis humanæ conditionate futuræ, & hanc ipfam volitionem, ad quam condeterminat, habet pro objecto: ergo non eft concomitans, fed reipfa fimpliciter antecedens, nec poteft dependere a libera electione creaturæ, ficut ob hanc rationem juxta Scotiftas ab illa non depen-

det

det decretum prædeterminans. Conf. patet, tum quia futuritio causalis est causa extrinseca actus conditionate futuri, adeoque cum suo effectu non potest esse in eodem prorsus signo: tum quia omnis volitio rei est motus excitans, ac determinans potentiam ad illam rem ponendam & exsequendam. Sic volitio, qua volo loqui, excitat ac determinat potentiam loquendi ut in locutionem solvatur. Conf. Decretum condeterminans non potest præcise velle seipsum, ut per se patet. Neque tantum potest velle objectum volitionis creatæ, alias Deus volitionem creatam non posset directe in suo decreto cognoscere. Neque tantum vult simultaneam conjunctionem sui ipsius cum volitione creata; alias hæc rursus proprie non cognosceretur in decreto, sed potius in se, sicut ipsum decretum: ergo decretum condeterminans debet velle ipsam volitionem creatam, tanquam objectum a se distinctum.

Objectiones.

297 Obj. 1. Ex una parte posse coincidere cum volitione cujuslibet voluntatis creatæ est specialis perfectio voluntatis Divinæ, ex altera parte voluntas creata voluntati Divinæ est perfectissime subjecta: ergo Deus potest condeterminare ad actus nostros liberos. Conf. Potest homo quandoque coincidere in decretum alterius, id ipsum volendo, quod vult alter, & hoc reputatur esse perfectio secundum illud: magna ingenia conspirant: ergo. Resp. neg. ant. quoad primum membrum. Dist. quoad secundum, ita tamen, ut hæc subjectio non tollat libertatem creatam, conc. ant. aliter, neg. ant. & conf. quia DEUS homini relinquit libertatem, non nisi cæce cum illa posset coincidere, antequam cognoscat, quid creatura esset factura; atqui posse aliquid decernere cæco modo non esset perfectio, sed magna im-

imperfectio. Ad conf. tranſ. ant. quoad primum membrum, diſt. quoad ſecundum: eſt perfectio, ſi uterque idem ſtatuat poſt ſufficientem cognitionem & præviam conſultationem, tranſ. ant. ſecus, neg. ant. & conſ. Inprimis homo nunquam poteſt ita coincidere in decretum alterius, ut per hoc decretum determinetur ad ipſum ſuum decretum, niſi id antea prævideat. Dein ſi duo tantum caſu & temere in eandem rem conſpirent, nemo inde aliquam perfectionem arguet.

Dices 1. Voluntas Divina ob infinitam ſuam re- 298
ctitudinem eſt ſibi ſufficientiſſima regula: ergo non indiget directione emendicata ab exploratione eventus futuri, nec eſt periculum, ne in decernendo erret. Conf. In humanis eſt aliqua imperfectio noſtræ voluntatis, quod in decernendo periculo fruſtrationis ſit ſubjecta, niſi præviam lucem accipiat ab intellectu prius explorante, quid ſub hac vel illa circumſtantia eventurum eſſet: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Quamvis voluntas Divina ſit infinite recta, nihilominus juxta ipſos Scotiſtas debet dirigi a ſcientia ſimplicis intelligentiæ: cum autem hæc directio necdum ſufficiat tum ad prudenter decernendum, tum ut Deus a voluntate creata potius ad hoc, quam ad illud volendum determinetur, adhuc alia ſcientia neceſſaria eſt, non quidem emendicata, ſed ex natura rei requiſita. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Licet homo nulli periculo errandi eſſet expoſitus, hæc directio intellectus requireretur, ut provide & prudenter decernat. Adde quod voluntas noſtra non decernat actus alienæ libertatis, neque ab his ad decretum determinari debeat.

Dices 2. Ut Deus prudenter decernat actum, 299
plus non requiritur, quam ut cognoſcat illum eſſe poſſibilem, & a ſe cum creatura producibilem: ergo voluntas Divina ſufficienter dirigitur a ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Conf. Ut a DEO pruden-

ter decernatur actus liber creaturæ abſolute futurus, non debet prius cognoſci ut abſolute futurus: ergo neque ut prudenter decernatur actus conditionate futurus, debet prius cognoſci ut conditionate futurus. Reſp. neg. ant. de actibus, quorum electio ad ipſam creaturam immediate pertinet; cum enim creatura talem actum poſſit ponere, vel non ponere, non tantum debet cognoſci ut producibilis, ſed ut conditionate ponendus. Sic licet ſit poſſibile, ut cum Petro ambulem, ſi ſerena ſit tempeſtas, tamen non niſi cæco modo poſſum ſtatuere cum Petro ambulare, antequam ſciam, an Petrus ſub hac conditione eſſet ambulaturus. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Modo Deus per ſcientiam mediam videat, quod e. g. conſenſus creaturæ eſſet futurus, ſi haberet libertatem *a*, quam conditionem purificare ſoli Deo liberum eſt, prudentiſſime poteſt velle hanc conditionem purificare, conferre libertatem *a*, atque ad ipſum conſenſum concurrere, quin pro priori cognoſcat conſenſum abſolute futurum. Imo ſcientia viſionis præcedens actum everteret libertatem creaturæ vel Dei, ut probavimus diſp. 2. quæſt. 2.

300 Dices 3. Determinatio creaturæ reſpectu Dei eſt ſolum ratio volendi & decernendi: ego ſufficit, modo Deus præcognoſcat objectum volitionis creatæ. Conf. Ut Petrus prudenter decernat actum amoris, ſolum debet cognoſcere illius poſſibilitatem & objectum: ergo idem ſufficit, ut Deus hunc amorem prudenter decernat. Reſp. diſt. ant. determinatio creaturæ eſt ſolum ratio decernendi objectum determinationis ſive volitionis creatæ, neg. ant. decernendi ipſam determinationem ſeu volitionem creatam, conc. ant. & neg. conſ. DEUS per decretum concomitans non tantum decerneret objectum volitionis creatæ e. g. amoris, ſed ipſum amorem & volitionem creatam: ergo hanc debet præcognoſcere, & quidem non ut mere poſſibilem. Aliud eſt, quod

quod ipſa creatura, ut aliquid amet, hunc amorem non debeat præcognoſcere; quippe hic amor neque eſt objectum, quod a creatura amatur, neque eſt ratio, cur objectum ametur. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Petrus ſeipſum determinat ad actum proprium, & ſibi ſoli immediate liberum, Deus vero deberet condeterminare ad actum liberum alteri, & quidem ſalva alterius libertate.

Obj. 2. Ex una parte Deus per decretum gene- 301
rale ſtatuit ita coincidere ad actus liberos creaturæ, ut per decretum concomitans nolit aliquid aliud decernere, niſi quod voluntati creatæ eſt placitum, & ab ea libere eligendum. Ex altera parte decretum condeterminans expectat liberam electionem creaturæ, & totum actum primum proximum creatum relinquit liberum: ergo nihil præjudicatur libertati creatæ. Conf. Decretum condeterminans eſt ſimultaneum cum determinatione creaturæ: ergo ſe tenet ex parte actus ſecundi, ſicut determinatio creaturæ. Reſp. neg. ſuppoſitum, quod DEUS potuerit tale decretum generale facere, vi cujus vellet cum creatura coincidere abſque prævia ſcientia actus conditionate futuri. Item quod decretum condeterminans poſſit expectare electionem creaturæ, quæ prævie non cognoſcitur. Imo hoc decretum deberet electionem creaturæ præcedere, quin Deus a creatura ad illud poſſet determinari. Hinc ex parte actus primi proximi creati deeſſet negatio impedimenti per actum ſecundum inauferibilis. Ad conf. diſt. ant. decretum condeterminans eſt ſimultaneum cum determinatione cauſali creaturæ, conc. ant. cum determinatione formali, neg. ant. & conſ. cum decretum condeterminans ipſam volitionem creaturæ velit, & cauſet, non poteſt eſſe actus ſimultaneus cum illa, ſed pro priori naturæ ad illam præſupponitur.

Dices 1. Determinatio creaturæ logice & obje- 302
ctive jam exiſtit ab æterno, in quantum ab æterno eſt

 affir-

affirmabilis: ergo poteſt DEUM ab æterno determinare ad decernendum unum præ alio. Sic licet materia & forma ſubſtantialis ſimultanee conſtituant totum phyſicum, tamen forma determinat materiam ad certam ſpeciem totius phyſici. Conf. Voluntas Divina eſt eminenter voluntas noſtra, & decretum concomitans eſt æquivalenter noſtrum decretum: ergo quando creatura ſe ipſam determinat ad volitionem, etiam determinat Deum ad decretum concomitans. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Quia Deus non poteſt determinari ad decernendum, niſi illud, quod eſt objectum decreti, & ratio decernendi, pro priori competenti modo cognoſcat. Cum forma ſubſtantiali non eſt paritas; nam illa præciſe determinat ut cauſa formalis intrinſeca, decretum autem condeterminans ſe haberet per modum cauſæ extrinſecæ & efficientis. Ad Conf. tranſ. ant. in ſenſu adverſariorum, neg. conſ. voluntas & volitio Divina ſolum eatenus eſt eminenter noſtra, quatenus eminenter eſt perfectior, & poteſt cauſare tam ipſam libertatem creatam, quam ejus actum; hinc æque eminenter continet tam volitionem quam nolitionem creatam, nec ad unam præ altera poteſt determinari ſine prævia illius cognitione.

803 Dices 2. Voluntas creata poteſt ponere, vel impedire conditionem, ſine qua non datur decretum condeterminans ad unum, nempe ſuum proprium actum, qui eſt connotatum eſſentialiter ad condeterminationem Dei requiſitum. Si enim creatura ſe non determinaret e. g. ad amorem, etiam Deus ad amorem non condeterminaret: ergo ſicut creatura poteſt impedire ſuum actum amoris, ſic concomitanter poteſt impedire condeterminationem Dei. Conf. Dicat Paulus ad Petrum, ſi tu ambulas, ego etiam ambulo. In hoc caſu Petrus poteſt impedire ambulationem Pauli, licet nullum conſtitutivum actus primi proximi impedire poſſit: ergo.

Reſp.

Resp. neg. ant. Cum ad decretum concomitans concipiendum in Deo solum requiratur potentia volitiva, & scientia simplicis intelligentiæ, creatura nec ipsum decretum Dei potest ponere vel non ponere, nec facere, ut aliquod constitutivum actus primi proximi divini detur vel non detur. Unde dici nequit, quod DEUS non condeterminaret, si creatura se non determinaret. Nam determinatio creaturæ ad condeterminationem DEI nihil potest conferre, & hac posita, illa necessario sequitur. Ad conf. neg. ant. Nam in hoc casu, ut Paulus ambulet, in illo prærequiritur prævia cognitio de ambulatione Petri, aut certe ambulatio Pauli non amplius procedet ab eo actu primo proximo, qui in casu ponitur.

Dices 3. Decretum condeterminans respectu voluntatis creatæ se habet sicut habitus charitatis, qui cum voluntate in eundem actum amoris influit: ergo sicut voluntas potest determinare habitum ad influendum, quin ejus determinatio influxum habitus præcedat, sic potest determinare DEUM, quamvis determinatio creaturæ nullo modo præcedat determinationem DEI. Conf. Sicut habitus charitatis ex natura sua debet agere agente voluntate, & non potest agere voluntate non agente, sic etiam Deus vi decreti generalis necessario tantum decernit id, quod vult homo. Resp. 1. Si paritas hæc subsistit, decretum DEI debet esse natura prius ad decretum voluntatis creatæ, sicut habitus est natura prior ad actum charitatis. Resp. 2. neg. ant. Imprimis habitus charitatis est agens inanimatum, & ex natura sua voluntati se accommodat, DEUS autem decernens utique se non habet instar agentis inanimati & irrationalis. Dein actio voluntatis & actio habitus est unus, idemque indivisibilis actus, econtra decretum DEI & volitio humana sunt actus realiter distincti: ergo non est explicabile, quomodo volun- 304

tas humana poſſit facere, ut decretum DEI exiſtat, niſi determinatio creaturæ ſaltem in intellectu Divino præcedat. Ad conf. jam ſupra negavi ſuppoſitum, quod DEUS hoc decretum generale facere potuerit.

305 Obj. 3. Nullus effectus futurus poteſt a DEO cognoſci eſſe futurus independenter a ſua cauſa; atqui decretum Divinum eſt cauſa noſtrorum actuum: ergo a DEO non poſſunt cognoſci independenter a decreto Divino; conſequenter debent cognoſci in decreto tanquam medio objectivo. Conf. Eo modo actus liber creaturæ cognoſcitur eſſe ſub aliqua conditione futurus, quo modo eſſet futurus ſub illa conditione; atqui ſub illa conditione eſſet futurus dependenter a decreto Dei: ergo. Reſp. diſt.maj. independenter a ſua cauſa ſaltem conditionate exiſtente, conc.maj. abſolute exiſtente, ſubd. Si ſermo ſit de effectu abſolute futuro, conc. maj. ſi de mere conditionate futuro, neg. maj. Sicut enim talis effectus nunquam exiſtet abſolute, ſed tantum exiſteret, ſi poneretur certa conditio, ita ſolum exigit, ut illius cauſa tunc exiſteret, ſi purificaretur conditio, ſub qua eſſet abſolute futurus. Cæterum magnum eſt diſcrimen inter has propoſitiones: Effectus independenter a decreto Divino cognoſcitur eſſe futurus, &: cognoſcitur eſſe futurus independenter a decreto Divino. Prior ſolum dicit independentiam cognitionis a decreto Divino, quod admittimus, poſterior independentiam effectus a decreto Divino, quod ſub data diſtinctione negamus. Hinc ſyllogismus longe aliud infert in concluſione, quam quod poſitum fuit in præmiſſis. Ad conf. Eadem eſt reſponſio, quod nempe effectus eſſet ſub illa conditione futurus dependenter a decreto conditionate exiſtente. Vide num. 216 & 250.

306 Dices 1. Futuritio formalis conditionata e. g. pœnitentiæ Tyriorum, ſupponit futuritionem cauſalem; atqui hæc conſiſtit in decreto decernente

actum

actum conditionate futurum: ergo. Resp. dist.maj. futuritio formalis conditionata supponit futuritionem causalem, quæ actu existat, neg. maj. quæ existeret pro illo casu, quo poneretur conditio, transf. maj. quia respectu futurorum liberorum non requiritur futuritio causalis stricte talis, quæ videlicet ita a priori ad effectum futurum determinet, ut tollatur indifferentia ad effectum & ejus omissionem, sed causa libera solum potest esse a priori determinata in sensu quodam latiore, prout determinatio dicit inclinationem ad effectum. Cæterum ipsa voluntas, licet sit causa immediata actus liberi, non debet actu existere, ut detur futuritio formalis actus conditionate futuri: ergo neque debet actu existere decretumDivinum.Nec rursus oggeras,voluntatem creatam existere eminenter in voluntate Divina; quippe ideo actus liber non minus essentialiter tanquam sui causam respicit voluntatem creatam quam decretum Divinum, quin voluntas creata per ipsam voluntatem aut decretum Divinum se ad actum conditionate futurum determinare valeat.

Dices 2. Contingens conditionate futurum jam ab 307
æterno est extractum ex statu puræ possibilitatis, & ab hoc transiit ad statum futuritionis conditionatæ: ergo ab æterno debet dari causa hujus extractionis & transitus; atqui nulla alia potest dari quam decretum Dei: ergo. Hoc argumento mire triumphant aliqui, & Guilielmus Guisius Calvinista Hollandus in libro suo contra scientiam mediam consarcinato, identidem illud repetit, cum tamen nihil præter phrases contineat. Hinc neg. ant. & consf. Nam 1. quod est pure conditionate futurum, nondum proprie extractum est e statu possibilitatis; sed tantum esset extrahendum & transiturum ad statum existentiæ, si poneretur certa conditio: hic vero transitus non tantum daretur dependenter a decreto divino, sed etiam dependenter a voluntate creata. 2. Quod solum ita improprie e statu

possibilitatis extractum est, non indiget causa actu existente; non enim, ut bene advertit Ulloa, status possibilitatis & futuritionis conditionatæ sunt aliquid actu per statum existens, sed tantum aliquid per alienationem. Unde rem aliquam transire a statu possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ præcisis phrasibus nihil aliud est, quam quod talis res existeret, si poneretur certa conditio.

308 Dices 3. Actus conditionate futurus non est pure possibilis: ergo jam includit aliquam actualitatem, per quam a pure possibili differt, & aliter cognoscibilis redditur. Conf. Actus conditionate futurus non est merum ens rationis, sed aliquid reale, non realitate intrinseca, cum nihil adhuc sit: ergo extrinseca consistente in decreto DEI illum determinante. Resp. dist. ant. non est pure possibilis nunc & pro præsenti, neg. ant. non est, vel potius non esset pure possibilis pro futuro, si certa poneretur conditio, conc. ant. & dist. conf. ergo includit aliquam actualitatem nunc & pro præsenti, neg. conf. quæ daretur pro futuro, conc. conf. per hoc ipsum, quod actus conditionate futurus aliquid esset sub certa conditione, differt ab actu mere possibili, & aliter est cognoscibilis, eo quod actus pure possibilis nec actu existeret, nec ut actu sub certa conditione exstiturus affirmari valeat. Ad conf. dist. maj. est aliquid reale per alienationem, conc. maj. pro statu, neg. maj. Actus denominatur conditionate futurus per decretum actu existens, sed per futuritionem conditionatam formalem, quæ pro statu non exigit existentiam realem, ut patet ex dictis num. 250.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An DEus actus nostros liberos conditionate futuros cognoscat in aliquo alio decreto, saltem scientiam mediam consequente, vel moraliter prædeterminante?

IN hac quæstione agendum est, partim contra illos 309
Scotistas & Recentiores, qui circa omnes res possibiles decretum aliquod subjective absolutum, & objective conditionatum, attamen a scientia media dependens adstruunt, partim contra Augustinianos, sic dictos, quod germanam D. Augustini doctrinam de gratia & libertate, deque scientiis & decretis DEI se profiteri glorientur. Sunt duplicis ordinis. In primo est Jansenius cum sua cohorte, qui totum suum systema fundat in quodam principio S. Augustini male intellecto, & pejus applicato, videlicet in isto: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, ut fusius explicari solet in tract. de gratia. Cum istis nobis hic nihil est negotii, quia ipsimet fatentur, quod juxta ipsorum principia homo non sit liber a necessitate, sed solum a coactione, cum tamen præsens disputatio solum vertatur in eo, quo pacto libertas indifferentiæ conciliari possit cum infallibili futurorum præscientia.

Alterum Augustinianorum ordinem cònstituunt, 310
qui perversam Jansenii doctrinam detestantes, veram in humanis actibus libertatem a necessitate, saltem physica & absoluta profitentur, uti Habertus, Berti, aliique maxime ex PP. Eremitis sancti Augustini. Docent isti hominem in statu naturæ integræ habuisse plenam libertatem ad agendum bonum & malum: at in statu naturæ lapsæ ad bonum indigere auxilio moraliter & infallibiliter necessitante, ita, ut per supernaturales illustrationes intellectus,

& maxime per cœleſtem delectationem voluntas invictiſſime & inſuperabiliter in bonum agatur. Vocant hanc neceſſitatem moralem, tum quia non phyſice, ſicut prædeterminatio Banneſiana, ſed moraliter ſolum movet voluntatem illuſtrando, ſuadendo, terrendo, delectando &c. tum quia non habet phyſicam & abſolutam connexionem cum actu voluntatis, ut victrix gratia Janſenii, ſed tantum connexionem moralem, ſeu moraliter indeclinabilem. Porro in decreto ita moraliter prædeterminante juxta ipſos Deus videt actus liberos tam conditionate, quam abſolute futuros.

Dicendum. Nullum decretum ſubjective abſo-
311 lutum, & objective conditionatum Deo eſt neceſſarium ad cognoſcendos actus noſtros liberos, conditionate futuros. Prob. 1 argumento univerſali. Talia decreta neque ſunt neceſſaria, ut actus liberi ſint conditionate futuri, neque ut poſſint a DEO cognoſci, neque ad ullum alium finem. Nam 1. ad effectum, e. g. pœnitentiam Tyriorum, qui nunquam abſolute exiſtet, non requiritur cauſa actu exiſtens, ſed ſufficit cauſa, quæ actu exiſteret, ſi purificaretur conditio. Sic licet ſemper verum fuerit, Tyrios acturos pœnitentiam, ſi audiviſſent prædicationem Chriſti, & hæc pœnitentia neceſſario dependeat a prædicatione Chriſti, a gratia ſupernaturali excitante, & a voluntate Tyriorum; ideo nulla ex iſtis cauſis debuit actu exiſtere: ergo decretum Dei non eſt neceſſarium, ut actus liberi ſint conditionate futuri. 2. Actus liberi conditionate futuri habent in ſe ipſis determinatam veritatem, ut oſtendemus quæſt. ſequente, & hæc veritas ex modo dictis non dependet a decreto actu exiſtente: ergo tale decretum non eſt neceſſarium medium objectivum cognoſcendi actus conditionate futuros. 3. Alius finis neceſſarius non poteſt aſſignari, ut patebit ex ſolutione objectionum.

Prob.

Prob. 2. ſpecialiter contra decreta dependentia a ſcientia media. Ex una parte Deus eſt ens liberrimum, ac ſibi ſoli ſufficientiſſimum, ita, ut per nullum bonum ſibi contingens poſſit perfici, aut per ejus negationem detrimentum pati, ex altera parte ad perfectionem libertatis dominiique Divini pertinet, ut circa illa, quæ ex ſola libertate DEI pendent, hoc, vel illud valeat decernere, vel omnino actum ſuum liberum omittere: atqui an DEUS aliquid circa actus liberos mere conditionate futuros velit ſtatuere, pendet a ſola libertate Divina, cum nihil ex parte creaturæ detur, quod decretum actu exiſtens exigat: ergo Deus decretum abſolute exiſtens circa actus mere conditionate futuros libere poteſt omittere, vel ſaltem poſitive nolle circa illos aliquid ſtatuere. Conf. Juxta adverſarios in Deo tot deberent admitti decreta ſubjective abſoluta, & objective conditionata formaliter diſtincta, quot dari poſſent circa omnes actus, quos infinitæ creaturæ poſſibiles ſub quacunque hypotheſi excogitabili eſſent poſituræ; atqui abſurdum eſt tot decreta absque neceſſitate in Deo fingere: ergo. 312

Prob. 3. ſpecialiter contra decretum moraliter praedeterminans. Vel tale decretum cum actu bono haberet connexionem ita neceſſariam, ut contumax voluntas gratiæ moraliter prædeterminanti abſolute, & potentia phyſica non poſſet reſiſtere, vel non haberet talem connexionem? ſi primum, tolleret libertatem, ut ipſi Auguſtiniani contra Janſenium arguunt: ſi ſecundum, ergo DEUS in tali decreto non poſſet omnino infallibiliter, ſed tantum certitudine morali prævidere actum voluntatis, cujus obtinendi cauſa prædeterminationem moralem decerneret. Conf. Quamvis Deus poſſet dare gratias moraliter ad bonum neceſſitantes, uti dedit S. Paulo ad converſionem; neutiquam tamen tenetur illas ſemper dare, aut ſemper dat; cum ipſa experientia 313

te-

testetur, quod sæpe homines bonum operentur cum magna reluctantia, & econtra peccent, quin ab opposita gratiæ concupiscentia ad peccandum moraliter necessitentur. Certe Adamus & Angeli rebelles initio Deum amarunt, & postea peccarunt, licet habuerint gratiam, ut ajunt, versatilem ad nutum voluntatis. In quo igitur medio Deus hos actus prævidit?

Objectiones.

514 Obj. 1. Genes. 18 v. 32 Deus dixit Abrahamo, se non deleturum Sodomas, si ibi inventi fuerint decem justi. Similem revelationem fecit Apostolis de missione Spiritus sancti, & regi Joas, ut advertimus num. 252 : ergo ipsa Scriptura in Deo adstruit decreta subjective absoluta, & objective conditionata. Conf. Quando Deus 1 Reg. 23 v. 13 dicit Davidi, quod Ceilitæ ipsum essent traditurі, si maneret in civitate, Deus jam debuit habere decretum, Ceilitis dandi talem actum primum proximum, cum quo Davidem traderent, & sic permittendi traditionem sub conditione, si David in civitate maneret: ergo. Resp. conc. ant. dist. conf. Ergo Scriptura adstruit talia decreta circa actus liberos creaturæ, neg. conf. circa quosdam effectus liberos soli Deo, transf. eonf. Si enim conditio, sub qua actus Deo liberi sunt ponendi, reipsa aliquando purificatur, ut illa de abitu Christi e terra, & missione Spiritus sancti, Deus circa talem veritatem habet decretum absolutum; ad quid ergo prius quasi cunctabundus faciat decretum conditionatum? Sane in hoc casu decretum absolutum virtualiter, aut eminenter objective conditionatum in se continet; unde tanquam objective conditionatum potest a Deo revelari, quia neutiquam tenetur sua decreta manifestare quoad omnes formalitates; præsertim si id prosit ad homines excitandos, ut additam condi-

tionem

tionem ſtudioſius impleant, aut vitent. Ad conf. proportionaliter eſt eadem reſponſio ; neque ex eo, quod Deus fecerit aliqua decreta circa actus ſibi ſoli, aut etiam creaturis liberos, quos revelavit, admitti debent infinita alia circa omnes actus, ſub quacunque conditione poſſibili futuros, eoquod hæc decreta liberrime potuerit omittere.

Dices. Deus omnes actus creaturæ videt condi- 315
tionate futuros eſſe mediante aliquo decreto, ſaltem conditionate exiſtente : ergo infallibiliter debet eſſe determinatus ad illud decretum pro eventu conditionis ponendum ; atqui non poteſt ita eſſe determinatus, niſi per decretum actu exiſtens : ergo. Conf. Teſte Apoſtolo 1 ad Timoth. 2 v. 4. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ſub conditione nimirum, ſi faciant, quod ad ſalutem acquirendam requiritur : ergo. Reſp. conc. ant. neg. conf. ſive enim Deus actu determinatus ſit ad illud decretum ponendum, ſive non, ſemper manet verum, quod actus eſſet conditionate futurus, ſi purificaretur conditio, & decretum Dei exiſteret : ergo Deus attendendo præciſe conditionate futura necdum debet eſſe determinatus ad ponendum decretum ; ſicut necdum debet eſſe determinatus ad purificandam conditionem. Ad conf. Reſpectu prædeſtinatorum Deus non tantum habet decretum objective conditionatum eos ſalvandi : ſi vero reſpectu reproborum objective conditionatum ſit, ejus exiſtentia rurſus ſpeciali ratione probatur ; quamquam etiam hoc videatur abſolute tendere hoc modo : volo ſalutem Petri, & hinc ipſi dabo auxilia ſufficientia ad illam acquirendam, quibus tamen video, Petrum non conſenſurum ; hinc quia ipſis non conſentiet, decerno ipſi æternam damnationem.

Obj. 2. Deus ſuppoſita ſcientia ſimplicis intel- 316
ligentiæ, & media habet totum actum primum proximum metaphyſicum ad concipienda decreta circa omnes

omnes

omnes actus liberos conditionate futuros : ergo non poteſt manere irreſolutus. Conf. Nulla ratio boni poteſt DEUM movere, ut ſuſpendat decretum : econtra intellectus Divinus proponit omnes rationes deliberandi, propter quas voluntas poteſt actu poſitivo aliquid eligere : ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. & ſuppoſitum, quod DEUS maneat irreſolutus; nam hoc ipſo, quod circa aliquem actum conditionate futurum nullum decretum faciat, per totam æternitatem non amplius poteſt velle hunc actum, adeoque jam eſt circa illum reſolutus, ſaltem negative, vel etiam poſitive per decretum, quo nollet circa hunc actum aliquid ſtatuere. Ad Conf. neg. ant. quod 1 membrum. Sicut DEUS poteſt habere fines ſapientiſſimos, cur aliquem actum conditionate futurum poſitive nolit, ſic poteſt habere ſapientiſſimos fines omittendi omne decretum circa eundem actum; nec ideo decretum ſuum ſuſpendit, quaſi illud aliquamdiu differat, & expectet, ſed præciſe decretum ab æterno non concepit, nec unquam concipiet.

317 Dices 1. Quælibet potentia creata exigit connaturaliter perfici a ſuo actu : ergo multo magis voluntas Divina, cum ſit infinite perfecta, & quivis illius actus bonus, imo optimus. Conf. Si creatura poſſet aliquid velle, aut nolle, quin idem vellet, aut nollet Deus, creatura ab ipſa non perfectiſſime dependeret, & Deus non eſſet ſumme perfectus in ratione principii volentis : ergo. Reſp. tranſ. ant. quia etiam in creatis poteſt dari pura omiſſio libera, neg conſ. Potentiæ creatæ per ſuos actus accedit aliqua perfectio, quæ illam meliorem reddit : at Deo per ſua decreta nulla perfectio accedit, nec inde melior redditur. Nam licet volitio DEI ſit aliquod bonum adjective, quatenus DEO infinite bono quaſi adjacet, tamen juxta patronos puræ omiſſionis liberæ non dicit in ſuo conceptu ſpecialem perfectionem, ſed eſt purum prædicatum neutrum

neutrum. Ad conf. dift. ant. Si creatura poſſet aliquid velle, aut nolle abſolute, conc. ant. ſi tantum conditionate, ſubdiſt. quin illud Deus vellet decreto abſolute exiſtente, neg. ant. quin illud vellet, ſi purificaretur conditio, conc. ant. & neg. conſ. Si Deus circa aliquem actum creaturæ nihil decernit, talis actus nunquam poteſt abſolute exiſtere. Unde per hoc dependentia creaturæ a Deo, & perfectio voluntatis Divinæ potius commendatur, quam minuitur.

Dices 2. Agens rationale perfectiſſimum debet 318
perfectiſſime agere propter finem; hoc non fit per puram omiſſionem decreti: ergo. Conf. Pura omiſſio non eſt poſitive honeſta, & laudabilis: ergo non poteſt Deo tribui. Reſp. diſt. maj. debet perfectiſſime agere propter finem, quando operatur actu poſitivo, conc. maj. quando pure omittit, neg. maj. Per puram omiſſionem Deus non operatur, adeoque nullum finem debet intrinſece, & formaliter attingere. Omittit nihilominus actum propter finem æquivalenter, & virtualiter, quatenus illum non poſſet omittere, niſi ex parte intellectus proponeretur finis ſapientiſſimus, eundem omittendi. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Licet reſpectu creaturæ melius ſit operari propter finem, & ſic actum poſitive honeſtum elicere, quam non ita operari, quia creatura per talem operationem perficitur: id non procedit reſpectu voluntatis Divinæ: ſic melius eſt, ſi creatura inter duos actus inæquales eliciat meliorem: at non reſpectu Dei, cujus omnes actus æqualiter ſunt honeſti, alias nunquam eſſet liber ad eligendum bonum minus præ majore. Quod ſi tamen pura omiſſio tibi diſpliceat, dic, Deum perfectiſſime agere propter finem per decretum tendens negative, quo poſitive vult circa actum conditionate futurum nihil decernere.

Obj. 3. Deus actus noſtros liberos conditionate 319
futuros actu debet cognoſcere: ergo etiam decer-

nere

nere; quia voluntas Dei non eſt minus ſumme activa, quam intellectus Dei. Conf. Implicat, quod effectus plus habeat exiſtentiæ, quam cauſa; ſed hoc fieret, ſi decretum divinum non exiſteret: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Intellectus Divinus eſt potentia neceſſaria, & eſſentialiter determinatus ad cognoſcendum omne cognoſcibile; hoc enim eſt manifeſta perfectio. Econtra voluntas Divina non eſt eſſentialiter determinata ad decernendum omne id, quod decerni poteſt; nam hoc eſſet imperfectio oppoſita libertati Divinæ. Hinc ſumma activitas Divinæ voluntatis non conſiſtit in eo, quod velle debeat, quidquid poteſt velle, ſed quod facere poſſit, quidquid efficaciter vult. Ad conf. conc. maj. diſt. min. Si decretum non exiſteret abſolute, neg. min. conditionate, conc. min. & neg. conſ. Sicut actus conditionate futurus haberet ſuam exiſtentiam, ſi poneretur conditio, ſic etiam decretum Dei, quod proin non eſt mere poſſibile, ſed etiam conditionate exiſtens.

320 Dices 1. Ut actus aliquis ſit abſolute futurus, debet decretum Dei abſolutum ab æterno exiſtere; ergo ut detur actus conditionate futurus, decretum Dei conditionatum debet exiſtere ab æterno. Nam ſicut ſe habet decretum Dei abſolutum ad actum abſolute futurum, ita decretum Dei conditionatum ſe habet ad actum conditionate futurum. Conf. Deus eſt immutabilis, ergo implicat, ut decretum Dei ſit conditionate futurum. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Cum Deus ſit immutabilis, omne decretum Divinum, quod aliquando datur, debet dari ſemper, & ab æterno: atqui nullus actus poteſt eſſe abſolute futurus, niſi ſaltem aliquando actu detur decretum Divinum: ergo iſtud ſemper, & ab æterno dari debet. At actus mere conditionate futurus nunquam exigit actualem exiſtentiam decreti: hinc paritas tantum eſt in eo, quod, ſicut actus abſolute

ſolute futurus decretumDivinum exigit dari abſolute, ita actus conditionate futurus decretum Divinum exigat dari conditionate. Ad conf. conc. ant. diſt. conſ. Ut decretum Divinum ſit conditionate futurum futuritione ſtricte tali, per quam tunc primum abſolute exiſteret, quando purificatur conditio, conc. conſ. futuritione minus ſtricte tali, quæ ab exiſtentia abſoluta ſolum præſcindit, neg. conſ. Vel ne circa modum loquendi litigemus, poteris mea pace dicere, actum conditionate futurum exigere decretum conditionate præſens, quod eſſet ab æterno, ſi aliquando poneretur conditio.

Dices 2. Niſi decretum Divinum abſolute exi- 321
ſtat ante ſcientiam conditionalem Dei, hæc Deo tantum erit caſualis, & fortuita, utpote exiſtens præter omnem intentionem Dei. Conf. Hæc ipſa ſcientia conditionalis tali modo non caderet ſub providentiam Dei: ergo. Reſp. Nego ſequelam. Si omne illud eſſet caſuale, & fortuitum, quod accidit præter intentionem, omnia peccata eſſent Deo caſualia, & fortuita. Itaque ut ex Ariſtotele recte advertit Boëtius, caſuale, & fortuitum eſt, quod advenit inopinato, Deo autem omnia perfectiſſime cognoſcenti nihil poteſt inopinato advenire; ſed quia pro priori ſigno per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſcit, ſe debere habere aliquam ſcientiam conditionalem, vel de actu, vel de omiſſione actus conditionate futura, ſcientia conditionalis neutiquam ipſi eſt inopinata. Ad conf. diſt. ant. Scientia conditionalis non caderet ſub providentiamDei tanquam illius effectus, conc. ant. tanquam illius conſtitutivum, vel præſuppoſitum, neg. ant. Hæc enim ſcientia dirigit decretaDivina, conſequenter ad providentiam Dei vel præſupponitur, vel illam conſtituit.

Obj. 4. Juxta noſtra principia poſſibilitas in- 322
trinſeca, eſſentia, & exiſtentia ejusdem rei realiter

ſunt idem: ergo actus conditionate futurus, & abſolute futurus, imo etiam actu exiſtens eſt unus, idemque realiter actus; atqui actus abſolute futurus à Deo non poteſt cognoſci ante decretum actu exiſtens: ergo neque actus conditionate futurus. Reſp. transmiſſo enthymemate diſt. min. ſubſumptam: actus abſolute futurus ante decretum Divinum non poteſt cognoſci ut abſolute futurus, conc. min. ut conditionate futurus, neg. min. & ſub eadem diſtinct. conſ. Verum eſt, quod actus poſſibilis, conditionate futurus, abſolute futurus, & exiſtens de præſenti, ſi præciſe accipiantur denominative, & ſecundum id, quod important in recto, ſint realiter idem, cum utique peccatum e. g. Petri nunc exiſtens non ſit aliud, quam quod Deus ab æterno cognovit eſſe poſſibile, & futurum. Hinc ſi actus aliquis ponatur non ſolum eſſe poſſibilis, ſed etiam conditionate, & abſolute futurus, ſcientia ſimplicis intelligentiæ, conditionalis, & viſionis habent idem realiter objectum materiale, & ſolum differunt ratione modi diverſi, quo in illud tendunt, in quantum ſcientia ſimplicis intelligentiæ v. g. peccatum Antichriſti repræſentat ſub conditione neceſſaria, & eſſentialiter cum conditionato connexa, ſcientia conditionalis ſub conditione contingente, & indifferente, conducente tamen ad conditionatum, ſcientia demum viſionis abſolute affirmando futuram, aut præſentem exiſtentiam peccati.

323 Dices 1. Iſtæ tres veritates objectivæ, peccatum Antichriſti eſt poſſibile, peccatum Antichriſti eſt conditionate exiſtens, peccatum Antichriſti eſt abſolute exiſtens, ſunt realiter ſeparabiles: ergo tres dictæ ſcientiæ non poſſunt habere idem objectum. Conſ. Scientia ſimplicis intelligentiæ, & conditionalis latius patet, quam ſcientia viſionis: ergo. Reſp. diſt. ant. Iſtæ tres veritates objectivæ ſunt ſeparabiles, ſi accipiantur formaliter & reduplicative

plicative, conc. ant. si accipiantur præcise denominative, & secundum se, neg. ant. & conf. Si peccatum Antichristi præcise consideretur secundum se, idem potest affirmari de ejus possibilitate, quod de ejus existentia; nempe utramque nunc dari per alienationem, neutram pro statu: si autem peccatum Antichristi accipiatur reduplicative qua pure possibile, qua pure conditionate futurum &c. utique inadæquate distinguuntur, quia peccatum pure possibile involvit negationem existentiæ etiam conditionatæ; pure conditionate futurum negationem existentiæ absolutæ pro semper; absolute futurum negationem existentiæ solum pro nunc. Ad conf. dist. ant. Istæ scientiæ latius patent, si accipiantur formaliter, & quasi in genere de omni suo objecto, conc. ant. si accipiantur realiter, & prout tendunt in hoc determinatum objectum, neg. ant. & eodem modo conf.

Dices 2. Saltem tres allatæ veritates formales 324
antecedenter fuerunt separabiles, & una potuisset esse vera, quin vera fuisset altera; quippe prima præcise ita tendit: si existeret peccatum Antichristi, illud non involveret repugnantiam. 2. Si existeret Antichristus cum hac determinata libertate, peccaret. 3. Peccatum Antichristi absolute existet: ergo illarum objectum debet esse separabile, & distinctum. Conf. Objectum scientiæ simplicis intelligentiæ est necessarium, objectum vero scientiæ conditionalis, & visionis est contingens: ergo. Resp. conc. ant. dist. conf. Ergo habent aliud objectum, si ponatur illud aliquando existere, neg. conf. si ponatur nunquam dari, subdist. aliud objectum secundum quid, & negative, conc. conf. simpliciter, & positive aliud, neg. conf. Si objectum nunquam ponitur existere, utique a sua existentia est separabile; sed solum negative, quatenus cum illo actu non identificatur. Ad conf. dist. ant. Objectum

 scientiæ

ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ eſt neceſſarium, in quantum non involveret repugnantiam, ſi exiſteret, conc. ant. in quantum conſideratur ut conditionate, vel abſolute exiſtens, neg. ant. quoad hoc membrum, & ſimiliter deſtincto altero membro, conſ. Etiam objectum ſcientiæ conditionalis, & viſionis eſt neceſſarium, ſi præciſe conſideretur ut non involvens repugnantiam.

325 Dices 3. Peccatum Antichriſti de facto jam habet, quidquid requiritur ad verificandam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & conditionalem; ſed nondum habet, quidquid requiritur ad verificandam ſcientiam viſionis: ergo. Conf. Quod peccatum Antichriſti ſit poſſibile, & futurum, jam nunc eſt verum: quod autem exiſtat, nondum eſt verum: ergo objectum harum ſcientiarum non poteſt eſſe idem. Reſp. diſt. ant. Peccatum Antichriſti de facto jam habet, quidquid requiritur &c. per ampliationem. tranſ. ant. jam habet per ſtatum, neg. ant. & ſimiliter diſt. altero membro, conſ. Peccatum Antichriſti de facto nihil omnino habet per ſtatum, neque id requiritur ad verificandam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, aut conditionalem. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Quod jam defacto veræ ſint iſtæ propoſitiones: peccatum Antichriſti eſt poſſibile, & conditionate futurum; non item hæc: peccatum Antichriſti exiſtit, non provenit ex diverſitate ſe tenente ex parte objecti, ſed ex parte cognitionum, eo quod priores poſſibilitatem, & exiſtentiam peccati tantum conditionate, poſterior abſolute affirmet. Cæterum, quæ ſpecialiter pro decreto moraliter prædeterminante objici poſſent, commodius ſolventur, quando hæc materia redibit in tractatu de gratia.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An DEUS actus nostros liberos conditionate futuros cognoscat in se ipsis per scientiam mediam?

NOmen scientiæ mediæ primus usurpare cœpit, & 326
in scholas invexit Petrus Fonseca anno 1566. Eodem postea usus est ejus discipulus Ludovicus Molina S. J. in suo libro de concordia gratiæ cum libero arbitrio. Hic liber, antequam in lucem prodierat, procurante Dominico Bannes Dominicano tanquam orthodoxæ fidei contrarius, & hæresin Semipelagianorum continens ad inquisitoresLusitaniæ, postea ad supremum inquisitionis Hispanicæ tribunal, ac demum Romam ad ipsum summum Pontificem delatus est, ubi post 47 omnino disputationes coram Clemente VIII & Paulo V institutas, pontificio diplomate sancitum, ut doctrina de scientia media indemnis persisteret, & tanquam sana, ac Catholica ubique defendi, ac doceri posset, addita prohibitione sub gravissimis pœnis, ne ullis censuris deinceps afficeretur, ut videri potest apud Ripaldam, Annatum, Henaum, Eleutherium, sive Livinum de Mayer.

Enimvero quoad rem ipsam scientia media jam 327
pridem fuit agnita a SS. Patribus; nam 1 passim docent, in Deo dari præscientiam actuum nostrorum liberorum conditionate futurorum. 2. Ad quæstionem, cur Deus condiderit Angelos, primos parentes, aliosque homines, quamvis præsciverit, illos esse peccaturos, non agnoscebant difficultatem in hoc, quod Deus peccata conditionate futura præsciverit; sed in eo, cur Deus nihilominus istos Angelos, & homines produxerit: utque ostenderent, istud neque malum fuisse, neque Deum dedecuisse, responderunt, Deum ex

 peccatis

peccatis multa bona potuisse elicere, ut patet ex S. Augustino lib. 2 de Genesi, ex S. Hieronymo lib. 3 adversus Pelagianos, ex Gregorio Nysseno orat. catechet. cap. 7. Atqui si Deus peccata conditionate futura prævideret dependenter a proprio suo decreto, Patres potius laborare debuissent, quomodo tali modo Deus non positive velit saltem materiale peccati, & quomodo hæc volitio cum summa Dei sanctitate, justitia &c. possit stare; hoc enim longe difficilius capi posset, quam quod creaverit peccatores, qui fuerunt prævisi, ex propria sua malitia contra prohibitionem Dei peccaturi.

328 Auctoritatem Scholasticorum quod attinet, P. Thyrsus tom. 4 disp. 14 ostendit, celeberrimos quosque Thomistas, Bannesio antiquiores, nullam prædeterminationem physicam admisisse; econtra auctor libri, cui titulus: Disquisitiones in novam congregationum de auxiliis historiam, anno 1702 Dilingæ editi part. 2 cap. 6 refert, post exortas ob librum Molinæ lites nullam ex omnibus Hispaniæ academiis doctrinæ Dominicanorum favisse, plurimos vero doctores cum omnibus ferme religiosis ordinibus stetisse a partibus Molinæ. Henao in scientia media historice, & theologice propugnata, pro illa jam enumeravit ultra 200 auctores; eandem hucusque nostri defenderunt ferme unanimiter cum plurimis aliis diversorum statuum, ac ordinum. Eidem etiam favere S. Thomam, colligitur tum ex eo, quia admisit Deum contingentia futura cognoscere in se ipsis, tum quia nunquam admisit aliquam prædeterminationem physicam ad unum, ut demonstrat P. Daniel epist. 10 ad Alexandrum Natalem.

329 Dicendum. Deus actus nostros liberos conditionate futuros cognoscit immediate in se ipsis per scientiam mediam. Prob. 1. Deus istos actus infallibiliter cognoscit, neque illos cognoscit, in

in aliquo decreto ſubjective abſoluto, & objective conditionato: ergo immediate in ſe ipſis, cum alius modus illos cognoſcendi non ſuperſit. Antecedens ſatis probavimus quæſtionibus præcedentibus tum auctoritate, tum ratione. Unde hic ſolum addo unum, & alterum textum S. Auguſtini. Lib. 1 ad Simplicianum quæſt. 2 docet, multos uno modo vocatos, tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, eos ſolos ſequi vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei; & poſtea ſubjungit: *Cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Quomodo autem tam ſequentes, quam non ſequentes vocationem eodem modo fuiſſent vocati, ſi Deus illorum actus decreviſſet, antequam ſciret, quid eſſent acturi? Lib. de corrept. & grat. cap. 9, ubi perſpicue explicat ordinem, quem Deus in prædeſtinando ſervat, ante omne decretum ponit præſcientiam, dicens: *Quos autem præſcivit, & prædeſtinavit, quos autem prædeſtinavit, illos & vocavit* (ſcilicet ſecundum propoſitum) *quos autem vocavit, illos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.*

Prob. concluſio 2. Actus liberi conditionate 330
futuri habent in ſe ipſis determinatam veritatem objectivam, & cognoſcibilitatem, non minus, quam actus abſolute futuri: ergo ſicut iſti, ita etiam illi a Deo in ſe ipſis cognoſcuntur. Ant. prob. Sicut de actibus abſolute futuris non poſſunt verificari contradictoria, ſed in quolibet inſtanti reali, in quo non poteſt dari indeterminatio, & ſuſpenſio, unum membrum contradictionis eſt determinate verum; ſic etiam de conditionate futuris non poſſunt verificari contradictoria, nec inter illa a parte rei poteſt dari ſuſpenſio: ergo unum membrum contradictionis eſt determinate verum: & quamvis ex ſola natura contradictionis non poſſit in-

 ferri,

ferri, quodnam membrum ex iſtis duobus: ſi Petrus haberet libertatem *a*, conſentiret; ſi Petrus haberet libertatem *a*, non conſentiret, ſit potius verum, poteſt tamen hoc inferri accedente ſuppoſitione, quod Petrus cum hac libertate ſe potius eſſet determinaturus ad conſenſum, quam diſſenſum. Hoc argumento 300 annis ante exortam de ſcientia media controverſiam jam uſus eſt doctiſſimus Idiota in tractatu de oculo myſtico cap. 15 num. 12.

331 Prob. 3. Quia in hoc ſyſtemate cum infallibilitate præſcientiæ Divinæ non ſolum dominium, aliæque perfectiones Dei, ſed, in quo cardo totius diſputationis vertitur, etiam libertas creata optime combinatur. Nam 1. Sicut impoſſibile eſt, actum ex ſuppoſitione, quod ſit conditionate futurus, non eſſe conditionate futurum, ſic impoſſibile eſt, ut ſcientia, ad quam Deus ab actu conditionate futuro determinatur, unquam falſificetur. 2. Quia Deus de quolibet homine prævidet, quod aliquibus auxiliis eſſet conſenſurus, aliis diſſenſurus, poteſt illi dare hoc vel illud, & pro libitu ab ipſo obtinere conſenſum. 3. Hinc prædeſtinatio Dei infallibiliter conſequitur ſuum finem. 4. Et Deus largiendo tale auxilium, cum quo prævidet, eſſe conjungendum conſenſum, ſpecialem exhibet benevolentiam. 5. Econtra quibus tale auxilium ſubtrahit, non poſſunt juſte conqueri, quia tamen adhuc habent gratiam vere ſufficientem, nec Deus aliam dare tenetur. 6. Nam ſive auxilium detur dependenter a ſcientia media de conſenſu ſive de diſſenſu, tamen libertas creata quamlibet determinatam ſcientiam mediam poſſet impedire; unde neceſſitas conſentiendi, vel diſſentiendi, quæ ex ſcientia media videtur oriri, eſt tantum conſequens, ſicut diſp. præced. diximus de ſcientia viſionis, & actibus liberis abſolute futuris.

332 Nihilominus ut iſta adhuc plenius intelligantur, ſciendum, Deum in decernendis actibus liberis

juxta

juxta noſtrum ſyſtema ita procedere. 1. Per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit omnia poſſibilia, & inter hæc poſſibilem eſſe converſionem e. g. Pauli: poſſibilia hæc, & illa auxilia &c. 2. Per ſcientiam mediam videt, quibus auxiliis Paulus converteretur, & quibus non converteretur. 3. Ex affectu prorſus gratuito, & benevolo decernit Paulo dare tale auxilium, per quod illum per ſcientiam mediam prævidet eſſe convertendum, idque decernit eo fine, ut Paulus convertatur. 4. Ex benevolo hoc decreto juxta noſtrum modum concipiendi profluit ſcientia viſionis, qua Deus prævidet converſionem Pauli abſolute futuram. 5. In tempore hoc ipſum auxilium Paulo confert, & ipſe libere ſe convertit. Eodem ordine a Deo decernuntur actus liberi mali, hoc tamen diſcrimine, quod Deus poſitive actus malos non intendat, neque auxilium, quod videt eſſe conjungendum cum peccato, decernat dare eo fine, ut peccatum ſequatur; ſed quia Petrus huic auxilio, prout poſſet, non vult cooperari, Deus habet decretum mere permiſſivum, in quantum peccatum non vult poſitive impedire.

Objectiones.

Obj. 1. Scientia media toti antiquitati fuit in- 333
cognita: ergo non eſt admittenda. Conf. Antiqui theologi cum D. Thoma ſcientiam Dei adæquate diviſerunt in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis: ergo. Reſp. diſt. ant. Fuit antiquitati incognita quoad nomen, conc. ant. quoad rem ipſam per nomen ſignificatam, neg. ant. & conſ. Antiqui communiſſime admiſerunt, quod Deus cognoſcat actus noſtros liberos conditionate futuros; decreta autem prædeterminantia, condeterminantia &c. primum a Banneſio, Auguſtinianis & Scotiſtis excogitata ſunt. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Anti-

Antiqui iſtas ſcientias acceperunt in ſenſu quodam latiore, & aliqui per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ intellexerunt omnem illam, quæ non affirmat exiſtentiam abſolutam ſui objecti, & nullum præſupponit decretum Dei liberum actu exiſtens. Unde ſcientia viſionis juxta ipſos erat illa, quæ affirmat exiſtentiam abſolutam ſui objecti, & ſupponit decretum Dei liberum actu exiſtens. Econtra alii per ſcientiam viſionis intellexerunt omnem illam, quæ non verſatur circa objectum mere poſſibile, aut prædicata neceſſaria. In primo ſenſu, in quo locutus videtur S. Thomas, Suarius, Bellarm. &c. ſcientia media reduci poteſt ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: in altero ſenſu, quem adhibuerunt Eſparza, Maurus &c. poteſt reduci ad ſcientiam viſionis.

334 Dices 1. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt neceſſaria; ſcientia viſionis eſt libera: ergo quaſi contradictorie ſibi opponuntur, & nulla alia inter illas poteſt mediare. Conf. Ipſe Molina fatetur, ſcientiam mediam a ſe primum fuiſſe excogitatam, neque S. Auguſtinus illam ad conciliandam libertatem cum præſcientia Divina unquam adhibuit; imo quæ libro contra Simplicianum ſcripſit, retractavit, & in diſcurſu a nobis citato ſæpe adhibuit particulam forte. Reſp. diſt. ant. Quaſi contradictorie ſibi opponuntur, ſi accipiantur in ſenſu latiore, tranſ. ant. ſi in ſenſu ſtrictiore, in quo nunc communiter accipi ſolet, & illam explicavimus num. 247 & 248 neg. ant. Ad conf. neg. ant. Molina in ſua concordia ex inſtituto probat, ſcientiam mediam fuiſſe ſuppoſitam a SS. Patribus, præſertim Auguſtino, & Hieronymo; item a Magiſtro ſententiarum, & S. Thoma, nempe quoad rem ipſam. Porro S. Auguſtinus ſcripta contra Simplicianum lib. 2 retract. ad initium, & lib. de prædeſt. ſanct. expreſſe tanquam ſua agnoſcit, & illa etiam poſt exortam hæreſim Pelagianorum ſemper maximi fecit.

Par-

Particulam forte non adhibuit tanquam dubitans, ſed interrogans, ut contextus oſtendit.

Obj. 2. Scientia media a ſancto Auguſtino, & aliis Patribus vehementer fuit reprehenſa in Maſſilienſibus, ſeu Semipelagianis, adeo, ut S. Proſper eam vocaverit novum abſurditatis genus, & S. Damaſcenus impoſturam. Reſp. diſt. ant. Scientia media a SS. Patribus fuit reprehenſa quoad ſe, neg. ant. quoad abuſum, conc. ant. Patres non reprehenderunt Maſſilienſes, quod ſimpliciter admiſerint ſcientiam conditionalem actuum noſtrorum liberorum, alias impugnaſſent etiam doctrinam Thomiſtarum, & Scotiſtarum; neque illos reprehendunt, quod non admiſerint decreta ſubjective abſoluta, & objective conditionata; de his enim nullam prorſus faciunt mentionem, quando cum Semipelagianis diſputant. Itaque illos ſolum culpabant, quod ſcientia conditionali abuterentur ad ſtabiliendos ſuos errores, videlicet, quod initium fidei ſit ex nobis, & præcedat omnem gratiam ſupernaturalem, adeoque primam gratiam dari propter merita, eaque ſolum naturalia; item quod merita conditionate præviſa ſint cauſa moralis, cur Deus adultis gratias, & parvulis ſalutem concedat, ut advertimus num. 264. Verum iſti errores a nobis conſtanter rejiciuntur, & neutiquam ex ſcientia media ſecundum ſe ſpectata erui poſſunt. 335

Dices 1. Scientia media a nobis adhibetur ad eosdem fines, ad quos illa abuſi ſunt Semipelagiani, nempe ad conciliandam cum præſcientia Dei libertatem humanam & rejicienda decreta efficaciter & antecedenter prædeſtinantia: ergo. Conf. S. Auguſtinus lib. de prædeſt. ſanct. cap. 10 expreſſe docet, ea quæ Deus promittit & facturus eſt, non eſſe ex noſtra voluntate, ſed ex ſua prædeſtinatione, & per præſcientiam Dei intelligi ipſam prædeſtinationem, 336

tionem. Resp. neg. ant. Semipelagiani scientiam mediam non adhibuerunt ad conciliandam libertatem cum praescientia, sed cum gratia Dei, per quam putabant libertatem everti, si omnes actus meritorios deberet praecedere ; hinc solum impugnarunt illam praedestinationem, quae ex parte hominis nullum praesupponit meritum naturale gratiae. Quod si in sancto Augustino impugnassent praedestinationem antecedentem scientiam mediam, id fecissent errore facti, cum S. Doctor illam nullibi afferat. Ad conf. dico, S. Augustinum ibi loqui de actibus liberis absolute futuris, & lib. 2 cap. 18 solum ait, praedestinationem *aliquando* significari nomine praescientiae.

337 Dices 2. Merita per scientiam mediam praevisa haberent sufficientem bonitatem, vi cujus possent movere Deum ad conferendam illam gratiam, ex qua secutura esse praevidentur : ergo gratia jam posset dari propter merita conditionate futura, ut volebant Semipelagiani. Conf. Juxta nos Deus neminem praedestinat ad gratiam nisi praevisis meritis conditionate futuris : ergo. Resp. dist. ant. haberent sufficientem bonitatem, vi cujus possent movere in genere causae finalis, trans. ant. in genere causae moralis, neg. ant. & conf. Quippe merita ita praevisa nondum actu habent ullam bonitatem, sed tantum haberent, si poneretur conditio, sub qua postea elicerentur a voluntate, & quidem ut praeventa & adjuta a gratia supernaturali, adeoque ad hanc gratiam tantum possunt movere tanquam finis, quem Deus conferendo gratiam intendit. Ad conf. trans. ant. neg. conf. Imprimis merita solum conditionate praevisa non habent vim merendi gratiam, ut primum diximus. Dein juxta nos ne quidem possunt praevideri, nisi ex parte hypothesis ponatur gratia supernaturalis, consequenter haec tam in statu absoluto quam conditionato semper actum meritorium praecedit.

Obj.

Obj. 3. Scientia media non esset libera Deo, neque ab ipso posset impediri: hoc dici nequit; nam Deus debet posse impedire omnem veritatem objectivam creatam, & per se absurdum est dicere, quod aliquid non necessarium existat, independenter a voluntate Dei. Conf. Scientia media Deo non est necessaria: ergo debet esse libera. Quidquid enim absolute existit, vel necessario vel libere existit. Resp. conc. maj. neg. min. Licet Deus vi perfectissimi sui dominii & independentiæ a craturis debeat posse impedire omnem veritatem creatam, ne existat absolute; non ideo debet posse impedire, ne existat conditionate sub tali hypothesi, quæ jam ex se supponit, quod Deus velit creaturam relinquere liberam, & illius actum nolit impedire. Quamquam autem scientia media jam actu detur, non tamen est aliquid creatum, sed Divinum, ideo non est absurdum, quod possit existere sine voluntate Dei jam ex essentia sua determinati ad cognoscendum omne verum. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Rationem additam dist. quidquid absolute existit, necessario vel libere existit in creatis, conc. in divinis, neg. scientia media non est libera Deo, quia datur independenter a decreto actu existente, nec est necessaria, quia a creatura potest impediri: est igitur contingens Deo, quatenus in illo potuisset non dari. 338

Dices 1. Scientia media est libera creaturæ, & ab illa potest impediri: ergo multo magis debet esse libera Deo; alias creatura posset aliquid facere vel impedire, quod non potest Deus. Conf. Deus potest impedire scientiam visionis de actu libero creaturæ absolute futuro: ergo etiam debet posse impedire scientiam mediam de actu conditionate futuro. Resp. transf. ant. neg. conf. Scientia media non est ita libera creaturæ, quasi illam posset ponere aut impedire physice, sed solum quatenus libere potest 339

ponere

ponere objectum determinativum illius scientiæ, idque libertate, & potentia ab ipso Deo accipienda. Cum igitur respectu ejusdem actus dari nequeant duo principia immediate libera, Deo supposita libertate creaturæ non amplius debet competere potestas scientiam mediam impediendi: neque dominio Dei aliquid præjudicat, quod facta hac suppositione creatura mere conditionate possit aliquid facere, quod non potest Deus. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Ad actum absolute futurum pro priori naturæ requiritur actus primus proximus absolute futurus, quem Deus potest dare, vel non dare, & si illum negat, hoc ipso actus absolute futurus & scientia visionis de eo impeditur. Econtra ad actum mere conditionate futurum non requiritur actus primus proximus absolute futurus, & sive Deus illum velit dare sive negare, tamen verum manet, quod actus esset conditionate futurus, si daretur hic actus primus proximus.

340 Dices 2. Si Deus non posset libere impedire scientiam mediam, neque posset impedire scientiam visionis; nam ex ista scientia media negativa, si Judas haberet auxilium *a* ad pœnitendum, non ageret pœnitentiam, essentialiter sequitur hæc scientia visionis: cum auxilio *a* absolute non dabitur pœnitentia Judæ. Conf. Saltem illa scientia visionis, qua Deus videt absolute existere scientiam mediam, non est libere impedibilis a Deo: ergo. Resp. neg. sequelam & suppositum, quod Deus istam veritatem: cum hoc auxilio non dabitur pœnitentia Judæ, videat per scientiam visionis. Nam licet quoad modum enunciandi sit absoluta, implicite tamen habet sensum conditionatum; neque enim ex sola veritate: si Judas haberet auxilium *a*, non pœniteret, statim potest inferri: ergo non aget pœnitentiam, sed etiam in antecedenti debet addi altera veritas: sed Judas habebit auxilium *a*. Quam cum Deus impedire valeat, etiam libere potest impedire scientiam visionis de

de impœnitentia Judæ. Ad conf. conc. ant. dist. conf. ergo aliqua scientia visionis de objecto increato non potest impediri a Deo, conc. conf. de objecto creato, neg. conf. etiam scientia visionis, qua Deus cognoscit se ipsum, aut existentiam simplicis intelligentiæ a Deo non potest libere impediri.

Obj. 4. Libera conditionate futura nondum habent determinatam veritatem & cognoscibilitatem: 341
ergo non possunt determinare scientiam Dei. Ant. prob. Quia libera conditionate futura nihil sunt, & esse determinativum scientiæ divinæ est prædicatum ipsi rei intrinsecum. Conf. respectu liberorum conditionate futurorum omnia adhuc sunt indifferentia, neque ipsa per se & ex se potius sunt conditionate futura, quam non futura: ergo. Resp. dist. ant. nondum habent determinatam veritatem per statum aut etiam per ampliationem, conc. ant. per alienationem, neg. ant. & dist. conf. ergo non possunt determinare scientiam Dei intrinsece & subjective, conc. conf. extrinsece & objective, neg. conf. Scientia media non affirmat, quod actus liberi sint aliquando exstituri, sed tantum quod existerent, si poneretur certa conditio: ergo non requiritur, ut jam actu aliquid sint, aut per statum habeant esse aliquod intrinsecum rei. Ad conf. dist. ant. omnia sunt indifferentia nulla facta suppositione, conc. ant. facta suppositione, quod essent futura, neg. ant. & conf. facta enim hac suppositione impossibile est, ut non essent conditionate futura, quod ad determinandam scientiam mediam sufficit, ut colligitur ex iis, quæ disp. præced. quæst. 4 diximus de absolute futuris.

Dices 1. Quamvis libera conditionate futura habeant determinatam veritatem post decretum Dei, 342
tamen in signo priori rationis, in quo nullum adhuc intelligitur præcessisse decretum, adhuc sunt in statu meræ præcisionis & indifferentiæ; ergo nondum

sunt

ſunt determinata ad veritatem vel falſitatem. Conf. Creatura in ſigno priori ad decretum Dei eſt in ſtatu indifferentiæ & præciſionis, quo minus poſſit intelligi potius actura, quam non actura abſolute: ergo etiam quo minus poſſit intelligi potius actura, quam non actura conditionate. Reſp. tranſ. totum, ſed neg. ſuppoſitum, quod in ſigno priori ad veritatem conditionatam juxta nos non poſſit intelligi præceſſiſſe aliquod decretum; quippe licet non requiramus decretum actu exiſtens, quia conditionate futura ab omni actuali exiſtentia præſcindunt, admittimus nihilominus decretum conditionate exiſtens; hinc ad conf. tranſ. ant. diſt. conſ. ergo etiam in ſigno priori ad decretum abſolute exiſtens creatura non poteſt intelligi potius conditionate actura, quam non actura, neg. conſ. in ſigno priori ad decretum conditionate exiſtens, ſubdiſt. non poteſt intelligi potius conditionate actura excludendo decretum conditionate exiſtens, conc. conſ. ab illo præciſe præſcindendo, neg. conſ. Sicut abſolute futura in ſe ipſis poſſunt cognoſci præſcindendo a decreto abſolute exiſtente: ſic etiam conditionate futura præſcindendo a decreto conditionate exiſtente. Vide num. 305.

343 Dices 2. Negatio antecedentis decreti inducit ſtatum præciſionis & indifferentiæ ad eſſe determinate futurum, vel non futurum: atqui hæc negatio reſpectu conditionate futuri ſimpliciter datur: ergo. Conf. In ſtatu præciſionis contradictoria nullum habent locum: ergo ex natura contradictionis non infertur, quod unum ex futuris contingentibus ſit determinate verum. Reſp. neg. maj. & min. Si enim in ſigno priori daretur negatio decreti etiam conditionate exiſtentis, creatura neceſſario non eſſet actura, cum impoſſibile ſit, ut negatio decreti, & decretum in eodem inſtanti ſimul dentur. Unde ſtatus præciſionis & indifferentiæ

(ſi

(si ita loqui placeat) non dicit negationem decreti Divini, sed tantum præcisionem a decreto, & ejus negatione. Imo juxta nos, ut sæpe diximus, in signo priori ad veritatem conditionatam decretum conditionate existit. Hinc licet veritas conditionata præscindendo a decreto possit affirmari, non tamen potest affirmari, quod detur in signo priori rationis ad decretum. Ad conf. dist. ant. in statu præcisionis, id est, in signo priori ad decretum contradictoria nullum habent locum, conc. ant. id est, præscindendo a decretoDei neutra debet esse determinate vera, neg. ant. Quippe ex ipsa natura rei in eodem instanti reali non potest idem simul esse & non esse; hinc etsi Deus nihil circa aliquam rem decerneret, una ex contradictoriis deberet esse vera, non quidem veritate contingente, sed necessaria. Vide num. 230 & 231.

Obj. 5. Juxta nos Deus per scientiam mediam 344
videret actus conditionate esse futuros sub libertate conferenda dependenter a scientia media & suo decreto. Jam sic: vel posita hac scientia media: si Petrus haberet libertatem *a*, consentiret, DEUS videret consensum esse futurum sub libertate conferenda dependenter a scientia media de consensu & decreto prædefinitivo? vel dependenter a scientia media de dissensu & decreto permissivo, vel disjunctive dependenter ab alterutro? Si primum, scientia media est necessaria; si secundum, impossibilis; si tertium, iterum necessaria; nam in hac disjunctiva: Petrus consentiret, si daretur libertas *a* dependenter a scientia media de consensu, vel dependenter a scientia media de dissensu. Primum membrum est necessario verum: ergo scientia media non est contingens. Resp. neg. maj. quod nimirum DEUS videat actum conditionate futurum sub libertate conferenda dependenter a scientia media & decreto suo, ita, ut hoc sit aliquod constitutivum hypothesis objectivæ. Nam hæc tota debet

esse indifferens ad consensum & omissionem consensus vel etiam ad dissensum: ergo nihil pro illius constitutivo potest assumi, quod essentialiter cum consensu est connexum, vel illi oppositum; sed ab his suo modo debet præscindi, neque se tenere possunt ex parte actus primi proximi creati, sed tantum ex parte actus primi remoti.

345 Dices 1. Libertas creata est essentialiter connexa cum aliqua scientia media, & aliquo decreto: ergo cum Deus libertatem creatam cognoscat supercomprehensive quoad omnes terminos connexos, ex parte hypothesis debet cognoscere scientiam mediam & suum decretum. Conf. Hæc veritas: si daretur libertas *a*, daretur dependenter a scientia media de consensu, est conditionata & contingens: ergo scientia media non præscindit a seipsa & determinato aliquo decreto. Resp. dist. ant. libertas creata essentialiter dependet ab aliqua scientia media & decreto indeterminate sumpto, conc. ant. ab aliquo determinate sumpto, neg. ant. potest enim existere dependenter & ab hoc, & ab illo Hinc etiam dist. conf. ergo ex parte hypothesis debet attingere scientiam mediam & suum decretum directe, determinate, & tanquam constitutivum hypothesis, neg. conf. indeterminate, indirecte & tanquam purum terminum connexionis, ac velut in obliquo, transf. conf. Ad conf. transf. ant. quia hæc veritas potius pertinet ad scientiam mediam reflexam, dist. conf. ergo scientia media non præscindit a se ipsa, & determinato decreto ex parte hypothesis, neg. conf. ex parte conditionati, transf. conf. tendentia scientiæ mediæ sic potest explicari: Si existeret libertas *a*, quæ conditionate connexa est cum aliqua scientia media & decreto, existeret consensus dependenter a scientia media de consensu, & decreto prædefinitivo. Vid. num. 266.

346 Dices 2. Saltem ex parte hypothesis seu libertatis creatæ per scientiam mediam deberet cognosci con-

concurſus Dei; hoc iterum non poteſt dici: ergo. Maj. patet; quia impoſſibile eſt, ut creatura agat ſine concurſu Dei. Min. prob. Si DEUS concurrit, infallibiliter agit creatura: ergo ſi ex parte hypotheſis debet cognoſci concurſus Dei, ſcientia media rurſus eſt neceſſaria. Conf. Applicatio omnipotentiæ Divinæ fit per decretum: ergo ſi hæc ex parte hypotheſis debet cognoſci, debet in illa cognoſci aliquod decretum Divinum. Reſp. diſt. maj. ex parte hypotheſis deberet cognoſci concurſus Dei in actu primo, conc. maj. concurſus Dei in actu ſecundo, neg. maj. & ſic diſt. min. conſ. concurſus Dei in actu primo habetur per formalem applicationem omnipotentiæ Divinæ, quæ eſt indifferens ad conſenſum vel diſſenſum. Concurſus in actu ſecundo eſt ipſa operatio actualis Dei, probabilius cum actione creaturæ identificata; unde ſicut actio creaturæ non attingitur ex parte hypotheſis, ſed conditionati, ita etiam concurſus Dei in actu ſecundo, hoc modo: ſi daretur actus primus proximus creatus, & formalis applicatio omnipotentiæ Divinæ ad actum liberum, creatura eliceret hunc actum liberum, & Deus cum illa concurreret. Ad conf. diſt. ant. applicatio cauſalis fit per decretum Dei, conc. ant. formalis, neg. ant. ſed hæc conſiſtit in ipſa omnipotentia Dei ex ſe parata concurrere, in exigentia creaturæ, & negatione decreti miraculoſi, quo Deus creaturam poſitive vellet ab agendo impedire. Vide num. 267.

Obj. 6. In propoſitionibus conditionalibus va- 347
let argumentatio a contradictorio conditionati ad contradictorium conditionis: ergo ex iſta ſcientia media: ſi daretur libertas *a*, non exiſteret conſenſus, legitime infertur: ergo ſi exiſteret conſenſus liber, non daretur libertas *a*; atqui hoc manifeſte eſt impoſſibile: ergo. Conf. Ex hoc ſyllogiſmo: ſi exiſteret libertas *a*, exiſteret conſenſus; ſed ſi exiſteret diſſenſus liber, exiſteret libertas *a*: ergo ſi

ſi exiſteret diſſenſus, exiſteret conſenſus. Reſp. diſt. ant. in propoſitionibus illativis valet hæc argumentatio, conc. ant. in propoſitionibus conditionalibus non illativis, neg. ant. univerſaliter ſumptum. Licet hæc argumentatio ſit legitima: ſi exiſtit homo, exiſtit animal: ergo ſi non exiſtit animal, non exiſtit homo; non tamen valet iſta: ſi me rogares, non annuerem tuis precibus: ergo ſi annuerem tuis precibus, me non rogares. Poſſet etiam diſt. conſ. Ergo legitime infertur: ſi exiſteret conſenſus dependenter ab alia libertate, non daretur libertas *a*, conc. conſ. ſi exiſteret conſenſus dependenter ab ipſa libertate *a*, neg. conſ. Syllogiſmus pro confirmatione allatus non concludit, ut de ſimili oſtendimus num. 289.

QUÆSTIO VI.

De ſcientia media reflexa.

348 HUcusque præcipue diſputavi de ſcientia media directa, qua DEUS videt actus liberos conditionate futuros creaturarum. Illa vero ſcientia, qua absque decreto actu exiſtente in ſe ipſis videt actus ſuos liberos, ſeu propria ſua decreta conditionate futura, ſcientia media reflexa vocatur: & modo latius, modo ſtrictius accipitur pro diverſitate hypotheſis. Si enim ex parte hypotheſis attingat ſcientiam viſionis, vel actum ipſi DEO liberum, erit ſcientia media reflexa latius accepta. Tales ſunt iſtæ ſcientiæ divinæ: ſi abſolute præviderem Adamum non peccaturum, non mitterem Chriſtum. Si crearem alterum mundum, producerem in illo has & has creaturas. Si vero ex parte hypotheſis involvat ſcientiam mediam directam de actu libero creaturæ, vel ejus omiſſione, erit ſcientia media reflexa ſtricte talis, eaque vel affirmativa vel negativa. Affirmativa ſic tendit: ſi viderem Petrum conſenſurum auxilio *a*, darem illud. Negativa ſic: ſi viderem

rem Petrum diſſenſurum auxilio *a*, non darem illud.

Interim hypotheſis ſcientiæ mediæ reflexæ non 349
eſt ſola ſcientia media directa, ſed ſimul etiam involvit voluntatem Dei & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ ſunt tria conſtitutiva metaphyſica libertatis Divinæ. Nam ſicut ſcientia media directa pro hypotheſi aſſumit libertatem creatam, & ſub hac hypotheſi affirmat, aut negat actum liberum creaturæ conditionate futurum: ita ſcientia media reflexa pro hypotheſi aſſumit libertatem divinam, & ſub illa tanquam conditionatum affirmat aut negat decretum liberum Dei conditionate futurum, vel potius conditionate exiſtens ob rationem num. 320 indicatam. Unde proprie ita tendit: ſi haberem libertatem *a* conſtitutam per ſcientiam mediam de conſenſu, quem Petrus præſtaret auxilio *a*, darem illi hoc auxilium, quamvis brevitatis gratia eam modo ſupra allato exprimere ſoleamus: ſi viderem Petrum conſenſurum &c.

Ex quibus vides, quod hypotheſis ſcientiæ mediæ reflexæ ſtricte acceptæ, ſit vere contingens, 350
tum quia unum ſaltem ejus conſtitutivum, nempe ſcientia media directa, eſt contingens: tum quia tota hypotheſis tantum contingenter eſt connexa cum conditionato. 2. Quod ſit libera Deo; nam decretum Divinum non ideo eſt conditionate futurum, quia per ſcientiam mediam reflexam cognoſcitur ſub certa hypotheſi futurum eſſe; ſed potius per ſcientiam iſtam cognoſcitur conditionate futurum eſſe, quia revera ex libera determinatione voluntatis Divinæ ita eſſet futurum. 3. Quod ſcientia media reflexa non præcedat exercitium libertatis Divinæ ſaltem conditionate, & per alienationem exiſtens. Imo ne quidem præcedit decretum Divinum abſolute exiſtens prioritate quadam naturæ vel quaſi naturæ, quia non conſtituit actum primum proximum

 ad

ad decretum Dei, neque ad hoc abſolute ponendum Deum dirigit, ſicut ſcientia media directa non dirigit actum liberum creaturæ. 4. Quod ſcientia media reflexa ſaltem quoad ſubſtantiam non ſit libera creaturæ; nam ſive Petrus auxilio *a* eſſet conſenſurus ſive non, tamen poteſt eſſe verum, quod, ſi Petrus conſentiret, Deus daret, vel non daret auxilium *a*.

351 Utrum revera ſcientia media reflexa in Deo detur, ipſi auctores noſtri non conveniunt. Affirmant Suarez, Vasquez, Granado, Viva. Negant Molina, Maurus, Eſparza, Haunoldus, ſed minus conſequenter, ſaltem loquendo de ſcientia media reflexa ſtricte tali, quæ pro hypotheſi habet ſcientiam mediam directam actu & abſolute non exiſtentem. Nam ideo Deus per ſcientiam mediam juxta citatos auctores cognoſcit actus liberos creaturæ conditionate futuros immediate in ſe ipſis independenter a decreto Divino abſolute exiſtente, quia in ſe habent determinatam veritatem, & intellectus Divinus eſt ſumme cognoſcitivus; atqui etiam actus liberi Divini conditionate futuri ſub hypotheſi ſcientiæ mediæ directæ in ſe ipſis habent determinatam veritatem; cum etiam in his utrumque membrum contradictionis non poſſit ſimul eſſe verum aut falſum, neque inter illa voluntas Divina in ſtatu reali manere ſuſpenſa; adeoque ex his unum eſt determinate verum, videlicet quod Deus Petro daret auxilium *a*, vel illud non daret, ſi Petrum huic auxilio videret eſſe conſenſurum.

352 Dixi loquendo de ſcientia media reflexa ſtricte tali. Si enim non poteſt dari ſcientia media reflexa, quæ pro hypotheſi haberet ſcientiam ſimplicis intelligentiæ e. g. ſi viderem alterum mundum eſſe poſſibilem, tamen non producerem, tunc ideo, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ, utpote Deo neceſſaria, ſecundum rationem noſtram eſt prior ſcien-

tia

tia media reflexa Deo libera, & jam in figno priori proponitur intellectui Divino ut abſolute exiſtens, conſequenter non amplius videtur poſſe attingi ſuſpenſive & conditionate. Ob eandem rationem aliqui negant ſcientiam reflexam ſtricte talem, quæ pro hypotheſi haberet ſcientiam mediam directam actu & abſolute exiſtentem. Verum neutra ex his ſcientiis altera ſtricte prior eſt aut poſterior, ſed ſunt ſimultaneæ duratione, & quaſi natura, non quidem poſitive, ac ſi dependerent ab eodem actu primo proximo, ſed negative, in quantum neutra alteram actu exiſtentem præſupponit, non directa reflexam, ut per ſe patet; nec reflexa directam, quia illam tantum attingit conditionate: ſi daretur ſcientia media directa &c. Quare iſtæ duæ ſcientiæ ſunt in ſignis diſparatis, & ſe habent velut duæ cognitiones inconnexæ.

Cæterum gravis inter auctores eſt controverſia, 353
qua ratione ſcientia media reflexa combinari debeat cum libertate creata. Ponamus enim, quod Deus habeat hanc ſcientiam mediam reflexam: ſi viderem Petrum diſſenſurum auxilio *a*, non darem ipſi hoc auxilium. Hoc poſito Deus conferat illud, poſtquam per ſcientiam mediam directam prævidit, Petrum huic auxilio conſenſurum. Jam ſic: In hoc caſu complexum ex dicta ſcientia media reflexa & collatione auxilii eſt eſſentialiter connexum cum conſenſu Petri, ſimulque inimpedibile a Petro, utpote qui nec collationem auxilii, nec ſcientiam mediam reflexam impedire poteſt, cum utraque ſit libera Deo: ergo ſcientia media reflexa præjudicat libertati creatæ. Neque caſus hic poteſt dici impoſſibilis, cum defacto Deus tali modo auxilia beatiſſimæ Virgini contuliſſe, & adhuc prædeſtinatis auxilia finalia conferre videatur.

In hoc argumento, quod primus excogitaſſe di- 354
citur doctor mirabilis Antonius Perez, omnes qui-

dem Patroni ſcientiæ mediæ reflexæ negant antecedens, ſed ex diverſis principiis; nam aliqui cum Ulloa in prodrom. diſp. 5 cap. 11 admittunt quidem dictam ſcientiam reflexam eſſe a Petro inimpedibilem & eſſentialiter oppoſitam diſſenſui ex ſuppoſito, quod auxilium *a* jam haberet: poſſe tamen a Petro impediri collationem auxilii, & ſic ſcientiam mediam reflexam evitari, ac declinari, ut nullam amplius inferat neceſſitatem. Quod ſi Petrus collationem auxilii non impediat, neceſſitatem, quam infert ſcientia reflexa, eſſe tantum conſequentem, quæ non obſtat libertati. Sic in ſimili, quamvis aliquis non poſſit impedire ictum fulminis, poteſt tamen illum evitare, ſi ſe proripiat ex illo loco, in quem fulmen excutiendum eſſe prævidit. Quod ſi hoc præſciens, ſponte ſua ibidem remaneat, libertati ipſius imputabitur, ſi fulmine percutiatur. Alii econtra hac evitabilitate non contenti docent, ipſam ſcientiam mediam reflexam a Petro eſſe impedibilem, non quidem abſolute, ſed facta ſuppoſitione, quod Deus Petro auxilium actu conferat.

355 Antequam mentem utriusque partis pluribus declarem, adverto, hanc difficultatem tangere ſolam ſcientiam mediam reflexam negativam; licet enim e. g. hæc affirmativa: ſi viderem Petrum conſenſurum auxilio *a*, darem illud, a Petro non poſſit impediri, poteſt nihilominus ſtante hac ſcientia ponere conſenſum vel diſſenſum: conſenſum, quia per hunc ſcientia iſta non falſificatur, ſed verificatur: diſſenſum vero, quia etiam poſito diſſenſu ſcientia non evadit falſa, cum non enunciet auxilium non eſſe dandum, ſi prævideretur diſſenſus, ſed tantum, quod eſſet dandum, ſi prævideretur conſenſus. Idem eſt de hac reflexa affirmativa: ſi viderem Petrum diſſenſurum auxilio *a*, tamen darem. Si autem ponatur iſta: ſi viderem Petrum conſenſurum auxilio *a*, darem illud, ſi vero viderem diſſenſurum, non

non darem illud auxilium. Hæc dividenda erit in affirmativam, & negativam, vel de illa discurrendum sicut de pure negativa. His præmissis

Evitabilitas scientiæ mediæ reflexæ negativæ ita explicatur. Quamvis collatio auxilii absolute loquendo sit soli Deo libera, supposita tamen hac scientia media reflexa: si viderem Petrum dissensurum auxilio *a*, non darem illud, DEUS non amplius potest hoc auxilium conferre dependenter a scientia media directa de dissensu, sed tantum dependenter a scientia media directa de consensu, vel omissione dissensus; alias scientia media reflexa fieret falsa. Atqui Petrus potest facere, ut non detur scientia media directa de consensu vel omissione dissensus, ut patet ex Quæst. præcedente: ergo Petrus facta hac suppositione potest impedire collationem auxilii, & sic evitare scientiam mediam reflexam; consequenter scientia media reflexa non præjudicat libertati Petri, licet sit inimpedibilis, & essentialiter opposita dissensui, quo Petrus dissentiret auxilio sibi jam collato. Discursus hic solidus est, necdum tamen videtur plene satisfacere concilio Tridentino, quod sess. 6 can. 4 & 5 indefinite docet, hominem Deo vocanti posse dissentire, & gratiam acceptam abjicere si velit: ergo auxilium Divinum non tantum debet posse evitare, sed etiam jam collato resistere, & dissensum cum ipso auxilio conjungere. 356

Hinc ingeniosus quidam Recentior in suis manuscriptis contendit, scientiam mediam reflexam, licet a creatura sit inimpedibilis, non tantum esse evitabilem, sed potentiam antecedentem dissentiendi auxilio adhuc stare posse cum toto complexo, ex scientia media reflexa negativa, & collatione auxilii; quippe cum saltem una pars hujus complexi nempe collatio auxilii consequatur ad scientiam mediam directam de consensu conditionate futuro, ne- 357

cessitas auxilio collato consentiendi, & impotentia eidem dissentiendi primum consequitur ad exercitium saltem conditionatum libertatis creatæ, in quantum voluntati liberum fuisset scientiam mediam directam de consensu conditionate futuro determinare vel impedire: atqui necessitas & impotentia, quæ consequitur ad exercitium libertatis, saltem conditionatum, tantum est consequens, & non tollit potentiam antecedentem dissentiendi. Imo complexum ex scientia media reflexa negativa & collatione auxilii præcise secundum se consideratum, & abstrahendo a scientia media directa, ne quidem videtur inducere necessitatem consentiendi auxilio collato, aut impotentiam eidem dissentiendi, ut declarat hoc exemplo.

358 Dicat Petrus per actum essentialiter verum, & metaphysice certum ex revelatione, & illustratione supernaturali: si viderem Paulum abusurum gladio, non darem ipsi gladium: nesciat autem, an Paulus sit abusurus, & speret non abusurum, atque ideo gladium absolute det. Cum hoc certe complexo ex veritate reflexa & collatione gladii potest stare abusus gladii. Vel si casu nonnihil mutato ponas, præter veritatem reflexam in Petro etiam dari scientiam directam, de non abusu gladii, eamque infallibilem, sed impedibilem a Paulo, impotentia gladio abutendi tantum erit consequens, quia non oritur ex veritate conditionali reflexa, & collatione gladii, sed ex adjuncta scientia conditionali directa: ergo etiam cum complexo scientiæ mediæ reflexæ, quæ datur in Deo, & collationis auxilii præcise secundum se spectati stare potest dissensus, impotentia vero dissentiendi tantum oritur ex adjuncta scientia media directa de consensu. Consequenter hæc impotentia non est antecedens, sed tantum consequens scientiam mediam directam, quæ cum a libertate creata impediri possit, non obstat libertati.

Qui

Qui docent, ſcientiam mediam reflexam negati- 359
vam a libertate creata eſſe impedibilem, rurſus duplicem viam ineunt, juxta duplicem modum, quo veritas aliqua conditionalis poteſt impediri. Sciendum itaque primo, quamcunque ſcientiam Dei a creatura non poſſe aliter impediri, quam per hoc, quod creatura impediat veritatem illius objectivam; cum enim ſcientia Dei ſit eſſentialiter vera, abſolute repugnat, ut exiſtat, ſi objectum illius ſe aliter habet, quam ipſa enunciat. Hinc 2 modus primus impediendi veritatem conditionalem eſt, ſi fiat, ut poſita conditione non detur conditionatum, quod ſub illa conditione enunciatur; ſi enim aliquis tantum faceret, ut non detur conditio e. g. ut Petrus non habeat gladium, & ideo Paulum non occidat, nondum impediret hanc veritatem conditionatam: ſi Petrus haberet gladium, occideret Paulum, ſed tantum impediret veritatem abſolutam ſeu occiſionem abſolute exiſtentem. 3. Alter modus eſt, ſi impedito aliunde conditionato fiat, ut nihilominus exiſtat conditio; cum enim propoſitio conditionalis exiſtentiam conditionati ſub certa conditione affirmet, eſſet falſa, ſi poſſet dari conditio ſine conditionato, ut ex ſummulis conſtat.

Primum modum explicandi impedibilitatem ſci- 360
entiæ reflexæ negativæ tenent plerique cum P. Antonio Mayr, eumque ita probant. Qui poteſt facere, ut poſita conditione non detur conditionatum, quod ſub ea conditione affirmatur, poteſt impedire veritatem conditionalem: ſed Petrus (ſuppoſito quod habeat, aut haberet auxilium *a*) poteſt facere, ut poſita conditione ſcientiæ reflexæ negativæ non detur conditionatum, videlicet decretum non dandi auxilium *a*: ergo poteſt impedire ſcientiam reflexam negativam. Maj. patet ex numero ſuperiore. Min. prob. conditio hujus propoſitionis: ſi viderem Petrum diſſenſurum auxilio *a*, non darem illud,

lud, nempe per decretum permiſſivum, eſt ſcientia media directa de diſſenſu, conditionatum vero negatio decreti auxilium conferendi: ergo cum Petrus juxta doctrinam concilii Tridentini collato auxilio poſſit diſſentire, poſita conditione poteſt facere, ut non detur conditionatum ſeu negatio decreti auxilium conferendi, utpote quod jam ponitur eſſe collatum; tametſi enim decretum conferendi auxilium ſit ſoli DEO liberum quoad ſubſtantiam & exiſtentiam ſuam, nihilominus etiam eſt liberum creaturæ quoad modum, quia creatura ſuppoſita libertate & collatione auxilii poteſt facere, ut illud ſibi collatum ſit potius per decretum permiſſivum diſſenſus, quam prædefinitivum conſenſus.

361 Alter modus explicandi impedibilitatem ſcientiæ mediæ reflexæ tribuitur P. Junio, Martinez, eumque præ primo commendat P. Georgius Herman de Deo ſciente, ex quo ita proponi poteſt: Ponamus, quod Deus præter ſcientiam mediam reflexam negativam: ſi viderem Petrum diſſenſurum auxilio *a*, non darem illud, habeat etiam ſcientiam mediam directam de conſenſu Petri futuro ſub illo auxilio, & habita hac ſcientia media directa liberrime Petro auxilium conferat. His poſitis conditionatum ſcientiæ mediæ reflexæ: non darem auxilium *a*, impeditum eſt ab ipſo Deo, & tamen Petrus poteſt adhuc ponere conditionem ejusdem ſcientiæ reflexæ, nempe diſſenſum præſtandum auxilio *a*: ergo ſcientiam mediam reflexam poteſt impedire, in quantum impedire poteſt ſtatum objecti ita ſe habentis, prout ſcientia media reflexa enunciat, qui ſtatus objecti eſt conſtitutivum actus primi proximi Divini ad habendam dictam ſcientiam reflexam. Primum membrum antecedentis videtur patere. Alterum rurſus colligitur ex Tridentino, juxta quod poſſumus diſſentire auxilio collato. Conſ. ulterius poteſt probari, & cum alio inſigni Recentiore, quaſi


tertius

tertius modus ſcientiam mediam reflexam impediendi ſtatui, ita ratiocinando.

Hæc propoſitio: ſi viderem Petrum diſſenſurum 362
auxilio *a*, non darem illud, quoad veritatem eſſentialiter eſt connexa cum hac disjunctiva: vel non viderem Petrum diſſenſurum auxilio *a*, vel non darem illud: atqui ſuppoſita collatione auxilii Petrus poteſt impedire hanc propoſitionem disjunctivam: ergo etiam poteſt impedire propoſitionem conditionalem quoad veritatem cum disjunctiva eſſentialiter connexam. Maj. patet, quia dicta conditionalis eſſentialiter opponitur huic copulativæ: & viderem Petrum diſſenſurum auxilio *a*, & darem hoc auxilium: ergo eſſentialiter connectitur cum disjunctiva copulativæ contradictorie oppoſita. Min. prob. Qui poteſt impedire unum membrum disjunctionis, quando alterum jam aliunde ſupponitur impeditum, poteſt impedire totam veritatem propoſitionis disjunctivæ, atqui Petrus poteſt impedire primum membrum: vel non viderem Petrum diſſenſurum auxilio *a*; quia poteſt diſſentire auxilio jam collato. Alterum vero membrum: vel non darem illud, ſuppoſita collatione auxilii eſt impeditum ab ipſo Deo: ergo.

Ex his patet, quid ad propoſitum num. 353 ar- 363
gumentum reſpondere ſoleant Auctores. Fateor tamen nullam ex datis explicationibus eſſe, cui non plures adhuc difficultates poſſint objici; ſed quia mei inſtituti non eſt ſingulorum opiniones pluribus examinare, neque paucis facile dixerim, quænam alteri videatur præferenda, quamlibet in ſuo valore, & proprio cujuslibet judicio relinquo. Interim quæcunque opinio teneatur, facile reſpondetur ad hunc ſyllogismum: ſi viderem Petrum diſſenſurum auxilio *a*, non darem illud; ſed do: ergo non video Petrum illi diſſenſurum. Nam qui defendunt ſcientiam mediam reflexam a libertate creata impediri poſſe, eo ipſo dicunt, majorem ſyllogismi eſſe a Petro impedi-

pedibilem. Qui vero existimant libertatem creaturæ illæsam stare, etsi scientia media reflexa ponatur esse inimpedibilis, dicunt minorem syllogismi posse a Petro impediri, non quidem absolute, attamen supposita veritate majoris. Taceo, quod aliqui allatum syllogismum inter sophismata numerent. Certe sophisticus & ex præmissis se invicem evertentibus compositus est hic: Si Petro darem auxilium *a*, dissentiret; sed si viderem Petrum dissensurum, non darem ipsi auxilium *a*: ergo si Petro darem auxilium *a*, non darem ipsi auxilium *a*.



PARS III.

DE DEO VOLENTE.

364 NOmen voluntas dupliciter potest accipi, vel pro principio aut virtute eliciendi operationem vitalem, qua illa fertur in objectum prosecutive vel aversative; vel pro ipsa operatione principii ac virtutis mox descriptæ, videlicet pro ipsa volitione aut nolitione objecti. In utroque sensu Deo voluntatem adstruunt plurima ac clarissima Scripturæ testimonia. Sic David Psal. 134 v. 6 ait: *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit*. Apostolus ad Rom. 12 v. 2: *Ut probetis, quæ sit voluntas Dei*. Et ad Ephes. cap. 1 v. 11: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*. Christus ipse Matth. 6 v. 10 Apostolis hanc formam orandi præscripsit: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*. Et cap. 26 v. 39 ad Patrem cœlestem dixit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*. Idem aperte patet ex illis Scripturæ locis, in quibus dicitur, voluntati divinæ non posse resisti, Deum nolle mortem peccatoris, velle homines salvos fieri, amare virtutem, peccatum odisse &c.

Præterea

Præterea in hoc dogma conſpirant non ſolum SS. 365
Patres, ſed omnes populi, qui vel Deum verum colunt, ac deprecantur, vel ſuperſtitioſa veneratione idola proſequuntur: niſi enim judicarent, Deo ineſſe voluntatem concedendi, quod petunt, fruſtra vel iratum placare, vel beneficia ab eo impetrare laborarent. Rationes manifeſtas ſuppeditant tum infinita perfectio Dei, & perfectiſſima ipſius beatitudo, quæ in viſione & amore ſui ipſius conſiſtit, aut certe ab utraque hac operatione inſeparabilis eſt: tum providentiſſima hujus mundi gubernatio, per quam de rebus creatis diverſimode diſponit ac decernit, media ad ſuos fines ordinat, bona præmiatur, mala punit &c. Nos in hac parte tum ipſam voluntatem divinam, tum ejus operationes, ſeu decreta divina pro modulo noſtro conſiderabimus. Et 1 quidem agemus de eſſentia voluntatis divinæ. 2. De ejus efficacia & modo operandi. 3. De providentia Dei circa ſalutem hominum in communi. 4. De ſpeciali ejusdem providentia circa electos & reprobos.

DISPUTATIO I.

De eſſentia voluntatis divinæ.

QUemadmodum parte præcedente diximus, quod 366
reſpectu Dei ſcientis nulla detur potentia phyſica ſive activa, ſive paſſiva, nulla operatio aut actus realiter diſtinctus, & conſequenter etiam nulla perfectibilitas: ita nihil ejusmodi reſpectu Dei volentis admitti poteſt, ſed ſolum potentia aliqua metaphyſica & logica, vi cujus voluntas divina ita proſecutive & averſive in ſua objecta tendere concipitur, ut unico ſimpliciſſimo actu ab æterno immutabiliter velit, aut nolit, quidquid aliquando vult aut non vult. *In DEO*, inquit S. Thomas 1 part. q. 41 art. 4 ad 3, *intelligere & velle non ſunt tales actus, qui deſignant proceſſionem alicujus rei a Deo diſtinctæ vel eſſen-*

essentialiter, vel personaliter. Unde respectu horum actuum in Deo non potest salvari ratio potentiæ, nisi secundum modum intelligendi & significandi tantum.

367 Nihilominus ratione nostra voluntas Dei dividi solet in voluntatem beneplaciti & signi. Prior est voluntas proprie dicta, nempe volitio Dei intrinseca, qua vere vult rem aliquam e. g. salutem hominum. De hac loquitur Apostolus ad Rom. 12 v. 2, quando ait: *Ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.* Posterior est merum signum externum voluntatis divinæ, & solum vocatur voluntas metaphorice & per figuram, ferme sicut testamentum dicitur ultima voluntas hominis. Quinque ejusmodi signa assignantur: præceptum, prohibitio, permissio, consilium, operatio. Ex his permissio culpæ nunquam, econtra operatio semper est conjuncta cum voluntate beneplaciti; sicut enim Deus nihil operatur nolens, sic nunquam vult peccata fieri. Sed neque præceptum, prohibitio, & consilium semper indicant voluntatem beneplaciti circa id, quod verbis videntur denotare. Sic Deus Abrahamo præcepit, ut sibi immolaret suum filium, & tamen postea rursus prohibuit sola obedientia Abrahami contentus. Sic quando Christus leproso prohibuit, ne cuiquam diceret, a quonam sit mundatus, solum intendit nobis dare exemplum laudem humanam declinandi, ut exponit Magister Libr. 1 Sent. distinct. 45 lit. K.

368 Dividitur 2 in voluntatem antecedentem & consequentem, quæ divisio non ab omnibus eodem prorsus modo explicatur; nam Thomistæ per voluntatem Dei antecedentem intelligunt illam, qua Deus fertur in rem præcise, ut est in sua specie, præscindendo adhuc a circumstantiis particularibus; per consequentem vero, quæ versatur circa rem, ut est in individuo cum omnibus circumstantiis, in quibus a parte rei existit. In quo sensu etiam decretum physice prædeterminans ad voluntatem Dei consequentem

quentem pertinet. Qui vero defendunt ſcientiam mediam, voluntatem Dei antecedentem vocant illam, quæ elicitur a Deo motu quaſi proprio, & nullo modo ab operatione creaturæ determinari aut impediri poteſt. Conſequentem dicunt, quæ conſequitur operationem creaturæ, eamque tanquam determinativum ſupponit. Sic Deus voluntate antecedente vult omnes homines ſalvos fieri, conſequente autem ſolum illos, qui in gratia finali decedunt. Cum voluntate antecedente confundunt aliqui voluntatem conditionatam, cum conſequente abſolutam. Sed voluntas conditionata proprie eſt, quæ in ſuum objectum tendit ſub aliqua conditione, abſoluta, quæ tendit abſolute non attendendo ullam conditionem.

Dividitur tertio, in voluntatem efficacem & inefficacem. Efficax eſt, quæ ita connectitur cum ſuo objecto, ut illud actu conſequatur, vel ſaltem ſerio conſequi intendat. Inefficax eſt, quæ non ita connectitur cum ſuo objecto, ſed vel illud ſerio non intendit, vel ſaltem non conſequitur. Si, quantum eſt in ſe, ſincere vult objectum, quin per ipſam ſtet, quo minus ſequatur, dicitur efficax affective, effective autem inefficax, ut volitio, qua Deus ſerio aliquid præcipit vel prohibet, cui tamen a voluntate humana ſæpe reſiſtitur, juxta illud Actor. 7 v. 51: *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Si vero voluntas non ſolum ſerio objectum vult, ſed illud reipſa abſolute conſequitur, vocatur efficax tam effective quam affective. De hac loquitur Iſaias cap 46 v. 10: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Porro juxta Tournelium de DEO q. 17 art. 6 voluntas Dei ſemper effective efficax eſt, 1 in iis, quæ operatur ſolus ſine conſortio creaturæ. 2. Quæ abſolute decernit circa actiones hominum liberas. 3. Quæ operatur tanquam cauſa univerſalis. Quando autem DEUS aliquid ſolum vult conditionate, ita ut conditio rei pendeat non a ſolo Deo, ſed & a libe-

369

a libera operatione creaturæ, hæc voluntas Divina non semper impletur. Sic Matth. 23 v. 37 dicitur: *Quoties volui congregare filios tuos Jerusalem & noluisti?*

370 Dividitur 4 in voluntatem necessariam, quæ ita vult, ut non possit non velle, & in liberam, quæ positis omnibus ad volendum requisitis potest velle, & non velle, si sit libera libertate contradictionis vel etiam velle oppositum, si sit libera libertate contrarietatis. Porro certum est 1, quod Deus in omnibus actionibus sit liber a coactione, cum nihil sit, quod Deo possit inferre violentiam. 2. Quod non sit liber libertate indifferentiæ ad actus suos immanentes, qui ad Divinam essentiam pertinent, uti sunt generatio Verbi, processio Spiritus sancti, amor sui. 3. Quod non sit liber libertate contrarietatis ad volendum bonum vel malum morale. *Deus enim*, inquit S. Augustinus lib. 22 contra Faustum cap. 22, *peccare non potest, sicut negare se ipsum non potest.* 4. Quod autem sit liber ad volendum & nolendum hoc vel illud bonum creatum, ex instituto ostendemus. Interim noto, quamvis liberum arbitrium in specie, prout datur in creaturis, etiam involvat potestatem eligendi malum, id tamen non requiri ad libertatem in genere, quæ ex conceptu suo solum dicit, ex objectis sibi propositis eligendi, quod maluerit.

371 Est hæc communis doctrina Scholasticorum, quam toto ferme dialogo de liber. arbitr. probat D. Anselmus, statim cap. 1 ita pronuntians: *Non pertinet ad definitionem libertatis arbitrii posse peccare.* Imo cum potestas peccandi sit manifesta imperfectio, perfectionem libertatis potius minuit quam auget. Hinc S. Thomas part. 1 q. 62 art. 8 docet, majorem esse libertatem arbitrii in Angelis, qui peccare non possunt, quam in nobis, qui peccare possumus. Idem indicat S. Augustinus in Enchir. cap.

cap. 15, ubi de ſtatu beatitudinis diſcurrens ita loquitur: *Poſtea vero ſic erit, ut male velle non poſſit, nec ideo libero carebit arbitrio; multo quippe perfectius erit arbitrium, quod omnino non poſſit ſervire peccato.* Certe vix quisquam Theologorum audebit dicere, omnipotentiam Dei non eſſe ex omni parte perfectiſſimam, quia Deus non poteſt aliquid pati, peccare &c. ergo etiam non poteſt dici, quod libertas Divina non ſit ex omni parte perfectiſſima, quia DEUS non poteſt velle malum morale.

QUÆSTIO I.

An detur in DEO voluntas proprie talis eaque libera ad volendum & nolendum objecta creata?

QUanquam omnes gentes, ut diximus num. 365, in Deo agnoſcant aliquam voluntatem, nihilominus Albertus in libro de cauſis ait, multos Philoſophos huic communi perſuaſioni ſe oppoſuiſſe. At demum ipſe fatetur, illos a Deo ſolum removiſſe illam voluntatem, quæ ſit appetitus boni non habiti, quo voluntas perficiatur. Apertius circa voluntatem Dei errarunt non nulli hæretici apud Didac. Ruiz de Montoya diſp. 1 ſect. 5; nam licet illam aperte Deo non eripuerint, id tamen fecere occulte, cum dicerent: Deo voluntatem & ſcientiam tantum convenire metaphorice, vel certe non in alio ſenſu, quam quod ſit cauſa noſtræ voluntatis & amoris, qua ratione Deus re ipſa tam parum poſſet velle, quam dolere & triſtari, quod aſſerere idem eſſet, ac radicitus convellere totum ferme tractatum de Deo, cum ſine ſcientia & voluntate DEUS nihil de rebus creatis ſciret, nobis non provideret, prædeſtinatos non eligeret, reprobos non rejiceret &c. 372

373 Libertatem Deo negarunt 1. non pauci antiquiores Philoſophi, quos ideo redarguit S. Baſilius Homil. 1 in Hexamer. & Ambroſius libr. Hexam. cap. 5. 2. Petrus Abailardus, Wicleffus, Calvinus, Lutherus, Bucerus blasphemantes Deum non poſſe facere, niſi id, quod facit, ut videre eſt apud Bellarm. lib. 3 de grat. & lib. arbitr. cap. 15. Denique 3 nonnulli auctores Catholici, qui cum Aureolo docuiſſe dicuntur, in Deo non dari volitionem efficacem faciendi, quæ facit ad extra, ſed ſolum ſimplicem quamdam complacentiam. Sicut igitur ignis, ſi applicatus ſtupæ poſſet illam comburere vel non comburere, eſſet quidem liber ad comburendum vel non comburendum, non tamen ad volendum comburere vel non comburere, cum non haberet potentiam volitivam, ſic DEUM eſſe quidem indifferentem ad agendum vel non agendum ad extra, ſed non eſſe liberum & indifferentem ad efficaciter volendum agere, vel ad nolendum agere.

374 Dicendum 1. In Deo datur voluntas proprie dicta. Prob. Ex una parte a ſacra Scriptura voluntas Deo apertiſſime tribuitur, ex altera parte nulla eſt neceſſitas teſtimonia Scripturæ detorquendi ad ſenſum tantum improprium & metaphoricum, imo rationes manifeſtæ ſuadent contrarium, ut num. 365 oſtendimus: ergo Deo debet tribui voluntas proprie dicta. Confirm. Juxta regulam S. Auguſtini, quam allegavimus Num. 112, tunc aliqua perfectio Deo convenit proprie, quando detractis per præciſionem formalem imperfectionibus, quas in creaturis admixtas habet, manet ratio formalis per nomen talis perfectionis ſignificata: atqui detractis imperfectionibus mutabilitatis, triſtitiæ, doloris, aliarumque paſſionum manet adhuc tota ratio per nomen voluntatis ſignificata; quippe juxta communem Doctorum ſenſum voluntas in ſuo formali conceptu nihil aliud dicit, quam principium & virtutem

tutem per operationem vitalem prosecutive aut aversive tendendi in objectum, ut adeo voluntas proprie talis sit perfectio simpliciter simplex.

Dicendum 2. Voluntas Dei est perfectissime 375
libera ad efficaciter volenda & nolenda objecta externa. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, quæ frequentissime Deo tribuit electionem. 1. Cor. 1. v. 27: *Quæ stulta sunt mundi, elegit* Jac. 2 v. 5: *Nonne elegit Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide & hæredes regni.* Ad Rom. 9 v. 18: *Cujus vult miseretur, & quem vult, indurat.* Atqui electio solum convenit potentiæ liberæ, quæ non necessitatur ad objectum amplectendum; electio enim, ut ex Aristotele ait S. Thomas 1. 2. q. 13 art. 6, est actus potentiæ rationalis, quæ se habet ad opposita: ergo. Confirm. quia Scriptura de Deo loquens sæpe adducit hanc conditionem: si voluerit, si noluerit &c. *Si enim Dominus magnus voluerit, Spiritu intelligentiæ replebit illum,* Eccles. 39 v. 8. Imo sæpe refert, Deum aliqua non fecisse, nec voluisse facere, quæ tamen potuit facere, & vicissim aliqua fecisse, quæ potuit nolle facere. Sic Christo non submisit Angelos, & tamen Christus Matth. 26 v. 53 dixit: *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum.* Vicissim tres pueros liberavit flammis Babilonicis, & tamen Daniel. 3 v. 18 professi sunt: *Quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quia deos tuos non colimus.*

Prob. 2 ratione. Ut enim nihil dicam de in- 376
finita perfectione Dei, quæ sibi plenissime sufficiens nulla re creata indiget, & vi supremi dominii de qualibet creatura liberrime disponere potest, ipse instinctus naturalis & consensus omnium gentium libertatem Dei clare manifestat, dum homines in necessitatibus aut periculis constituti natura duce ad

DEUM verum, vel sua idola confugiunt, preces fundunt, sacrificia offerunt, opem implorant. Quæ omnia satis demonstrant voluntatem Divinam non ex necessitate quadam, sed libere flecti, qua ratione frequenter usi sunt SS. patres contra philosophos, necessitatem fati invehentes. Confirm. Ipsa ratio naturalis, propria cujuslibet existentia, aliaque accepta beneficia hominem impellunt, ut DEO pro sua liberalitate & beneficentia grates exhibeat; atqui nisi Deus esset liber, nullas ipsi deberemus gratias pro sua liberalitate & beneficentia. *Liberalitas enim*, ut præclare Seneca de vita beata, *quia a libero animo proficiscitur, ita vocata est. Et beneficium id est, quod quis dedit, cum illi liceret & non dare*, ut idem ait lib. 7 de beneficiis cap. 19.

Objectiones.

377 Obj. 1. In Deo non datur principium, virtus, aut potentia volendi & nolendi: ergo in Deo non datur voluntas proprie talis. Ant. prob. Volitio & nolitio sunt actiones & motus immanentes: sed in Deo non dantur actiones & motus immanentes: ergo. Confirm. Objectum voluntatis est finis; sed Dei nullus est finis, ad quem tendat, cum ipse sit finis omnium: ergo. Resp. dist. ant. In Deo non datur principium, virtus aut potentia physica, conc. ant. metaphysica & logica, neg. ant. Ad prob. dist. maj. volitio & nolitio sunt actiones & motus immanentes a Deo distincti, neg. maj. cum Deo identificati, conc. maj. & sic dist. min. nego conf. Volitio & nolitio in Deo non sunt accidentia, sed Deus est ipse sua voluntas & suum velle, sicut n. 140 de Deo sciente diximus, quod ipse sit suus intellectus & suum intelligere. Ad confirm. conc. maj. dist. min. Dei nullus est finis ab ipso distinctus, trans. min. cum ipso identificatus, neg. min. Voluntas Dei saltem ultimato & principaliter fertur in Deum ipsum, qui

qui per eſſentiam ſuam eſt ſupremum ac infinitum bonum.

Dices. Deus juxta S Scripturam quosdam homines ſolum amavit aliquamdiu, quædam modo præcepit, modo prohibuit, uti ceremonias legales antiqui teſtamenti: ergo ſi in Deo daretur voluntas proprie talis, poſſet mutari. Confirm. Geneſ. 6. v. 6. dicitur, Deum pœnituiſſe, quod fecerit hominem: ergo voluntatem ſuam retractavit. Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. Sicut Deus ab æterno ſcit, quidquid ſcit, ſic ab æterno vult, amat &c. quidquid vult; non tamen ab æterno vult omnia pro omni tempore, ſed e. g. hominem ab æterno tantum amat pro tempore, quo eſt in gratia conſtitutus, legalia præcepit pro tempore antiqui Teſtamenti, prohibuit pro tempore Novi. Unde denominatio Deus amans pro hoc tempore adæquate ſumpta ipſum tempus involvit, nec ideo reſpectu Divinæ voluntatis datur ſucceſſio aut mutatio, ſed tantum reſpectu rerum, ut declarat S. Thomas 1 part. q. 19 art. 7 in corp. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. Cum Deus proprie pœnitere nequeat, locus objectus ſolum metaphorice intelligendus eſt, ſecundum ſimilitudinem operationis, in quantum Deus hominem, quem fecerat, per diluvium a facie terræ delevit; ut explicat idem Angelicus loc. cit. ad 1. 378

Obj. 2. In Deo non datur electio: ergo non 379
eſt liber ad volendum & nolendum objecta extra ſe ponenda. Ant. prob. electio importat deliberationem & conſilium; ſed hæc dari non poſſunt in Deo; hinc S. Damaſcenus lib. 2 orthodoxæ fidei cap. 22 in Deo admittit quidem *actum volendi*, non tamen *electionem, quia Deus non conſultat*. Confirm. S. Dionyſius de divin. Nom. cap. 4 docet, quod ſummum bonum diffundat ſuos radios ſicut ſol *non utens electione*, *ſed eo ipſo*, *quia eſt*: ergo. Reſp. neg. ant. ad prob. diſt. maj. electio importat deliberationem &

consilium in humanis, conc. maj. in Deo, neg. maj. Sicut in Deo datur perfectissima scientia sine discursu, sic datur electio sine deliberatione & consilio, per hoc intelligendo consultationem, seu inquisitionem veritatis nondum cognitæ. Cæterum etiam rationem consilii Deo competere docet Apostolus ad Ephes. 1 v. 11, *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ad confirm. respondet Angelicus 1 part. q. 19 art. 4 ad 1, a S. Dionysio non excludi electionem simpliciter, sed secundum quid, in quantum Deus non tantum aliquibus sed omnibus suam bonitatem communicat, sicut sol materialis illuminat res omnes tam bonas quam malas.

380 Dices. SS. Patres contra Simonem Magum, Marcionem &c. frequenter docent, fuisse melius homini permittere potestatem peccandi, ne libero privaretur arbitrio: ergo cum Deus nequeat peccare, non habet liberum voluntatis arbitrium, saltem non extensive perfectissimum: *solus Deus est*, inquit S. Hieronymus in homil. de filio prodigo, *in quem peccatum non cadit, nec cadere potest: cætera cum sint liberi arbitrii, in utramque partem flecti possunt.* Confirm. Quamvis Deus juxta Scripturam possit alia facere, quam facit, si velit, non tamen potest alia velle, ut textus a nobis citatos exponit Wicleffus. Resp. conc. ant. dist. conf. Ergo Deus non habet liberum arbitrium imperfectum, quale datur in homine, conc. conf. aliud longe perfectius, neg. conf. potestas peccandi, cum sit imperfectio, nec quidem extensive potest augere perfectionem liberi arbitrii, ut patet ex n. 331. Ad confirm. absurdissimam hanc expositionem satis refutant exempla n. 375 a nobis allata, in quibus aperte indicatur, quod Deus potuerit velle missionem Angelorum, & nolle liberationem puerorum e flammis. Certe isti modi loquendi: si nolueris, si volueris &c. juxta communem acceptionem, indifferentiam & potesta-

tem

tem libertatis indicant; alias essent nugatorii, ut cuilibet facile patet.

Ob. 3. Quidquid est Deo naturale, est neces- 381
sarium; atqui Deo naturale est velle, quidquid vult; cum nihil in illo possit esse præter naturam: ergo quidquid vult, ex necessitate vult. Confirm. velle Dei est æternum, imo ipsum esse Dei: ergo. Resp. Transmissa forma syllogismi dist. maj. quidquid est Deo naturale ex necessaria determinatione & intrinseca exigentia naturæ, est necessarium, conc. maj. quidquid est Deo naturale solum ex aliqua proportione naturæ, subdist. est necessarium necessitate antecedente, neg. maj. consequente & ex supposito, quod detur, conc. maj. & sic. dist. min. neg. cons. Quamvis Deo sit naturale scire, quidquid scit, & ex supposito, quod sciat, illud necessario ab æterno sciat, ideo scientia Dei, e. g. de peccato Antichristi futuro non est DEO absolute & antecedenter necessaria. Imo etiam homini naturale est velle, quidquid vult, quin ideo careat potestate non volendi, aut volendi oppositum. Ad confirm. conc. ant. neg. cons. velle Dei est quidem æternum, & quoad substantiam ipsum esse Dei, attamen volitio libera simul involvit vel complementum aliquod extrinsecum, vel terminationem intrinsecam, antecedenter a Deo separabilem, adeoque non est Deo adæquate necessaria.

Dices. Deus objecta externa vult propter 382
suam bonitatem tanquam finem: ergo sicut bonitatem suam vult necessario, sic etiam objecta externa. Confirm. Deus semper debet facere optimum: ergo saltem non est liber ad volendum bonum minus præ majore. Resp. dist. ant. ita tamen ut hic finis possit esse sine objectis externis, conc. ant. aliter, neg. ant. & cons. Bonitas & infinita felicitas Dei potest dari, & ab æterno data fuit sine omni

re creata: ergo propter ſuam bonitatem nihil debet neceſſario velle extra ſe. Ad confirm. diſt. ant. debet facere optimum formaliter tale, conc. ant. materialiter tale. ſubdiſt. negative optimum, conc. ant. poſitive optimum, neg. ant. & conſ. Cum ſint poſſibiles creaturæ perfectiores & perfectiores in infinitum, & gloria Dei, quæ in clara cum laude notitia, ſeu manifeſtatione divinarum perfectionum conſiſtit, pariter in infinitum poſſit augeri, DEUS nequit creaturam intendere in ſe & materialiter perfectiſſimam, neque ſummum gradum gloriæ ſuæ, ſed tantum gradum quemdam determinatum & finitum, quem libere ſibi præfigit.

383 Poteſt nihilominus dici, quod Deus ex infinita ſua bonitate neceſſitetur ad faciendum optimum 1. negative, in quantum nihil, quod Deus facit, poteſt continere poſitivum aliquem defectum, qui Deum dedeceret, vel in ejus opprobrium aut contemptum cedere poſſet. 2. Optimum in ordine ad finem a ſe intentum, videlicet ad illum gradum gloriæ, quem DEUS libere ſibi præfixit, quando hoc univerſum eo fine condidit, ut a creaturis rationalibus cognoſcatur, & debitam laudem ac venerationem conſequatur. 3. Optimum relate ad divinam operationem; cum enim omnes operationes divinæ ſint ſumme conformes voluntati Divinæ, quæ eſt prima regula omnis boni & honeſti, omnes ſunt optimæ & infinite honeſtæ, etſi ipſa res quam vult, aut facit, non ſit in ſe optima, aut perfectiſſima. Cæterum, cum Deus, ut ſupra diximus, nulla creatura aut gloria externa indigeat, ad iſta ſolum neceſſitatur conditionate & conſequenter, nempe ex ſuppoſito, quod libere aliquid ad extra producere velit.

384 Ex dictis colliges, quodnam ſit objectum Voluntatis Divinæ. Nempe objectum materiale primarium eſt ipſa infinita bonitas Divina, quam quia per-

perfectiſſime comprehendit, ejus voluntas neceſſario ita in amorem rapitur, ut Deus ſe ipſum ſemper perfectiſſime amet. Objectum materiale ſecundarium ſunt omnes res creatæ, tum actu exiſtentes, tum poſſibiles. Si enim ſunt bonæ, Deus in illas poteſt tendere per affectum proſecutionis; ſi ſunt malæ, per affectum fugæ; ſi indifferentes, poteſt eas permittere, præcipere, prohibere; ſi mere poſſibiles, poteſt in iis ſibi complacere, vel diſplicere, imo etiam bonas deſiderare. Sic Deus 1 ad Timoth. 2 v. 4. *vult omnes homines ſalvos fieri*, licet ſalus plurium ſit mere poſſibilis. Interim quia omnis bonitas creata eſt limitata, & multis mixta imperfectionibus, Deus nullam amat creaturam neceſſario, ſicut nullam neceſſario debet producere. Rationem ulteriorem dat Gormaz de Deo diſp. 13 ſect. 1, quia perfectiſſime volenti ſolum poteſt eſſe neceſſarius amor objecti illius, quod adæquat perfectionem voluntatis; perfectionem autem voluntatis divinæ nulla creatura poteſt adæquare.

Objectum formale intrinſecum, principale ac ul- 385
timatum voluntatis divinæ, eſt rurſus ipſa bonitas Dei. Nam quia Deus ſeipſum infinite amat, principaliter ac ultimato omnia vult, & operatur propter ſe ipſum. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, Proverb. 16 v. 4, hoc tamen non obſtante pro objecto formali ſecundario, & intentionaliter ſolum motivo poteſt habere bonitatem creatam. Nam 1 ipſe Deus bonitatem creatam ſæpe dedit pro ratione ſui amoris, ut quando Geneſis 22 v. 16 per Angelum Abrahamo dixit: *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* 2. Deus vult præmiare Petrum, & non Paulum, quia Petrus elicit merita, & non Paulus; econtra Paulum punit, & non Petrum, quia Paulus peccavit, & non Petrus. 3. Deus creaturas in ſe ipſis cognoſcit propter earum veritatem, adeoque creaturæ ſunt objectum formale intellectus divini: ergo

ergo etiam ſecundario & minus principaliter poteſt amare bonitatem creatam propter ſe ipſam : ergo creaturæ poſſunt eſſe objectum formale ſecundarium, intentionaliter motivum voluntatis divinæ.

386 Quæres adhuc, an, & circa quænam objecta in Deo poſſit dari pura omiſſio libera ? Reſp. 1. Quod reſpectu illorum objectorum, quæ nunquam ſunt extitura, & ſi exiſterent, deberent produci a ſolo Deo citra omnem exigentiam creaturæ, poſſit dari pura omiſſio libera, jam indicavimus de Deo ſciente n. 312. Idem eſt de illis objectis, quæ quidem deberent produci a Deo, & creatura ſimul, attamen a creatura non libere concurrente, nec præſupponente exigentiam ex parte actus primi proximi creati, ut Deus concurrat; cum enim pura omiſſio libera probabilius poſſit dari in creatis, & per illam in Deo melius ſalvetur libertas etiam contradictionis, Deus circa ejusmodi res creatas non minus videtur poſſe omittere omnem actum internum, quam externum. Neque poteſt oſtendi implicantia ex eo, quod talis omiſſio ſit voluntaria, electio unius præ altero, determinatio voluntatis, actus ſecundus &c. quippe hæc tantum requiruntur ad exercitium libertatis poſitivum, quo voluntas agit, ad negativum autem, quo voluntas non agit, ſufficit, quod per ipſam omiſſionem ſe determinet, eligat, & in actum ſecundum exeat æquivalenter, in quantum aliquo modo ita ſe habet, ac ſi eliceret actum nolitionis. Vid. dicta parte 2 a n. 316.

387 Reſp. 2. Licet aliqua objecta nunquam ſint extitura, ſi tamen ex parte creaturæ datur actus primus proximus ad tale objectum producendum, & exigentia, ut omnipotentia Dei ad agendum concurrat, ad talem effectum impediendum non videtur ſufficere pura omiſſio libera Dei, ſive dein hic effectus deberet produci a ſolo Deo, ſive ſimul a creatura libera vel neceſſaria. Ratio eſt, quia omnipotentia Dei de ſe eſt paratiſſima ad operandum &

concur-

concurrendum, quoties creatura id exigit: ergo necessario concurret, nisi Deus hanc exigentiam positive velit frustrari, & omnipotentiam miraculose impedire. Sic quando ignis est rite applicatus passo disposito, vel Petrus instructus actu primo proximo libero ad eliciendum actum virtutis, datur exigentia creata, ut omnipotentia Dei, tanquam auctoris naturæ concurrat, nisi Deus per miraculum effectum velit impedire; atqui ut Deus hoc velit & faciat, debet actu positivo voluntatis suam omnipotentiam cohibere; si enim nihil decerneret, non apparet, quomodo omnipotentia in talibus circumstantiis a concurrendo retardaretur.

QUÆSTIO II.

An actus liberi & contingentes sint DEO partim intrinseci, partim extrinseci?

Mysterium hic ingredimur, in quo declarando 388
nemo hactenus vel aliis, vel sibimetipsi satisfecit, ut cum Suario, Vasquio, Junio, Viva, Gormaz, omnes demum ingenue fatentur. Difficultas oritur ex eo, quia combinari debent quædam perfectiones divinæ, quæ videntur omnino inter se oppositæ, uti immutabilitas, simplicitas, indefectibilitas & libertas Dei. Cum enim volitio libera Dei sit actus vitalis, juxta omnes debet esse aliquo modo intrinseca Deo: vel ergo est intrinseca Deo per unionem, sicut nobis insunt actus nostri vitales? & sic in Deo dabitur compositio; vel est intrinseca Deo per identitatem? & sic videtur Deus mutari, eo quod de facto sibi identificatum habeat actum vitalem, qui potuisset a Deo abesse, & penitus non dari. Ex quo vides, hanc difficultatem æque procedere de actibus contingentibus intellectus Divini, nempe de scientia visionis, & scientia media, de quibus proin eodem modo loquemur.

389 Quindecim circa hanc rem ſententiæ enumerantur apud Ribadeneiram diſp. 15 de voluntate, quibus poſtea alii adhuc plures addiderunt. Tres præ reliquis ſunt celebres. Prima, quam cum multis Thomiſtis & Scotiſtis tenent Vasquez, Amicus, Maurus &c. vult, actus liberos & contingentes eſſe Deo partim intrinſecos per identitatem, in quantum important actum voluntatis & intellectus Divini, partim extrinſecos, in quantum præter actum intellectus & voluntatis important aliquod complementum Deo extrinſecum, quod tanquam pars conſtituat hanc denominationem: Deus libere volens, Deus contingenter ſciens. E. g. volitio libera mundi juxta hanc ſententiam in ratione tendentiæ vitalis, qua Deus proprie eſt volens, intrinſece nihil ſuperaddit diſtinctum eſſentiæ divinæ, aut ſimplici complacentiæ de poſſibilitate mundi, quam complacentiam dicunt Deo eſſe neceſſariam, in ratione tamen contingentiæ & efficaciæ actualis, item applicationis & determinationis ad volendam potius exiſtentiam, quam non exiſtentiam mundi, dicit aliquod complementum ab eſſentia divina & actu voluntatis neceſſario diſtinctum, quod juxta aliquos eſt ipſa exiſtentia effectus, quem Deus vult, juxta alios actio productiva effectus, aut neſcio quis modus ſuperadditus, vel omnino entia quædam diminuta neque proprie creata, neque proprie increata.

390 Altera ſententia, pro qua rurſus citantur celebres Thomiſtæ & Scotiſtæ, ex noſtris vero Suarez, Valentia, Tanner &c. contendit, actus Dei contingentes eſſe adæquate Deo intrinſecos, eoquod ipſa eſſentia divina vel potius volitio Dei neceſſaria, in ſe prorſus immutata, ob eminentiam ſuæ perfectionis, ſibi poſſit tribuere denominationem libere volentis, aut contingenter ſcientis, modo aliquid extrinſecum connotet, & in obliquo involvat. Unde tam iſta denominatio: Deus libere volens mundum, quam hæc: Deus libere nolens mundum unice &

adæquate

adæquate consisteret in actu voluntatis divinæ quoad se prorsus invariato, ita tamen, ut prior denominatio in obliquo connotet existentiam mundi, posterior non existentiam mundi, non tanquam complementum & constitutivum denominationis, sed tanquam purum terminum extrinsecum. Hæc sententia quoad rem ipsam vix differt a priori, licet discrepet quoad modum loquendi, in quo magis accedit ad sententiam tertiam, quam referemus quæstione sequente. Interea

Dicendum. Actus liberi & contingentes Dei 391
non possunt explicari per complementa, aut connotata extrinseca, sive spectetur exercitium intellectus & voluntatis Divinæ sive ejusmodi actuum tendentia, aut efficacia. Prob. 1 pars. Hæc denominatio: Deus ab æterno libere volens aut contingenter sciens mundum, data fuit ab æterno, & quidem adæquate & per statum: ergo etiam exercitium liberum voluntatis, & contingens intellectus debuit dari ab æterno adæquate per statum; atqui hoc exercitium ab æterno adæquate & per statum neque potuit haberi per sola prædicata necessaria Dei, cum sint prorsus indifferentia ad volendum & nolendum, ad cognoscendum existentiam vel non existentiam mundi: neque potuit haberi per connotata aut complementa extrinseca, quia nullum ab æterno exstitit: ergo. Profecto nisi ejusmodi denominationes, ab æterno volens, sciens, exercens libertatem &c. essent simultaneæ, & pro forma denominante dicerent actum vitalem suo principio adæquate intrinsecum, nunquam communis persuasio hominum etim sapientissimorum agnovissent speciale in hoc mysterium, quod Deus sit immutabilis, & simul libere velit, ac contingenter sciat. Quid enim mysterii, si dicatur, quod in Deo detur actus voluntatis & intellectus necessarius, in tempore vero ejus objectum creatum existat, vel non existat?

Prob.

392 Prob. 2 pars. Deus objecta creata non tantum vult, & ſcit, ſed vult, & ſcit illa eſſe propter certos fines, & hos potius, quam alios e. g. ſanitatem Petri propter preces tanquam cauſam moralem, animam rationalem propter beatitudinem ſupernaturalem tanquam cauſam finalem: ergo decreta & ſcientiæ divinæ habent ſpecialem quandam tendentiam, ad quam non ſolum prædicata divina neceſſaria, ſed ipſa etiam objecta creata ſunt prorſus indifferentia. Quis enim credat, quod ſanitas Petri aut actio illius productiva ex eſſentia ſua reſpiciat preces Petri tanquam cauſam moralem, & anima rationalis finem ſupernaturalem, ad quem a Deo fuit condita? Accedit, quod Deus potuiſſet nolle quidquam producere ad extra, idque ob diverſos fines, & ex diverſis motivis, quo caſu ſpecialis tendentia decreti & ſcientiæ Dei neque poſſet haberi per eſſentialem aliquem reſpectum ad ens aliquod poſitivum, quia cum hac nolitione nullum ens creatum poſſet exiſtere: neque potuiſſet haberi per puram negationem, quia omnis negatio eſt indifferens ad hoc, ut Deus nolit rem producere ex iſto vel illo fine & motivo.

393 Prob. 3 pars Juxta communem Patrum & Theologorum ſenſum volitio efficax, & libera Dei eſt cauſa mediate efficiens res creatas ita, ut exercitium libertatis adæquate præſupponatur ad exercitium omnipotentiæ Divinæ, & veriſſima ſit hæc propoſitio: Deus producit creaturam, quia illam libere vult producere: ergo voluntas libera & efficax Dei non primum conſtituitur, ſed adæquate præſupponitur ad complementa extrinſeca. Ant. prob. ex claris textibus Scripturæ: *Omnia, quæcunque voluit, Dominus fecit*, Pſal. 134 v. 6. *Salvum me fecit, quoniam voluit me*, Pſal. 17 v. 20. *Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum*, Eccleſ. 39 v. 8. Qui ſatis indicant voluntatem Dei complete præſupponi ad effectus extrinſecos; alias facerent hos ſenſus nugatorios: omnia, quæcunque

DEUS

DEUS fecit, ea fecit: ſalvum me fecit, quoniam ſalvum me fecit. Si poſuerit actionem repletivam ſpiritus intelligentiæ, replebit illum ſpiritu intelligentiæ. Imo tali modo tota efficacia, & totum exercitium libertatis Divinæ conſiſteret in actione productiva Deo extrinſeca, adeoque Deus tantum eſſet liber ad agendum & non agendum, non item ad volendum & nolendum.

Allatæ probationes æque procedunt contra connotata, quam complementa extrinſeca; ex omnibus enim patet, actus liberos & contingentes Dei neque poſſe conſtitui in ſola eſſentia, & actibus neceſſariis Dei: neque ad illos explicandos ſufficere terminos quoscunque Deo extrinſecos, ſive dein vocentur complementa, ſive connotata. Certe iſtæ denominationes: Deus libere volens mundum, Deus libere nolens mundum, ſunt diverſæ, & voluntas Dei per unam aliter tenderet, quam per aliam; atqui eſt imperceptibile & impoſſibile, ut voluntas Dei ab æterno aliter potuerit tendere per aliquid ſibi mere extrinſecum & temporale, idque etiam ob diverſos fines & cauſas. Adde, quod juxta ſaniorem Philoſophiam non poſſit dari diverſa denominatio, niſi dentur diverſa conſtitutiva; atqui juxta connotatores dictæ denominationes non haberent diverſa conſtitutiva, quia utraque conſiſteret in ſolo actu neceſſario voluntatis quoad ſe prorſus invariato. 394

Dices 1. Modo detur ab æterno entitas actus Divini, qui eſt tendentia vitalis e. g. in mundum, & Deus in tempore mundum ſit producturus, habetur ſufficiens fundamentum, cur Deus denominetur libere volens mundum: ergo per complementa extrinſeca ſatis explicatur exercitium liberum voluntatis Divinæ. Confirm. Quamvis Deus non ſit liber, ut detur actus voluntatis, eſt tamen liber, ut hic actus ſit potius volitio quam nolitio mundi: ergo non tantum eſt liber ad agendum, ſed etiam ad volendum. Reſp. neg. ant. ex fut[illegible]itione mundi poſſu- 395

mus quidem inferre, quod Deus ab æterno voluerit mundum producere: hæc tamen productio in tempore futura non poteſt eſſe conſtitutivum illius exercitii æterni, quo Deus ab æterno denominatur libere volens mundum; cum hæc denominatio non tantum ſit ſucceſſiva, ſed ſimultanea, conſequenter adæquate ab æterno exſtiterit. Certe per ſolam volitionem neceſſariam Deus non magis intelligitur velle mundum quam nolle: ergo non poteſt intelligi, quomodo per illam volitionem exerceat ſuam libertatem, & quidem ab æterno. Ad confirm. neg. ant. In hoc ſiſtemate ideo præciſe actus Dei neceſſarius potius eſſet volitio, quam nolitio mundi, quia ſuo tempore daretur actio productiva mundi: ergo exercitium liberum demum conſiſteret in agendo, neque datum fuiſſet ab æterno.

396 Dices 2. Poteſt dici, quod complementum extrinſecum actuum liberorum & contingentium Dei univerſim ſit reſpectus quidam ſive relatio rationis ad objectum vel ejus negationem. 2. Quod ſit veritas aliqua objectiva creata & æterna conſiſtens in ente quodam diminuto, & quaſi medio inter ens reale poſitivum, & purum nihil: ergo. Reſp. neg. ant. Nam 1 vel reſpectus iſte & relatio rationis eſſet noſtra cognitio, qua cognoſcimus Deum e. g. libere velle mundum? vel eſſet fundamentum hujus noſtræ cognitionis? Non primum, quia tota volitio Dei ad noſtram cognitionem jam præſupponitur, & adæquate exiſteret, etſi a nobis non cognoſceretur. Non ſecundum, quia de hoc ipſo fundamento redit quæſtio, per quid habeatur, præſertim ita, ut Deus denominetur volens & ſciens propter certos fines & motiva. 2. Ejusmodi entia diminuta tam in Philoſophia quam in Theologia communiſſime rejiciuntur, & merito; quod enim non eſt omnino nihil, eſt aliquid: ergo vere eſt ens, & quidem creatum; atqui eſt indubitatum, quod nihil creatum ab æterno exſtiterit.

Dices

Dices 3. Quando Deus in rebus creatis dicitur 397
velle unum propter aliud, tantum significatur, quod velit certum ordinem, vi cujus una dependeat ab altera tanquam causa physica vel intentionali: ergo ut e. g. sanitas Petri dicatur existere dependenter a precibus Petri, sufficit, si producatur per talem actionem, quæ habeat specialem respectum ad illam complacentiam Divinam, quam Deus habet in precibus Petri, eo quod possint esse causa moralis sanitatis. Confirm. Si Deus noluisset aliquid producere e. g. ob prævisum peccatum Adami, hæc nolitio potuisset compleri, partim per negationem omnium rerum, partim per futuritionem illarum conditionatam, supposito, quod Deus non prævidisset lapsum Adami. Resp. transf. ant. quod negari posset ob dicta num. 385, neg. cons. sicut juxta communem persuasionem eadem in se est ambulatio, sive fiat propter sanitatem, sive ob alium finem: sic actio productiva sanitatis esset eadem, sive fieret ob preces Petri, sive ob aliam causam; alias si fieret propter obtinendum actum gratitudinis supernaturalis, deberet esse intrinsece supernaturalis. Ad confirm. neg. ant. illa futuritio conditionata mundi per totam æternitatem nihil fuisset per statum: ergo nunquam potuisset denominare Deum nolentem per statum, cum etiam partes denominationis successivæ anni, mensis &c. saltem aliquando per statum debeant existere, ut actu denominent.

QUÆSTIO III.

An actus liberi, & contingentes sint DEO adæquate intrinseci?

ANtonius Perez, Esparza, Gormaz, Viva, & de 398
facto cum pluribus antiquis recentiores passim docent, actus liberos & contingentes esse Deo adæquate intrinsecos, attamen præter essentiam &

ſcientiam aut volitionem neceſſariamDei involvere quandam terminationem liberam aut contingentem, quæ quidem cum eſſentia Divina, & ſcientia aut volitione neceſſaria realiter ſit identificata, virtualiter autem ab illis diſtincta, & antecedenter ſeparabilis, ita ut loco hujus terminationis, qua Deus nunc intrinſece completur in ratione e. g. volentis producere mundum, antecedenter & ab æterno ſibi potuiſſet identificare terminationem oppoſitam, per quam intrinſece completus fuiſſet in ratione nolentis mundum producere. Porro iſtæ terminationes ut virtualiter diſtinctæ ab eſſentiaDei dicunt quidem juxta aliquos in ſuo conceptu formali ſpecialem aliquam perfectionem, juxta alios vero ſunt prædicata neutra, quæ eſſentiæ Divinæ nihil entitatis aut perfectionis ſuperaddunt, ſed præciſe ſunt aliquid, bonæ, perfectæ &c. quidditate & perfectione Divinæ eſſentiæ, quo tamen non obſtante de illis terminationibus propter diſtinctionem virtualem poſſumus affirmare, quæ non poſſunt affirmari de eſſentia, & actibus Dei neceſſariis.

399 Nam diſtinctio virtualis definiri ſolet, quod ſit capacitas aliquorum realiter identificatorum ad verificanda prædicata contradictoria intrinſeca. Dicitur 1 capacitas aliquorum realiter identificatorum; quia non eſt diſtinctio actualis, & ſimpliciter talis, ſed potius aliqua æquivalentia diſtinctionis in ordine ad certos effectus, in quantum nempe tribuit capacitatem ſuſcipiendi prædicata contradictoria, ferme ſicut diſtinctio realis, hoc tamen diſcrimine, quod diſtinctio realis actu detur a parte rei, virtualis autem primum fiat per actus intellectus formantis diverſos conceptus. 2. Ad verificanda prædicata contradictoria, non propoſitiones contradictorias, quæ nunquam poſſunt ſimul eſſe veræ, & tunc dantur, quando idem prædicatum de eodem realiter & virtualiter ſubjecto affirmatur & negatur. E. g. EſſentiaDivina generat, eſſentiaDivina non generat.

Præ-

Prædicata vero contradictoria ſunt affirmatio & negatio ejusdem de ſubjecto non omnino eodem, ſed vel realiter, vel ſaltem virtualiter diſtincto. E. g. Petrus currit, Paulus non currit: Pater Divinus generat, eſſentia Divina non generat. 3. Prædicata intrinſeca, nempe ipſi ſubjecto, quod denominant, qualia ſunt generans, cognoſcens, volens &c.

400 Litigant hic rurſus auctores, an ad diſtinctionem virtualem neceſſario requirantur prædicata contradictoria abſoluta, an vero ſufficiant conditionate talia? Abſolute talia ſunt, quando prædicatum, quod affirmatur & negatur, omnino eſt idem, & eundem prorſus ſenſum continet, ut: eſſentia Divina eſt Filius: Pater non eſt Filius. Ubi idem prorſus Filius affirmatur de eſſentia & negatur de Patre cum eſſentia identificato. Prædicata contradictoria conditionate talia dantur, quando unum hic & nunc implicite alium ſenſum continet quam alterum, ut proin prædicatum, quod affirmatur & quod negatur, non ſit idem, foret tamen idem, & eundem ſenſum contineret, niſi in ſubjecto daretur diſtinctio virtualis. Hæc contradictoria ad diſtinctionem virtualem ſufficere probat Ulloa in logica majore diſp. 1, tum ex communiore auctoritate, tum ex iſtis propoſitionibus: eſſentia Divina eſt communicabilis tribus Perſonis: Pater non eſt communicabilis tribus Perſonis. In quibus de eſſentia affirmatur communicabilitas eſſentiæ, & de Patre negatur communicabilitas Paternitatis, quæ adeo non ſunt idem, ut prima ſit neceſſaria, altera impoſſibilis; interim tamen utrumque prædicatum eſſet idem, niſi inter Patrem & eſſentiam Divinam daretur diſtinctio virtualis.

401 Ex his citatus auctor infert 1. Ad diſtinctionem virtualem determinate non requiri, ut id ipſum prædicatum, quod affirmatur de uno ex identificatis, negetur de altero, modo diſtinctio virtualis ſit unica ratio, cur non ſit idem. 2. Quod diſtinctio vir-

virtualis non involvat necessario, & ratione sui [di-stinctionem realem in tertio actu existente; licet enim hoc fiat in mysterio Trinitatis, ubi essentia Divina & Paternitas distinguuntur in Filio; hoc tamen accidere solum ratione materiae, quia videlicet Personae Divinae sibi opponuntur relatione producentis & producti. 3. Quod nihilominus etiam tunc, quando tantum dantur contradictoria conditionate talia, detur distinctio realis in tertio, sed non actu existente, scilicet in praedicato illo quod negatur. E. g. Pater & essentia in exemplo supra posito realiter distinguuntur in communicabilitate Paternitatis. 4. Quia tamen hoc praedicatum non existit, nec est illud, quod immediate affirmatur de essentia, sed aliud quoddam chymericum, haec distinctio in tertio est tantum mediata.

402 Dicendum. Actus liberi & contingentes Divini videntur esse Deo adaequate intrinseci. Prob. 1. Imprimis isti actus, cum sint vitales, ex essentia sua exigunt, ut principio suo vitali aliquo modo sint intrinseci. Dein si dicatur, quod Deo sint intrinseci adaequate, melius capi potest, quomodo potentia vitalis se per illos ab aeterno exerceat, diversimode tendat &c. quae alias nulla ratione possunt explicari. Denique nulla hujus rei datur positiva repugnantia, nec specialis difficultas, quae non solvi debet ab omnibus in simili, nempe in mysterio Trinitatis: ergo isti actus sunt Deo adaequate intrinseci, non quidem per unionem, quia in DEO non datur compositio realis, sed per identitatem, ita nimirum, ut in ratione libertatis & contingentiae dicant terminationem ad objecta creata, realiter cum essentia Divina & actibus Dei necessariis identificatam, virtualiter tamen ab illis distinctam, sicut virtualiter distinguuntur essentia Divina & personalitates Divinae; nam sicut ex eo, quod Deus cum necessitate unitatis sit foecundus ad intra, unitas

tas naturæ identificatur cum pluralitate personarum, ita ex eo, quod cum necessitate simplicitatis & immutabilitatis Deus sit liber, simplicitas ac necessitas naturæ Divinæ identificatur cum contingentia terminationis; quippe exercitium libertatis non minus secum affert contingentiam, quam exercitium fœcunditatis pluritatem.

Prob. 2. Ex una parte omnes demum fateri de- 403
bent libertatem Divinam involvere mysterium humana ratione inscrutabile: ex altera parte non est prudentis consilii, ut intellectus instructus fide circa unum mysterium Divinitatis, non sequatur ductum fidei in expositione alterius mysterii admodum similis: ergo cum mysterium libertatis sit valde simile mysterio Trinitatis, non sine sufficienti ratione eodem modo explicatur. Itaque 1. Sicut ob distinctionem virtualem a parte rei verum est, quod Filius Divinus generetur, & tamen non generetur essentia Filii: ita a parte rei ob eandem distinctionem verum est, quod essentia & existentia actuum contingentium dentur necessario, & nullo modo sint defectibiles, licet illarum terminationes tantum dentur contingenter, & antecedenter potuissent non dari. 2. Sicut Filius Divinus non est Pater, licet essentia Filii sit Pater, quia filiatio non est paternitas, ita e. g. volitio mundi non est nolitio mundi, licet utriusque essentia & existentia esset eadem, quia earum terminationes non sunt idem. 3. Sicut ad hoc, ut existat Filius Divinus, non sufficit, quod detur ejus essentia, sed insuper requiritur, ut existat relatio Filii: sic ut detur nolitio mundi, non sufficit dari ejus essentiam, sed insuper deberet dari ejus terminatio.

Objectiones.

Obj. 1. Juxta SS. Patres nihil contingens potest 404
identificari cum Deo: ergo actus Dei contingentes

non possunt consistere in terminatione contingente cum Deo identificata. Ant. prob. Quando Ariani ex eo, quod Verbum Divinum contingenter existat, voluerunt probare illud esse creatum, Patres ut contrarium ostenderent, docuerunt, Filium Dei necessario existere: ergo. Confirm. Patres contra Arianos ita argumentabantur: Filius est Deus: ergo non existit contingenter, & libere, sed necessario; atqui hæc argumentatio juxta nos esset mala: ergo. Resp. dist. ant. Juxta sanctos Patres nihil contingens quoad essentiam & substantiam potest identificari cum Deo, conc. ant. nihil contingens præcise quoad terminationem, neg. ant. &c. Mens Patrum colligitur ex ipso errore Arianorum, qui contenderunt, Filium non esse consubstantialem Patri, sed quoad essentiam contingenter & libere a Patre procedere, & ideo esse creaturam, & Patre minorem. Ad confirm. transf. maj. neg. min. si hæc argumentatio legitime accipiatur; quippe Patres ex Divinitate Filii solum intulerunt, existentiam illius esse necessariam & æternam, adeoque eandem cum existentia Patris. Jam vero etiam nos ultro concedimus, existentiam volitionis liberæ esse necessariam & æternam, nec posse cum Deo identificari aliquid, quod non est æternum.

405 Dices 1. Ariani blasphemarunt Filium Dei esse contingenter & libere productum quoad essentiam, personalitatemque simul: ergo Patres affirmarunt, Filium Dei existere ab æterno etiam quoad personalitatem. Confirm. Ariani suppositis nostris principiis non amplius potuissent efficaciter impugnari, si respondissent, Filium quidem necessario existere quoad essentiam, non vero quoad personalitatem: ergo. Resp. transf. ant. quia nec Patres, nec Ariani tunc ad hanc subtilitatem attenderunt, dist. consf. ergo Patres affirmarunt verbum necessario ab æterno existere etiam quoad personalitatem, & hoc præcise ex eo, quia nihil contingens potest identificari cum Deo,

neg. conf. ex aliis rationibus, conc. conf. Si Patres necessitatem personalitatis Divinæ præcise voluissent probare ex eo, quod nihil contingens possit identificari cum essentia necessaria, Ariani facile negassent suppositum, quod personalitas Filii identificetur cum essentia Divina. Itaque Patres debuerunt confugere ad alias rationes, quæ non procedunt de terminationibus contingentibus, de quibus ibi nulla fuit quæstio. Ad confirm. neg. ant. Filium non esse libere genitum, Patres potissimum probarunt ex traditione, & S. Augustinus ex eo, quia est sapientia & virtus Patris; Pater autem nunquam potuit esse sine sapientia & virtute.

Dices 2. Juxta concilium Florentinum omnia 406
in Divinis sunt idem, ubi non intercedit oppositio relationis: ergo terminationes non sunt virtualiter distinctæ ab essentia, cum hic nulla detur oppositio producentis & producti. Confirm. Mysterium Trinitatis est intellectui humano tam arduum & sublime, ut nemo illud admitteret, nisi fides cogeret: ergo cum fides non doceat simile mysterium de actibus contingentibus, non debet tam sublime mysterium huc transferri. Resp. conc. ant. neg. conf. Concilium Florentinum ibi loquitur de distinctione reali, quæ datur antecedenter ad omnem operationem intellectus inter personas; distinctio autem virtualis non datur ante operationem intellectus, nec est realis actu, sed tantum æquivalentia: imo hoc ipso, quod personæ realiter distinctæ identificentur realiter cum eadem essentia, infertur, quod in Divinis detur distinctio virtualis inter personas, & essentiam. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. Sicut fides docet, quod detur mysterium Trinitatis, sic docet mysterium immutabilitatis, simplicitatis, & libertatis Divinæ: ergo illuminatio fidei, quæ de priori habetur, bene applicatur ad posterius, quod alia ratione explicari nequit.

407 Obj. 2. Quæ mutuo ſunt ſeparabilia non ſunt realiter identificata; ſed eſſentia Dei & actus contingentes Dei ſunt mutuo ſeparabiles: ergo non ſunt identificati, ſaltem adæquate. Confirm. Evidenter nihil poteſt ſeparari a ſe ipſo: ergo mutua ſeparabilitas eſt evidens ſignum diſtinctionis realis. Reſp. diſt. maj. quæ mutuo ſunt ſeparabilia conſequenter & quoad eſſentiam, conc. maj. quæ tantum ſunt ſeparabilia antecedenter & quoad terminationem, neg. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Sicut voluntas noſtra in ſigno priori libertatis in actu primo debet concipi indifferens ad volendum vel nolendum aliquid, ita voluntas Dei debet in ſigno priori libertatis in actu primo concipi ut indifferens ad identificandam ſibi ab æterno terminationem volitionis vel nolitionis e. g. mundi. Unde in illo ſigno priore neutra adhuc terminatio debet concipi ut Deo identificata & Divina, ſed utraque eſt antecedenter aliquo modo defectibilis & ſeparabilis ab eſſentia Divina. At in poſteriore ſigno, & in actu ſecundo libertatis Divinæ Deus ſibi libere identificat unam ex his terminationibus e. g. volitionis mundi, & tunc iſta terminatio non amplius poteſt deficere, nec a Deo ſeparari, quia quidquid Deus vult, immutabiliter vult. Ad confirm. tranſ. ant. diſt. conſ. ergo ſeparabilitas antecedens, & quoad terminationem eſt evidens ſignum diſtinctionis realis, neg. conſ. ſeparabilitas conſequens & quoad eſſentiam, conc. conſ. quippe per hoc ſolum proprie aliquid ſepararetur a ſe ipſo, perderet ſuam eſſentiam, & ſine illa poſſet exiſtere.

408 Dices 1. Si in ſigno priori libertatis Divinæ Deus eſt indifferens ad identificandam ſibi terminationem volitionis vel nolitionis, hoc ipſo terminatio v. g. nolitionis eſt a Deo diſtincta; quidquid enim eſt diſtinguibile, eſt actu diſtinctum: ergo Deus ſibi poſſet identificare aliquid a ſe diſtinctum. Confirm. Nolitio mundi ſaltem de facto eſt

eſt diſtincta a Deo, & tamen illam potuiſſet ſibi identificare: ergo. Reſp. neg. ant. ſed ſignum illud eſt ſignum meræ indifferentiæ ad identitatem vel diſtinctionem. Rationem additam diſt. quidquid eſt diſtinguibile, eſt diſtinctum in creatis, conc. in Divinis, neg. In Divinis ſolum illud eſt realiter diſtinctum, quod non eſt identificabile cum Deo, & ſine quo actu in aliquo inſtanti exiſtit; atqui Deus nunquam exſtitit ſine volitione hujus mundi, quam ſibi ab æterno identificavit. Ad confirm. diſt. ant. quoad 1. membrum, nolitio mundi eſt de facto diſtincta a Deo quoad terminationem, conc. ant. quoad ſuam eſſentiam & exiſtentiam, neg. ant. quoad hoc membrum, & diſt. etiam alterum: hanc Deus ſibi potuiſſet identificare, tum quando necdum potuit concipi ut diſtincta, conc. ant. poſtea, neg. ant. & conſ. Nolitio Dei, & ipſa terminatio hujus nolitionis ne quidem de facto eſt a Deo diſtincta quoad ſuam eſſentiam & exiſtentiam; ſi enim Deus illam ab æterno ſibi identificaſſet, non habuiſſet exiſtentiam propriam, ſed exſtitiſſet per exiſtentiam ipſius eſſentiæ Divinæ; hinc eſſentia Divina non eſt formaliter a nolitione mundi ſeparata per ſe ipſam, ſed per illi oppoſitam volitionem mundi.

Dices 2. Si modo datur entitas, ſubſtantia, imo etiam exiſtentia nolitionis mundi, hoc ipſo datur nolitio mundi; hoc manifeſte falſum; ergo. Confirm. Qui admittit eſſentiam & exiſtentiam alicujus rei non dari, hoc ipſo admittit rem illam non exiſtere etiam quoad terminationem: ergo qui admittit nunc dari eſſentiam, & exiſtentiam alicujus rei, admittit exiſtere ipſam rem etiam quoad terminationem. Reſp. diſt. maj. hoc ipſo datur nolitio mundi quoad ſuam eſſentiam & exiſtentiam, conc. maj. quoad denominationem & terminationem, neg. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. cum terminatio tantum exiſtat per eſſentiam & exiſtentiam rei, quam terminat, utique deficiente 409

ciente

ciente exiſtentia & eſſentia illius rei terminatio non poteſt exiſtere: bene autem vice verſa poteſt exiſtere eſſentia & exiſtentia terminationis, quin detur ipſa terminatio. Hæ reſponſiones captu quidem difficiles ſunt, habent tamen fundamentum in myſterio Trinitatis; nam licet entitas & ſubſtantia Dei ſit improducta & improducibilis, tamen filiatio eſt producibilis & producta. At vero ex illo myſterio nullo modo conſtat, quod eſſentia & ſubſtantia poſſit produci, quin producatur relatio.

410 Dices 3. Saltem nulla poteſt dari ratio, cur 1 ſeparabilitas antecedens in creatis ſit evidens ſignum diſtinctionis realis, non autem in Divinis. 2. Cur in Divinis ſeparabilitas conſequens ſit tale ſignum, non item antecedens. 3. Cur in Divinis ſeparatio quoad tempus & locum inferat diſtinctionem realem, non item ſeparabilitas quoad terminationem. Reſp. neg. ant. Rationes ſunt noſtræ probationes, & myſterium Trinitatis, ex quo conſtat, multa in Divinis poſſe dari, quæ in creatis repugnant. Sic in Divinis poteſt dari aliqua diſcrepantia in prædicato intrinſeco ſine diſtinctione reali, poſſunt duo realiter diſtincta identificari eidem tertio &c. Adde 1, quod ſeparabilitas antecedens ob defectum diſtinctionis virtualis in creatis inveheret propoſitiones contradictorias. 2. Separabilitas conſequens in Deo diceret mutabilitatem. 3. Separabilitas quoad locum & tempus impediret plenam & perfectam communicationem, dum econtra non obſtante antecedente ſeparabilitate terminationis, eſſentia Divina ab æterno & ſemper eidem terminationi ſe tantum poſſit communicare, quantum ſe communicat ſibi ipſi, quia ex ſuppoſito quod exiſtat terminatio, neceſſario ſibi identificatam habet totam eſſentiam Divinam.

411 Obj 3. Myſterium libertatis Divinæ, prout nos illud explicamus, eſt longe aliud, & captu difficilius,

lius, quam myſterium Trinitatis: ergo immerito ſemper ad hoc provocamus. Ant. prob. in myſterio libertatis duo realiter diſtincta, nempe terminatio volitionis, & terminatio nolitionis, diviſim deberent identificari eidem tertio, ita ut unum exiſtat, alterum non exiſtat, licet detur utriusque eſſentia & exiſtentia; hoc non fit in myſterio Trinitatis, ubi ſolum duo realiter diſtincta, actu tamen exiſtentia identificantur eidem tertio, nempe Paternitas & Filiatio eidem eſſentiæ Divinæ: ergo. Reſp. neg. ant. Quamvis hæc myſteria in aliquibus differant, hæc differentia ſolum eſt materialis, quia nihilominus conveniunt in eo, in quo inſtituimus paritatem, quod nempe duo realiter identificata poſſint diſcrepare in aliquo prædicato, & ſuſcipere prædicata contradictoria, quæ gratis dicuntur majora & captu difficiliora in myſterio libertatis, quam Trinitatis. In utrisque enim tota difficultas oritur ex eo, quod idem non poſſit ſimul eſſe & non eſſe; hinc non videtur captu difficilius, quod aliquid contingens poſſit identificari cum ente neceſſario aut antecedenter ſeparari a ſua eſſentia & exiſtentia, quam quod ens a ſe poſſit eſſe productum, & habere eſſentiam ac exiſtentiam improductam. Porro diſparitas materialis cum Perſonis Divinis ſtat in eo, quod Perſonæ Divinæ ſibi non ſint oppoſitæ quoad exiſtentiam, ſicut ſibi opponuntur terminationes liberæ volitionis & nolitionis ejusdem rei.

Dices 1. Inter eſſentiam divinam & terminationem volitionis mundi non verificantur prædicata 412 contradictoria; nam e. g. iſtæ propoſitiones: Eſſentia Divina eſt neceſſaria, terminatio volitionis mundi non eſt neceſſaria, faciunt hunc ſenſum; terminatio non eſt neceſſaria neceſſitate terminationis. Eſſentia eſt neceſſaria neceſſitate eſſentiæ. Confirm. Ut detur diſtinctio virtualis, debet dari diſtinctio realis in tertio; atqui eſſentia Divina & terminatio volitionis mundi in nullo tertio realiter diſtinguuntur: ergo,

ergo. Resp. dist. ant. Non verificantur prædicata contradictoria absolute talia, conc. ant. conditionate talia, neg. ant. & cons. Quamvis prædicata, quæ in his propositionibus affirmantur, & negantur, non sint omnino idem, essent tamen idem, nisi intercederet distinctio virtualis, ut in simili explicavimus n. 400. ad Confirm. dist. maj. Debet dari distinctio realis in tertio semper actu existente, neg. maj. saltem in tertio non existente, conc. maj. & sic dist. min. neg. cons. Essentia divina & terminatio volitionis realiter distinguuntur in necessitate terminationis, quæ esset eadem cum necessitate essentiæ, nisi inter terminationem & essentiam daretur distinctio virtualis; quia autem hæc datur, necessitas terminationis est prædicatum impossibile; hinc distinctio in tertio solum est mediata, vid. n. 401.

413 Dices 2. Nisi inter essentiam Divinam & terminationem dentur prædicata contradictoria absolute talia, & distinctio realis in tertio actu existente, non amplius possunt probari contradictoria conditionate talia, sed quidquid affirmatur de una, potest etiam affirmari de altera, nempe quod utraque sit necessaria necessitate essentiæ, neutra necessitate terminationis. Confirm. In mysterio Trinitatis contradictoria conditionate talia solum inferuntur ex distinctione virtuali aliunde probata, nempe ex his contradictoriis absolute talibus: Essentia Divina est Filius. Pater non est Filius: ergo. Resp. neg. ant. cum essentia Divina & terminationes contingentes sint ante omnem operationem intellectus separabiles, utique plus distinguuntur, quam animal & rationale, & nisi intercederet distinctio virtualis, necessitas essentiæ & terminationis omnino esset eadem, adeoque de neutra posset affirmari, quod sit contingens & antecedenter defectibilis. Certe ex eo, quod scientia simplicis intelligentiæ sit separabilis a scientia media, auctores communiter inferunt, quod sint virtualiter distinctæ. Ad confirm. transf. ant. Ob primum dicta,

dicta, neg. conſ. quia in myſterio libertatis datur alia ratio ſpecialis admittendi diſtinctionem virtualem, nempe antecedens ſeparabilitas eſſentiæ, & terminationum.

Cæterum aliqui putant etiam in myſterio liber- 414
tatis aſſignari poſſe prædicata contradictoria abſoluta e. g. iſta: Eſſentia antecedenter poteſt exiſtere ſine terminatione volitionis mundi: terminatio volitionis mundi non poteſt antecedenter exiſtere ſine terminatione volitionis mundi, in quibus propoſitionibus eadem potentia negatur de terminatione, quæ affirmatur de eſſentia, ſicut idem Filius negatur de Patre, qui affirmatur de eſſentia: ergo ſicut Pater & Filius diſtinguuntur realiter, & tamen identificantur eidem tertio: ita potentia antecedenter exiſtendi ſine terminatione volitionis, & terminatio volitionis diſtinguuntur realiter, & tamen identificantur eidem tertio, ſcilicet eſſentiæ. Conſequenter datur diſtinctio realis in tertio actu exiſtente nempe in potentia exiſtendi antecedenter ſine terminatione; neque ipſis videtur hæc explicatio eſſe contraria Concilio Florentino cit. n. 406, in quo de hac ſubtilitate ſcholaſtica nemo Patrum cogitavit, ſed Concilii propoſitum ſolum fuit aſſerere, quod eſſentia Divina identificetur cum perſonalitatibus, perſonalitates autem ſint plures, & realiter diſtinctæ, Spiritum ſanctum vero a Patre & Filio ſimul procedere.

QUÆSTIO IV.

Quomodo terminationes contingentes & liberæ poſſint ſtare cum infinita perfectione DEI?

Ex hactenus diſputatis colligitur, quod myſterium 415
libertatis Divinæ ſit quidem ſupra lumen rationis, inquantum ſola ratione naturali nec percipi nec cognoſci poſſet; non tamen ſit contra lumen rationis, quaſi rationi naturali poſitive eſſet oppoſitum,

tum, aut pugnaret contra principium naturaliter evidens. Declarandum jam ulterius, quomodo terminationes contingentes & liberæ poſſint conciliari cum indefectibilitate, immutabilitate, cæterisque perfectionibus Divinis, ex quibus aliqui concluſionem quæſtione præcedente a nobis ſtatutam vehementer impugnant. Quia autem illam jam ſatis probavimus, hic nos tuemur ſolo argumento negativo, quod videlicet inter terminationes Deo quidem intrinſecas, ſed antecedenter ab eſſentia Divina ſeparabiles, & alias perfectiones Dei nulla poſitiva repugnantia poſſit oſtendi. Itaque contra noſtrum modum explicandi libertatem Divinam, adhuc

416 Obj. 1. Deus eſt ens neceſſarium & indefectibile: ergo actus contingentes & defectibiles non poſſunt identificari cum Deo. Conſ. prob. Eſſe contingens & defectibile manifeſtam dicit imperfectionem: ergo. Confirm. Contingens opponitur neceſſario, ſicut lux tenebris; ſed tenebræ non poſſunt identificari cum luce: ergo. Reſp. diſt. ant. Deus eſt ens neceſſarium & indefectibile quoad eſſentiam, conc. ant. quoad omnes terminationes, neg. ant. & conſ. Ad prob. iterum diſt. ant. Eſſe contingens & defectibile quoad eſſentiam dicit imperfectionem, conc. ant, eſſe defectibile quoad terminationem, ſubdiſt. defectibilitate conſequente, conc. ant. præciſe antecedente, neg. ant. ſed hoc eſt aliquid neceſſario requiſitum ad libertatem & independentiam Divinam, ſicut ad fœcunditatem naturæ Divinæ requiritur, quod in Deo poſſit dari aliquid productum quoad perſonalitatem ſeu relationem Filii. Ad confirm. neg. maj. Lux opponitur tenebris ſaltem æquivalenter contradictorie, non ita opponitur contingentia antecedens terminationis eſſentiæ neceſſariæ, conſideratæ ſecundum illa prædicata, quæ Deo determinate ſunt debita.

417 Dices 1. Si defectibilitas antecedens & in genere non eſt imperfectio, non amplius eſt ratio, quare defe-

defectibilias consequens sit imperfectio, consequenter pari jure dici posset, quod cum Deo possit identificari aliquid temporale, vel etiam mortale. Confirm. Juxta nos aliquid, quod de facto est Deus, scilicet terminatio volitionis mundi posset esse nihil, & quod de facto est nihil, potuisset esse DEUS; hoc est absurdissimum: ergo. Resp. neg. ant. Si aliquid consequenter &c. in tempore posset in Deo deficere, vel cum ipso identificari, Deus posset mutari, vel certe non omnes actus Divini essent æterni, quod repugnat unanimi Patrum doctrinæ; mortale autem juxta communem acceptionem dicitur illud, quod potest corrumpi, &, postquam jam vixit, iterum deficere. Ad confirm. dist. maj. Aliquid, quod est Deus, posset esse nihil antecedenter, & quoad terminationem, conc. maj consequenter vel quoad essentiam, neg. maj. quoad hoc membrum & dist. etiam quoad alterum. Quod de facto est nihil quoad solam terminationem, potuisset esse Deus, conc. maj. quod est nihil quoad essentiam, neg. maj. & suppositum, quod essentia terminationis unquam possit deficere, aut nihil esse.

Dices 2. Saltem tali modo Deus antecedenter fuisset indifferens, ut sit Deus vel non sit Deus. 418
Prob. Terminatio volitionis mundi fuit indifferens, ut sit Deus, vel non sit Deus; sed hæc terminatio est Deus: ergo. Confirm. Ipsa creatura potest quandoque objective determinare scientiamDei&c. ergo posset facere ut aliquid sit Deus. Resp. neg. illatum. ad prob. conc. maj. sub data distinctione transf. min. neg. conf. quamvis terminatio volitionis mundi sit Deus, tamen virtualiter ab invicem distinguuntur, & non conveniunt in omnibus prædicatis; ubi autem intercedit distinctio virtualis, syllogismi non concludunt, ut patet ex isto: Essentia Divina est Filius; sed Pater realiter distinguitur a Filio: ergo Pater realiter distinguitur ab essentia. Ad Confirm. conc. ant. dist. conf. creatura potest facere

ut aliquid sit Deus, quoad terminationem, transf. conf. quoad essentiam, neg. conf. præcisis phrasibus objectio nil aliud significat, quam quod creatura possit objective determinare Deum, ut potius sibi identificet scientiam de suo peccato, quam de omissione peccati.

419 Ob. 2. Si Deus ab æterno libere sibi potuisset identificare terminationem nolitionis præ terminatione volitionis, ab æterno potuisset esse alius: ergo potuisset mutari. Confirm. Si Deus in tempore sibi identificaret aliquam terminationem, fieret alius & mutaretur: ergo a pari. Resp. neg. ant. Licet Deus ab æterno sibi identificasset terminationem nolitionis e. g. mundi, essentia Divina omnino mansisset invariata, & tantum data fuisset terminatio alia, quam nunc datur. Sicut igitur Pater non est alius Deus quam Filius, licet habeat sibi identificatam Paternitatem, quam non habet Filius: ita Deus ob diversas præcise terminationes non esset alius. Ad Confirm. transf. ant. neg. conf. Mutatio est transitus a privatione ad habitum, vel vicissim. Hoc nunquam fit, nec fieri potest in Deo; non enim ab uno statu potest transire ad alium, ab una terminatione ad aliam &c. fieret autem, si aliquid primum in tempore sibi identificaret.

420 Dices 1. Saltem juxta nos Deus antecedenter potuisset esse alius : ergo antecedenter mutari. Confirm. Si Spiritus sanctus non procederet a Filio, Deus esset alius, quam de facto est : ergo a pari. Resp. neg. ant. tum quia mutabilitas non desumitur præcise ex terminatione sed ex essentia, ut colligitur ex n. superiore : tum quia in signo libertatis in actu primo, Deus necdum potest concipi habere ullam terminationem, si vero in posteriori signo libertatis in actu secundo concipitur aliquam terminationem habere, eandem semper habuit. Hinc ut Ulloa advertit, aliud quid est Deus volens, & aliud Deus nolens ratione terminationis diversæ, non tamen

men eſt alius; ſicut aliud eſt Paternitas, aliud Filiatio, non tamen alius eſt Deus. Ad Confirm. conc. ant. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia juxta fidem Deus tantum eſt capax ſibi identificandi unam Perſonam procedentem a ſolo Patre, & aliam procedentem a Patre, & Filio ſimul, adeoque mutaretur eſſentia Dei, ſi Spiritus ſanctus a ſolo Patre procederet. Econtra eſſentia Dei antecedenter eſt capax ſibi identificandi nolitionem, vel volitionem e.g. mundi.

Dices 2. Si mutabilitas deberet deſumi ab eſſen- 421
tia, Deus ne quidem mutaretur, etſi in tempore ſibi aliquid identificaret; hoc eſt nimium: ergo. Confirm. Noſtræ reſponſiones aperirent viam ad negandam ipſam Dei immutabilitatem, & quasvis ineptias de illo effutiendas. Cur enim non eodem jure poſſet dici, Deum eſſe immutabilem eſſentialiter, non autem terminative? Reſp. Nos immutabilitatem non deſumimus ex ſola eſſentia, ſed etiam ex eo, quod in Deo non detur tranſitus ab uno ad aliud. Quanquam aliqui putent, quod Deus proprie non mutaretur, etſi in tempore ex volente fieret nolens. Addunt tamen hoc aliunde implicare, tum quia actus Divini eſſentialiter ſunt æterni, tum quia eſſet quædam inconſtantia & levitas, ſine cauſa, prius non cognita, reſilire a ſuo propoſito. Ad Confirm. neg. ant. Ex hoc, quod in Divinis poſſint admitti aliqua prædicata contradictoria, non ſequitur, quod debeant admitti quæcunque, ſed tantum illa quæ fides, aut ratio fidei lumine illuſtrata ſuadet. Argumentum ſolvi debet, ſi fiat retorſio in myſterium Trinitatis.

Ob. 3. In Deo nihil poteſt dari productum 422
præter Filium & Spiritum ſanctum; ſed terminationes liberæ eſſent aliquod productum; quidquid enim ita exiſtit, ut potuiſſet non exiſtere, exiſtit per productionem. Confirm. Terminationes liberæ exiſterent ex beneficio Dei: ergo a Deo poſſent contemni & repudiari; ſed nihil Divinum poteſt a Deo

contemni: ergo. Resp. conc. maj. neg. min. rationem additam dist. Quod ita existit, ut potuisset non existere quoad suam essentiam, existit per productionem, conc. ant. quod præcise potuisset non existere quoad terminationem, neg. Deus terminationes non producit, sed tantum sibi identificat; nam omne, quod producitur tanquam ens ab alio, de absoluta Dei potentia potest iterum desinere, non item terminatio Divina. Ad confirm. dist. ant. Terminationes liberæ existerent ex beneficio Dei quoad terminationem, attamen per esse indistinctum ab essentia Divina, transf. ant. quoad ipsam essentiam, neg. ant. & dist. conf. ergo possent contemni quoad terminationem, & antequam sunt aliquid Divinum, transf. conf. quoad essentiam & postquam sunt aliquid Divinum, neg. conf. Phrases istæ a parte rei nihil aliud significant, quam quod fuerit in libera potestate Dei, ut potius daretur terminatio volitionis quam nolitionis.

423 Dices 1. Si terminationes cum Deo identificarentur, deberent habere omnes perfectiones simpliciter simplices, quia identitas realis importat communicationem omnium perfectionum absolutarum; atqui non possunt habere omnes perfectiones simpliciter simplices & absolutas; nam inter has sunt etiam istæ: esse absolute necessarium, antecedenter posse identificari cum nolitione &c. Confirm. Terminationes contingentes essent ipsa necessitas existendi essentiæ Divinæ: ergo. Resp. dist. maj. Deberent habere omnes istas perfectiones identice & substantive, inquantum realiter essent illud ipsum, quod est necessario existens, quod est communicabile nolitioni, conc. maj. debent illas habere etiam adjective & denominative, quasi etiam dici posset, quod terminatio sit absolute necessario existens, & communicabilis nolitioni, neg. maj. ad confirm. dist. ant. Terminationes sunt ipsa absoluta necessitas existendi, virtualiter tamen ab illa distinctæ, conc. ant. aliter,

ter, neg. ant. &c. etiam Paternitas eſt ipſa eſſentia Divina, & tamen non poteſt dici communicabilis Filio, quia Paternitas in hoc prædicato *communicabilis* ab eſſentia virtualiter diſtinguitur.

Dices 2. Vel terminatio volitionis ut virtualiter 424
diſtincta ab eſſentia Divina eſt aliqua perfectio, vel non eſt? neutrum poteſt dici; non primum, quia alias etiam terminatio nolitionis erit perfectio: ergo cum Deus utramque non poſſit habere ſimul, erit privatus aliqua perfectione; non ſecundum, quia ſi non eſt perfectio, erit imperfectio, adeoque nunquam potuit identificari cum eſſentia Divina. Confirm. Terminatio ut virtualiter diſtincta non eſt nihil: ergo aliquid. Quid igitur ſupperaddit eſſentiæ Divinæ niſi aliquam perfectionem? Reſp. in hoc patronos noſtræ eſſentiæ non convenire. Qui dicunt, terminationes eſſe mera prædicata neutra, negant minorem quoad ſecundum membrum cum probatione addita; quippe juxta ipſos terminationes contingentes in ratione entitatis, ſubſtantiæ, exiſtentiæ a parte rei nihil includunt præter realitatem, entitatem, exiſtentiam &c. quæ formaliter eſt ipſa eſſentia Dei. Si vero conſiderentur ut virtualiter ab eſſentia diſtinctæ, in conceptu ſuo nullam dicunt perfectionem aut imperfectionem, ſed eſſentiæ Divinæ præciſe ſuperaddunt formale exercitium volendi aut nolendi, quod nullam habet entitatem propriam. Hinc ad confirm. conceſſo antecedente diſtinguunt conſequens. Sunt aliquid quidditate eſſentiæ, conc. conſ. quidditate aliqua propria, neg. conſ.

Qui vero admittunt, quod terminationes con- 425
tingentes ut virtualiter diſtinctæ ſint perfectiones, negant min. quoad 1 membrum. Rationem additam diſt. privaretur aliqua perfectione determinate ſibi debita & non compenſabili per aliam, neg. min. non ita debita, & compenſabili per aliam, tranſ. maj. inprimis terminationes non ſunt perfectiones Deo

determinate debitæ, nec ſimpliciter ſimplices; nam e. g. volitio non eſt melior quam nolitio illi oppoſita. Dein privatio, & imperfectio dicunt carentiam perfectionis in ſubjecto apto. Jam vero Deus non eſt ſubjectum capax, ut ſibi poſſit ſimul identificare terminationem volitionis & nolitionis, ſed ex ſuppoſito quod volitio exiſtat, terminatio nolitionis implicat. Quidquid de hoc ſit, quæro ex adverſariis, an perſonalitates Divinæ ſint perfectiones, an prædicata neutra? An ideo Pater Divinus privetur aliqua perfectione, quod ſibi non poſſit immediate identificare Filiationem? Quid perſonalites Divinæ ut contra diſtinctæ ab eſſentia Divina eidem eſſentiæ ſuperaddant? Quid ego ſentiam, dicam ſuo loco.

DISPUTATIO II.

De modo operandi, & efficacia voluntatis Divinæ.

426 TRia in hac diſputatione expendemus, videlicet a quibus ſcientiis, & quomodo Deus dirigatur ad ſua decreta: qua ratione explicanda ſit efficacia voluntatis Divinæ, & utrum inter ſcientias & decreta Divina debeat admitti diſtinctio virtualis. Quod enim inter illa nulla detur diſtinctio realis, aut ex natura rei formalis, ſatis patet ex dictis part. 1 diſp. 2 q. 2 & 3 Hinc quando Pſalm. 110 v. 2 voluntates Dei in numero plurali enumerantur: *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus*, iſta pluralitas ſe non tenet ex parte Dei, ſed ex parte noſtri modi cognoſcendi, & in quantum Dei voluntas fertur vel in diverſa objecta, vel in idem diverſo modo, aut ſecundum diverſos effectus, in quo ſenſu ſacra Scriptura Deo etiam in numero plurali adſcribit miſericordias, juſtitias &c. licet reipſa ſit unica miſericordia & juſtitia &c.

Porro

Porro quia impofterum fæpe fiet mentio de di- 427
verfis fignis fcientiarum & decretorumDivinorum, ftat m noto, per diverfa figna hic nihil aliud intelligi, quam ordinem quemdam prioritatis & pofterioritatis, vi cujus illud, quod prius eft altero, dicatur eſſe in figno priori, illud vero, quod alterum præfupponit, in figno pofteriori. Unde ficut triplex potiffimum datur prioritas, videlicet temporis, naturæ & rationis,ita dantur triplicis generis figna. In figno priori temporis dicitur eſſe, quod eft prius duratione, in figno priori naturæ, quod eft natura prius ad alterum, licet utrumque eodem reali tempore exiftat, in figno priori rationis, quod præcife eft prius fecundum noftrum modum concipiendi, licet nec tempore, nec natura alterum præcedat. Sic licet homo eodem realiter indivifibili actu poffit velle medium propter finem, ita ut volitio finis nec tempore nec natura præcedat volitionem medii, a nobis tamen prius concipitur tendere in finem, quam in medium.

Prioritas naturæ dividitur in fimpliciter ac ftri- 428
cte talem, & in late feu quafi talem. Stricte ac fimpliciter natura priora funt, quæ conftituunt actum primum phyficum ad effectum realiter a fe diftinctum, uti fol ad lucem,ignis ad calorem &c. Late & quafi natura priora dicuntur,quæ conftituunt actum primum folum metaphyficum ad alterum a fe indiftinctum, uti intellectusDivinus ad fcientias,voluntas ad decreta Dei. Ex quo ftatim vides, in Deo non dari figna naturæ ftricte talia, fed tantum figna quafi naturæ, licet accuratior hic modus loquendi non femper obfervetur. Itaque refpectu Dei in diverfis fignis quafi naturæ dicuntur eſſe, quorum unum conftituit actum primum proximum metaphyficum ad alterum; fi vero aliqua proveniunt ex eodem actu primo proximo metaphyfico, erunt in eodem figno quafi naturæ; fi denique nullam prorfus

ſus inter ſe habent coordinationem, ne quidem rationis, erunt in ſignis omnino diſparatis.

QUÆSTIO I.

A quibus ſcientiis, & quomodo DEUS dirigatur ad ſua decreta?

429 QUod voluntati Divinæ antequam aliquid decernit, debeat ſuo modo prælucere ſaltem ſcientia ſimplicis intelligentiæ de poſſibilitate illorum objectorum, de quibus aliquid ſtatuit, eſt indubitatum, cum nihil prudenter decerni poſſit, cujus poſſibilitas, & eſſentia non cognoſcitur. Imo DEUS ad decernendum quodvis objectum dirigitur a tota ſcientia ſimplicis intelligentiæ de rebus omnibus poſſibilibus, tum quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ unius objecti eſt identificata cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ cujusvis alterius objecti, tum quia eſt comprehenſiva, adeoque repræſentat poſſibilitatem omnium aliorum objectorum propter connexionem eſſentialem, quam omnia poſſibilia habent cum Deo & inter ſe. Viciſſim in noſtris principiis certum eſt, quod Deus non poſſit dirigi a ſcientia viſionis ad decernendam illam ipſam rem, quæ per eam repræſentatur, neque a ſcientia media reflexa ad concipiendum illud decretum, quod ſub conditione futurum ab illa enunciatur; cum enim utraque hæc ſcientia ſit eſſentialiter vera, & connexa cum ſuo objecto, tolleretur libertas Divina, ſi dictæ ſcientiæ conſtituerent actum primum proximum Dei ad hæc decreta facienda.

430 Quæſtio igitur præſens potiſſimum verſatur circa ſcientiam mediam directam, an etiam iſta prærequiratur ad decreta Divina præſertim ea, quæ libertatem creatam concernunt. Item an ſcientia media & ſimplicis intelligentiæ ad Divina decreta ita ſufficiat,

ficiat, ut omnia possint concipi in eodem signo quasi naturæ, quin unum decretum & scientia visionis rei decretæ debeat constituere actum primum proximum metaphysicum ad concipiendum aliud decretum, & scientiam visionis de objecto hujus alterius decreti. In exemplo, an Deus per solam scientiam simplicis intelligentiæ, ac mediam sufficienter dirigatur ad decernendam permissionem peccati & pœnitentiam Petri? an vero decretum & scientia visionis peccati debeat dari prius, & tunc primum in posteriori signo quasi naturæ possit dari decretum & scientia visionis de pœnitentia Petri?

Dicendum 1. DEUS ad sua decreta, præsertim, 431
quæ versantur circa actus liberos creaturarum, etiam dirigitur a scientia media, & quidem tota. Ita patroni scientiæ mediæ communiter. Prob. 1 pars. Deus omnia decernit sapientissime & providentissime: ergo antequam aliquid decernat, debet cognoscere non solum finem & utilitatem intrinsecam, sed etiam extrinsecam mediorum, item eventum, quem essent illa habitura, si adhiberentur: ergo antequam libertatem creatam, & ea, quæ ad illam pertinent, decernat, per scientiam mediam debet prævidere, quid creatura cum hac libertate esset actura, alias se exponeret periculo frustrationis non prævisæ, ut videmus fieri in ordinationibus humanis, quæ ob defectum hujus scientiæ sunt incerti eventus, & non raro sperato fine frustrantur. Confirm. qui decernit media prælucente infallibili scientia de eventu eorum, magis provide & sapientius decernit, quam alius, qui eadem media decernit, quin certo antea sciat, quem eventum sint habitura; hoc enim posterius vel ignorantiam vel præcipitantiam arguit: ergo.

Prob. 2 pars. Quælibet scientia media dire- 432
cta potest DEUM dirigere ad sapientissime decer-

 nendum

nendum quamlibet libertatem, aut quodvis aliud: ergo Deus ad quodlibet decretum necessario dirigitur a tota scientia media; qui enim habet scientiam, a qua potest dirigi ad sapientissime decernendum, & illam non adhibet, agit minus provide & sapienter. Ant. prob. quælibet scientia media (supposita scientia simplicis intelligentiæ) ostendit aliquam proportionem, ordinem, & usum, quem quævis res habere potest respectu cujuscunque liberi arbitrii in his vel illis circumstantiis. E. g. scientia de pertinacia Pharaonis ostendit, quod Deus possit uti musca ad illam pertinaciam puniendam, & sic de cæteris: ergo quælibet scientia media directa potest dirigere DEUM ad sapientissime decernendum. Confirm. Omnes res possunt habere quandam proportionem ad se invicem, neque Deo potest deesse modus, quo omnes res inter se ordinet, sicut de facto res minimas ac vilissimas ordinavit ad salutem hominum, & suam gloriam per actus liberos creaturarum obtinendam: ergo ut Deus modo perfectissimo decernat quamlibet rem e. g. minimam gratiam, debet adhibere totam scientiam mediam.

433 Dicendum 2. Scientia simplicis intelligentiæ & media Deum sufficienter dirigunt ad omnia sua decreta. Ita Molina, Esparza, Viva contra multos & graves auctores. Prob. Ad omnia sapientissime decernenda ex parte cognitionis plus non requiritur, quam ut perfectissime cognoscantur eorum omnium possibilitas, essentia, proprietates, modus producendi, media, quibus possunt obtineri, effectus, quos seu necessario seu libere res quælibet produceret, ac denique combinatio & ordo totus, quem res decernendæ inter se essent habituræ; atqui hæc omnia perfectissime cognoscuntur partim per scientiam simplicis intelligentiæ, partim per scientiam mediam, ut consideranti facile patet: ergo. Confirm. Sicut plura posse simul intelligere est magna

perfectio

perfectio intellectus, ita posse decernere plura in eodem signo & dependenter ab eodem actu primo proximo per unicam volitionem est magna perfectio voluntatis; quod enim varia decreta tantum possimus successive facere, est aliqua imperfectio proveniens ex eo, quia per cognitionem, qua dirigimur ad unum decretum faciendum, nondum sumus sufficienter illuminati ad facienda omnia: ergo.

Objectiones.

Ob. 1. Qui scit sibi possibilem esse finem & media, prudentissime potest decernere finem per talia media obtinendum; sed Deus per solam scientiam simplicis intelligentiæ scit sibi possibilem esse finem e. g. liberum consensum Petri, & media, per quæ illum possit obtinere: ergo. Confirm. Quando Deus homini decernit auxilia indifferentia, in illo signo nondum efficaciter intendit consensum: ergo non debet illum infallibiliter prævidere. Resp. dist. maj. Si simul etiam infallibiliter sciat, quod finis sub tali medio esset obtinendus, transf. maj. secus, neg. maj. & dist. min. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ scit sibi possibilem esse consensum Petri; attamen nondum infallibiliter scit, per quænam determinata media illum esset obtenturus, conc. min. aliter, neg. min. &c. quia tali modo decretum Dei, quo e. g. decerneret auxilium, posset frustrari fine, & Deus illud decernendo quasi tantum divinaret, aut tentaret, an consensus sub hoc auxilio esset secuturus, ut fit in humanis, ubi plurima sciuntur fieri posse, si poneretur hæc vel illa conditio, & tamen sæpissime prudentia humana fallitur. Ad confirm. dist. ant. Decernit tamen ex hoc fine, ut consensum obtineat, conc. ant. aliter, neg. ant. & dist. conf. ergo non debet prævidere consensum determinate, conc. conf. consensum vel dissensum indeterminate, neg. conf. Quando Deus homini decernit gratiam, con-

consensum intendit efficaciter affective, & nisi prius sciat, an illum per hoc auxilium esset obtenturus vel non, posset sequi frustratio auxilii, non prævisa.

435 Dices 1. Nemo serio intendens finem adhibet media, quæ certo cognoscit caritura effectu: ergo si Deus dirigitur a scientia media de dissensu, hoc ipso per auxilium non posset serio intendere consensum. Confirm. Scientia media de dissensu Deum potius revocat, & retrahit a collatione auxilii: ergo ad istam non potest dirigere. Resp. dist. ant. Nemo serio & efficaciter intendens finem, conc. ant. nemo serio quidem, sed effective inefficaciter intendens finem, subdist. si per ipsum est, ut talia media careant effectu, conc. ant. si hoc tantum proveniat ex malitia & libero abusu alterius, neg. ant. & cons. Deus conferendo auxilium sufficiens duo intendit, primo ut creatura habeat plenam libertatem ad actum bonum, & quoad hoc intentio Dei est prorsus efficax non obstante scientia media de dissensu: secundo ut existat ipse actus bonus, & quoad hoc intentio est quidem seria & affective efficax, quia Deus, quantum est in se, vult dare totum id, ex quo actus bonus posset sequi, quem etiam intendit, consulit, aut præcipit; non tamen hæc intentio est omnino effective efficax; quia homo, cui Deus liberum reliquit arbitrium, intentioni Divinæ resistit. Sic pater serio potest velle corrigere filium, etsi prævideat filium huic correctioni esse restiturum. Ad confirm. trans. ant. dist. cons. ergo non potest dirigere Deum inclinando & movendo, trans. cons. illuminando, neg. cons. etiam cognitio motivorum absterrentium in creatis suo modo dirigit voluntatem liberam.

436 Dices 2. Deus ut directus a scientia media facile posset adhibere auxilium efficax ad obtinendum consensum: ergo si illud non adhibet, videtur potius

tius velle diſſenſum. Sic pater potius videretur velle malitiam filii, ſi poſſet adhibere remedium efficax, & tamen non adhiberet. Confirm. Saltem collatio talis auxilii non eſſet beneficium, ſicut non foret beneficium, ſi homo conferret alteri pecunias, quibus prævidet illum eſſe abuſurum ad ſuam perniciem. Reſp. diſt. ant. Poſſet adhibere auxilium efficax, ſed non tenetur illud adhibere, conc. ant. tenetur illud adhibere, neg. ant. Tunc Deus ſaltem indirecte & implicite cenſeretur velle diſſenſum, ſi vel adhiberet medium omnino inſufficiens, vel ſaltem auxilium efficax dare teneretur, ſicut pater tenetur efficaciter corrigere filium, ſi poteſt. At vero Deus non tenetur ſemper dare auxilium efficax, & habet ſapientiſſimos fines relinquendi creaturæ ſuam libertatem. Ad confirm. neg. ant. Auxilium de ſe ſufficiens ad bene operandum eſt res de ſe ſumme æſtimabilis, nec ratio beneficii tollitur, ſed potius augetur per hoc, quod homo prævideatur illo ex ſua malitia abuſurus. Sic in humanis pauperi in extrema neceſſitate conſtituto verum beneficium exhiberet, qui daret illi pecunias ad vitam ſuſtentandam, licet prævideret, illum hoc beneficio abuſurum.

Ob. 2. Si Deus homini conferret gratias dependenter a ſcientia media, non poſſet Petro magis imputari ſua damnatio, quam Paulo ſua ſalvatio. Prob. Deus utrumque videret aliquibus auxiliis conſenſurum, aliis vero diſſenſurum; quod autem unus haberet auxilium efficax, alter inefficax, eſſet in liberrima poteſtate ſolius Dei. Confirm. Tali modo Deus fieret acceptor perſonarum: ergo. Reſp. neg. illatum. ad prob. tranſ. ant. neg. conſ. quod Deus prævideat auxilium fore efficax, vel inefficax, eſt in potentia hominis, qui illi etiam collato poteſt adhuc conſentire vel diſſentire: adeoque non obſtante præſcientia Dei & collatione auxilii, & Petro ſua damnatio, & Paulo ſua ſalvatio eſt imputabilis; hæc 437

tamen

men magisDeo tanquam causæ principali,illa unice Paulo, qui ex sola sua culpa ad alium longe finem gratia abutitur quam ad quem eandem aDeo a cepit. Ad confirm. neg. ant.ille dicitur acceptor personarum, qui ex vitioso affectu tribuit uni, quod deberet tribuere alteri; Deus autem gratiam præsertim efficacem nemini debet, alias etiam fieret acceptor personarum, si uni tribueret majores gratias quam alteri, quod juxta omnes Catholicos potest facere, esto, quod ille, qui accipit majores, sit illis minus dignus.

438. Dices 1. Saltem tali modo Deus non potuisset apud Isai. cap. 5 v. 4 conqueri: *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Nam Judæi facile potuissent respondere: potuisses utique Domine plus facere, dando gratias congruas. Confirm. Si viderem Petrum abusurum gladio ad me vulnerandum,& tamen ipsi sponte darem gladium, vulnus inflictum magis mihi ipsi deberem imputare, quam Petro: ergo. Resp. neg. ant. Sicut Judæi non potuerunt merito conqueri, quod Deus ipsis non dederit gratias majores & majores, quas dare potuisset; quia gratiæ ipsis collatæ fuerunt abunde sufficientes ad bene operandum: sic non potuerunt juste conqueri, quod Deus ipsis non dederit gratias, quas prævidit conjungendas esse cum consensu; quia ex sola illorum malitia proveniebat, quod non fuerint ita prævisæ. Nempe qui pauperi prodigo dedit sufficientes pecunias ad vitam commode sustentandam,merito illi exprobrat, quid potui tibi facere, & non feci; licet non omnes suas divitias in ipsum effundat. Ad confirm. transf. ant. neg. conf. Si mihi in hoc casu posset imputari vulnus, tunc ideo, quia non habui prudentem finem illud permittendi, imo tenebar peccatum Petri impedire. Argumentum probaret, quod Deus nemini possit gratiam inefficacem unquam conferre. Cæterum Deus apud Isaiam non dicit, quid est, *quod potui* ultra facere, sed *quod debui.*

Dices

Dices 2. Juxta hanc doctrinam quivis posset ita 439
argumentari: Vel dabit mihi Deus gratiam efficacem, vel tantum inefficacem? si primum, salutem infallibiliter operabor: si secundum, infallibiliter non operabor: ergo nil juvat hac in re solicitum esse; cum Deus alias sit facturus, quod volet, & res unice ab illius libertate pendeat. Confirm. Quia sic destrueretur tota moralitas & cura salutis. Resp. neg. ant. Quamvis creatura necessitate consequente infallibiliter sit cooperatura auxilio efficaci, & inefficaci non cooperatura, & Deo liberum sit hoc vel illud dare, ideo salus aut damnatio nostra non dependet ex sola libertate Dei, eoquod hæc necessitas consequens non tollat libertatem auxilio cuilibet cooperandi, vel non cooperandi; & siquidem cooperabimur, ex merito acquiremus coronam gloriæ, si non, ex propria culpa incurremus pœnas æternas: ergo non nisi ineptissime concluderemus abjiciendam esse curam salutis, aut nihil juvare, hac in parte solicitum esse. Hinc ad confirm. neg. ant. argumentum solvi debet in præscientia, quam Deus habet de actibus nostris absolute futuris, ex qua simile prorsus argumentum deducunt Calvinistæ. Forte istæ objectiones bene impugnarent prædeterminatores, certe illos magis premunt.

Ob. 3. Deus non potest decernere pœnitentiam, 440
nisi præcedat decretum, & scientia visionis de peccato absolute futuro: ergo scientia simplicis intelligentiæ & media non satis dirigunt ad omnia decreta. Ant. prob. nemo prudens decernit medicinam, nisi præcognoscat morbum: ergo. Confirm. Si Deus decerneret simul pœnitentiam & peccatum, hominem simul odisset & amaret; hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ant. Ad prob. dist. ant. nemo prudens absolute decernit medicinam, nisi præcognoscat morbum saltem conditionate, sub tali conditione, quam velit simul purificare, conc. ant. si morbum sub tali

con-

conditione præcognoſcat, neg. ant. Nam ſcientia conditionata una cum voluntate efficaci purificandi conditionem æquivalet viſioni abſolutæ, cum non minus connectatur cum abſoluta poſitione rei, quam prævifio abſoluta. Modo igitur Deus peccatum ſub certa conditione futurum prævideat, poteſt in eodem ſigno velle pœnitentiam, hanc conditionem purificare, & peccatum permittere: ſic Rex, ſi divinitus præſciret ſuum belliducem, ſi illum ad prælium mitteret, eſſe vulnerandum, eodem actu poſſet decernere medicinam, & miſſionem belliducis ad bellum. Ad confirm. diſt. maj. Deus hominem ſimul amaret & odiſſet pro diverſa temporis differentia, conc. maj. pro tempore eodem, neg. maj. Deus ſemper, & ab æterno hominem odit pro tempore, quo eſt in ſtatu peccati, eum vero amat pro tempore, quo eſt in ſtatu gratiæ.

441 Dices 1. Deus in tali caſu pœnitentiam deberet intendere tanquam finem: ergo hoc ipſo non decerneret omnia in eodem ſigno. Ant. prob. qui ordinate vult, prius vult finem & tunc media: ergo decretum intentivum finis præcedit ante decretum electivum mediorum. Confirm. Voluntas finis movet ad volenda media: ergo decretum intentivum finis eſt natura prius. Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. ad prob. diſt. ant. prius vult finem quam media, ſi cognitio, qua dirigitur ad volendum finem non ſatis dirigat etiam ad decernenda media, conc. ant. ſi ſufficienter dirigat, ſubdiſt. prius vult finem prioritate rationis, trans. prioritate quaſi naturæ neg. ant. Quod homines prius ſoleant decernere finem, provenit ex limitata virtute intellectus, qui initio ſolam bonitatem finis, & tunc primum media ſatis cognoſcit. Hæc limitatio in Deo locum non habet, ſed ſicut una cognitio nec eſt cauſa alterius, nec unum cognoſcit ex altero; ſic una volitio non eſt cauſa alterius, neque vult hoc propter hoc, ſed tantum vult hoc eſſe propter hoc, ut advertit S. Thomas 1 part. q. 19

art. 5 in corpore. Hinc ad confirm. neg. ant. ſub data diſtinctione.

Dices 2. Si Deus decerneret pœnitentiam ante peccatum abſolute præviſum, vellet ipſum peccatum; nam qui efficaciter vult finem, vult omnia neceſſario prærequiſita, quæ non jam aliunde adeſſe cognoſcit. Confirm. Tali modo peccatum eſſet medium neceſſarium ad pœnitentiam: ergo. Reſp. neg. ſequelam, rationem additam diſt. qui vult finem, vult etiam prærequiſita, quæ non præcognoſcit aliunde jam adeſſe ſaltem conditionate, ſub tali conditione, quam ſimul vult purificare, conc. quæ non præcognoſcit jam adeſſe abſolute, neg. Intentio finis non determinat neceſſario ad volenda omnia illa, quæ ad finem prærequiruntur, modo hæc aliunde ponenda prævideantur, ſub tali conditione, quam intendens finem poteſt purificare. Cum igitur Deus peccatum ab homine ponendum prævideat ſub conditione, ſi e. g. haberet libertatem *a*, quam purificare poteſt intendendo pœnitentiam, nullatenus debet intendere ſeu amare peccatum, quod in ſe nullam habet amabilitatem, imo neque poſitivam utilitatem ad pœnitentiam, ſed eſt tantum terminus prærequiſitus. Hinc ad confirm. neg. ant. & conſ. Deus non vult peccatum, quia prærequiritur ad pœnitentiam, ſed cum prærequiratur, permittit illud. Interim nihilominus peccatum prohibet, & odit. 442

Ob. 4. Sæpe ſcientia media de aliquo objecto ſe habet prorſus indifferenter & impertinenter ad decernendum alia E. g. ſcientia media de eo, quid Petrus in his circumſtantiis eſſet acturus, nihil pertinet ad decernendam muſcam: ergo Deus ſaltem non debet a tota ſcientia media dirigi ad omnia ſua decreta. Confirm. Deus ut perfectiſſime decernat, non debet præcognoſcere, quid ipſemet in quibuslibet circumſtantiis eſſet acturus: ergo neque debet præcognoſcere, quid in quibuslibet circumſtantiis ageret 443

quælibet creatura. Resp. neg. ant. Deo nunquam deest modus, quo objecta, etsi videantur disparatissima, possit aliqua ratione ad se invicem ordinare, sicut de facto galli cantum ordinavit ad obtinendam pœnitentiam Petri, muscas ad puniendum Pharaonem &c. Ad confirm trans. ant. de quo hic non disputamus, neg. conf. Ad scientiam mediam reflexam, qua Deus cognoscit propria decreta conditionate futura, jam præsupponitur totus actus primus proximus ad illa decreta concipienda: econtra ex parte hypothesis scientiæ mediæ directæ, se tenet sola libertas creata, ad quam proin decernendam Deus non minus potest dirigi a scientia media, quam simplicis intelligentiæ. Quod si Deus per scientiam reflexam de uno decreto conditionate existente, forte dirigeretur ad concipiendum aliud, id nihil obstaret nostræ conclusioni.

QUÆSTIO II.

An detur prædefinitio efficax actuum liberorum independens a scientia media?

444 Per prædefinitionem intelligitur decretum efficax, & absolutum, quo Deus intendit ac decernit actum bonum liberum creaturæ. Thomistæ, Scotistæ & sic dicti Augustiniani, cum nullam admittant scientiam mediam, adstruunt decretum prædefinitivum, quod tam in essendo, quam in operando est a scientia media omnino independens, & juxta Thomistas quidem est decretum physice prædeterminans tam subjective quam objective absolutum, juxta Scotistas decretum condeterminans, juxta Augustinianos moraliter prædeterminans. Verum cum hæc decreta jam part. 2 disp. 3 a nobis fuerint refutata, non est, cur hic diutius illis immoremur, sed tantum agemus contra quosdam ex nostris, qui cum Ripalda & Nicolao Martinez admittunt decretum,

tum, quod a ſcientia media ſit independens in eſſendo, ab eadem tamen dependens in operando.

Supponunt iſti autores dari neceſſitatem vagam, 445
& ideo Deum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ prævidere metaphyſice neceſſarium eſſe non ſolum, ut quælibet voluntas creata aliquibus auxiliis indeterminate ſumptis ex infinitis poſſibilibus libere ſit conſenſura, ſed etiam ut detur aliqua ſcientia media, qua Deus cognoſcat, quod quælibet creatura aliquibus auxiliis determinate ſumptis eſſet libere conſenſura, ſi illa conferrentur. His ſuppoſitis dicunt, Deum inſtructum hac ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & in ſigno priori ad ſcientiam mediam efficaciter decernere conſenſum obtinendum per aliquod auxilium, quod per ſcientiam mediam præviſum fuerit efficax. Cum igitur hoc decretum a Deo ſtatim concipiatur poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, illud eſſe in eſſendo independens a ſcientia media. Quia tamen Deus, ut actu obtineat conſenſum ita prædefinitum, debet per ſcientiam mediam prævidere, quodnam determinatum auxilium eſſet efficax, illudque dein eligere & conferre creaturæ, hoc decretum in operando, ſeu exequendo a ſcientia media dependet.

Dicendum. Non datur prædefinitio efficax actu- 446
um bonorum liberorum independens a ſcientia media in eſſendo, etiamſi dicatur ab illa eſſe dependens in operando. Prob. 1. Ex una parte Deus ad decreta prædefinitiva poteſt dirigi a ſcientia media; imo ut ſapientiſſime decernat, debet ab illa dirigi: ex altera parte nulla eſt ratio, quare in priori ſigno decernat ſolum actum liberum, & quoad determinationem auxilii ſuam voluntatem quaſi adhuc ſuſpendat; cum utrumque in eodem ſigno poſſit decernere: ergo non datur prædefinitio efficax actuum bonorum liberorum independens a ſcientia media in eſſendo. Ant. quoad 1 membrum patet ex quæſt. præcedente: quoad ſecundum patebit ex quæſt. ſequen-

te & ſolutione objectionum. Confirm. In hoc ſiſtemate decretum intentivum eſſet in ſigno priori, & dependeret a ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, decretum vero executivum eſſet in ſigno poſteriori, & dependeret a ſcientia media: ergo inter iſta decreta daretur diſtinctio virtualis, quæ tamen, utpote captu difficillima, ſine graviſſima neceſſitate non debet admitti.

447 Prob. 2. Hæc prædefinitio eſſet eſſentialiter & metaphyſice connexa cum actu prædefinito, ſimulque a creatura inobtinibilis, inimpedibilis, & inevitabilis, non minus quam decretum phyſice prædeterminans: ergo tolleret libertatem creaturæ. Ant. quoad 1 membrum fatentur ipſi adverſarii; alias prædefinitio non eſſet intrinſece efficax. Quoad 2 membrum prob. Quia eſſet ſoli Deo libera, quin creatura aut ipſum decretum, aut actum primum proximum ad illud poſſet impedire; nam actus primus proximus conſiſteret in ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & voluntate Dei, quæ ſunt aliquid ſimpliciter neceſſarium & inimpedibile: ergo hæc prædefinitio inferret neceſſitatem antecedentem, ita ut creatura neque in ſenſu compoſito, neque in ſenſu diviſo poſſet omittere actum prædefinitum: non in ſenſu compoſito; quia in terminis implicat, ut creatura cum efficaci prædefinitione amoris conjungat ejus omiſſionem vel odium: non in diviſo; quia creatura ab hac prædefinitione ſe nullatenus poſſet dividere. Confirm Quod neceſſario ſequitur ex ſuppoſitione creaturæ nullo modo libera, eſt abſolute neceſſarium; ſed hæc prædefinitio eſt creaturæ nullo modo libera, & illa poſita actus prædefinitus neceſſario datur: ergo.

Objectiones.

448 Ob. 1. Qui ſcit ſibi poſſibilem eſſe finem, & talia media, per quæ certiſſime finem ſit obtenturus, prudentiſſime poteſt hunc finem decernere; ſed Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſcit ſibi poſſibilem

lem esse consensum Petri, & talia media seu auxilia, per quæ certissime consensum sit obtenturus: ergo dirigente hac sola scientia consensum Petri prudentissime potest decernere. Confirm. Qui certo scit, se habere plures calamos aptos ad scribendum, non decernit imperfecte, etsi initio solum statuet scribere, & tunc primum aliquem calamum determinatum eligat: ergo &c. Resp. dist. maj. Si etiam sciat, per quænam media determinata sit obtenturus finem, conc. maj. secus, neg. maj. & sic dist. min. cons. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ nondum scit, quodnam sit illud determinatum auxilium, cui Petrus esset consensurus, sed tantum quod sit consensurus alicui: ergo necdum decernit prudentissime; perfectius quippe esset, si finem & determinatum medium decerneret simul eodem actu, ut advertimus n. 432 & 433. Ad confirm. trans. ant. Quod hoc non sit imperfectum positive & in humanis, neg. cons. quia Deo debemus tribuere modum decernendi perfectissimum.

Dices. Quamvis Deus per scientiam simplicis 449
intelligentiæ necdum videat, cui determinato auxilio Petrus esset consensurus, nihilominus hæc scientia in suo genere est summe perfecta: ergo licet Deus intendendo finem necdum determinet media, decretum intentivum est summe perfectum. Confirm. Si Deus ante decretum intentivum deberet prævidere consensum Petri conditionate futurum, Petrus deberet prius operari quam Deus; hoc non potest admitti: ergo. Resp. conc. ant. neg. cons. Cum scientia simplicis intelligentiæ sit necessaria, & tantum cognoscat possibilia ut talia, in suo genere neque potest neque debet repræsentare, quid creatura sub hac vel illa conditione libere esset actura. At quando Deus aliquid decernit, jam habet scientiam mediam, & prævidet, quidnam Petrus cum singulis auxiliis esset acturus: ergo hanc scientiam statim ad decretum etiam intentivum potest adhibere, & simul finem ac

ipſum auxilium in eodem ſigno decernere. Ad confirm. neg. maj. Quia etiam conſenſus conditionate futurus non aliter prævidetur,quam dependenter ab auxilio Divino, quod conſtituit hypotheſin ſcientiæ mediæ.

450 Ob. 2. Ex una parte Deus per decretum intentivum tantum decernit conſenſum a creatura libere ponendum: ex altera parte non vult dare alia auxilia quam indifferentia: ergo hoc decretum non præjudicat libertati creatæ. Confirm. Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit, quod conſenſum liberum creaturæ poſſit obtinere per aliqua auxilia indifferentia: ergo dependenter ab hac ſcientia poteſt conſenſum liberum efficaciter prædefinire. Reſp. neg. ſuppoſitum, quod independenter a ſcientia media conſenſus liber efficaciter poſſit decerni; nam licet auxilia,quæ Deus poſtea per decretum executivum dare vellet, ſecundum ſe & intrinſece manerent indifferentia, eſſent tamen determinata ad unum extrinſece, in quantum ſubſtarent decreto intentive inimpedibili, & ſimul inconjungibili cum diſſenſu, idque antecedenter ad omne exercitium liberum,& determinationem creaturæ. Hinc ad confirm. tranſ. ant. neg. conſ. Nam ejusmodi decretum efficax eſſet medium improportionatum, & repugnans ſuo objecto, videlicet actui libero, cujus libertatem ſignate quidem vellet, exercite autem deſtrueret, ut patet ex ſecunda probatione.

451 Dices. Decretum intentivum non ſe tenet ex parte actus primi proximi creati, ſed tantum ex parte actus remoti: ergo actum primum proximum creatum relinquit indifferentem, imo vult illum eſſe indifferentem. Confirm. Decretum intentivum adhuc præſcindit, per quænam auxilia ſit extiturus conſenſus: ergo cum Deus non ſit daturus aliud, quam cui videt creaturam eſſe libere conſenſuram, hoc decretum non tollit indifferentiam auxilii. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Modo tale decretum ſe teneat ex

ex parte actus primi remoti, jam facit, ut ex parte actus primi proximi non detur negatio impedimenti per actum secundum inauferibilis, sicut prædeterminatio physica: ergo indifferentiam actus primi proximi destruit, etsi ipsum actum primum proximum non constituat. Ad confirm. conc. ant. neg. cons. Quamvis Deus per decretum executivum daret tale auxilium, cui prævideret creaturam libere consensuram in aliis circumstantiis, tamen hoc auxilium non amplius maneret indifferens in his circumstantiis, in quibus substat prædefinitioni efficaci & inimpedibili; hinc iterum negatur suppositum, quod Deus per scientiam mediam possit prævidere, quod creatura in his circumstantiis esset libere consensura, saltem loquendo de libertate quoad substantiam, ut mox declarabitur.

Ob. 3. Modo decretum prædefinitivum in ope- 452
rando dependeat a scientia media, creatura singulis auxiliis libere potest consentire vel dissentire: ergo manet libera. Confirm. Etsi detur necessitas vaga, ut creatura consentiat alicui auxilio indeterminate sumpto, hæc non obest libertati, quia nihilominus singula auxilia determinata manent indifferentia: ergo a pari. Resp. dist. ant. Potest dissentire singulis auxiliis indeterminate sumptis, neg. ant. determinate sumptis, subdist. singulis omnino, neg. ant. singulis usque ad ultimum, conc. ant. & dist. cons. ergo creatura manet libera quoad modum consensus, conc. cons. quoad substantiam consensus, neg. cons. Quamvis creatura stante decreto intentivo adhuc posset facere, ut consensus potius daretur dependenter ab hoc, quam ab alio auxilio; non tamen posset simpliciter non consentire, sed si reliqua omnia auxilia frustrasset, saltem ultimo necessario consentire deberet. Hinc ad summum esset libera quoad modum, sicut condemnatus ad mortem, cui daretur optio, ut pereat laqueo, vel gladio, ut suspendatur ex hac vel illa arbore. Ad confirm. transf. ant. neg.

conſ. Neceſſitas illa vaga, de qua diximus parte 2 n. 286, fundatur in auxiliis ſolum indeterminate ſumptis ſyncategorematice infinitis, & nunquam poteſt complete ac abſolute dari. At decretum intentivum eſſet abſoluta, & completa neceſſitas, ut homo ante finem vitæ a parte rei alicui auxilio conſentiat.

453 Dices. Qui ita condemnaretur ad mortem, ut ſupra diximus, ſciret ſe debere aliquam determinatam eligere, & electio ſolum daretur inter finita: econtra creatura neſcit, quod alicui auxilio debeat conſentire, & habet electionem inter infinita: ergo non eſt paritas. Confirm. Niſi neceſſitas vaga tandem fundetur in auxilio determinato, quod a parte rei poteſt exiſtere, nunquam eſt applicabilis, ſed prorſus fruſtranea: ergo. Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. Decretum intentivum eſt eſſentialiter connexum cum conſenſu, & inimpedibile, ſive a creatura cognoſcatur ſive non, proin quoad hoc diſparitas eſt tantum materialis: dein reus non neceſſitatur ad mortem a ſua cognitione, quam habet de decreto judicis, ſed ab ipſo decreto. Denique in ſtatu abſoluto creatura tantum haberet electionem inter finita auxilia, quæ ipſi a parte rei conferri poſſent: ergo ſaltem ultimum non poſſet reſpuere; alias decretum fruſtraretur. Ad confirm. neg. ant. Quamvis neceſſitas vaga non ſit applicabilis in ſtatu abſoluto, poteſt tamen applicari in ſtatu conditionato, in quantum omnipotentia Dei exigit, ut ex omnibus auxiliis diſtributive ſumptis aliquod per ſcientiam mediam prævideatur efficax, quod ſufficit ad ſalvandum perfectiſſimum dominium Dei, quia tali modo Deus a qualibet creatura infallibiliter poteſt obtinere conſenſum liberum.

454 Ob. 4. Etſi prædefinitio in eſſendo independens a ſcientia media non poſſit impediri, poteſt tamen evitari: ergo non tollit libertatem. Ant. prob. Creatura potentia antecedente poteſt facere, ut non exi-

ſtat

ſtat auxilium efficax, impediendo videlicet ſcientiam mediam directam de efficacia auxilii: ergo. Confirm. Licet actus, quo video Petrum currere, ſit eſſentialiter connexus cum curſu Petri, nihilominus Petrus liberrime currit: ergo licet prædefinitio ſit eſſentialiter connexa cum conſenſu, conſenſus poteſt liberrime poni. Reſp. neg. ant. ad prob. diſt. ant. Creatura poteſt facere, ut non exiſtat auxilium efficax hoc vel illud, conc. ant. ut exiſtat nullum, neg. ant. Si Deus ponitur efficaciter velle conſenſum, & quidem antecedenter ad exercitium libertatis creatæ conditionate præviſum, datur antecedens & inevitabilis neceſſitas, ut ſaltem aliquod auxilium efficax exiſtat: ergo nec exiſtentia prædefinitionis, nec exiſtentia auxilii efficacis a creatura impediri poteſt. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. Viſio mea jam præſupponit liberum curſum Petri, adeoque a Petro potuiſſet impediri & ſolum infert neceſſitatem conſequentem: econtra prædefinitio in eſſendo a ſcientia media independens non præſupponit conſenſum liberum, neque per illum impediri poteſt.

Dices. Poteſt Deus ſalva libertate humana efficaciter ita decernere: Volo dare Petro auxilium *a*, quia prævideo illud eſſe efficax, ſi autem viderem, illud eſſe inefficax, darem illi aliud efficax; atqui hoc decretum eſt a creatura inimpedibile, & inevitabile, quia eſſentialiter infert exiſtentiam alicujus auxilii efficacis: ergo. Confirm. Deus eſt liberrimus ad dandum auxilium efficax vel inefficax: ergo. Reſp. neg. maj. Sicut Deus per ſcientiam in ſua objecta non tendit confuſe & indeterminate, ſic etiam per voluntatem. Hinc quando aliquid ſtatuit, ſemper decernit aliquod determinatum auxilium, e. g. hoc modo: ſi auxilium *a* eſſet inefficax, darem auxilium *b*; cum igitur Petrus & huic & illi poſſet diſſentire, vel hoc decretum, vel ſaltem exiſtentiam utriusque auxilii poſſet impedire. Ad confirm. diſt. ant. Deus eſt liberrimus ad dandum auxilium effi- 455

 cax

cax vel inefficax, modo tamen ſuæ ſapientiæ & libertati creatæ proportionato, conc. ant. aliter, neg. ant. & conſ. Agimus hic de prædefinitione actuum liberorum, quæ proin non poteſt libertatem creatam evertere, nec aliter tendere, quam modo perfectiſſimo, qualis non eſſet, ſi tenderet confuſe, aut hoc vel ſimili modo: volo conferre auxilium, quod videro eſſe efficax, vel: ſi videro auxilium *a* eſſe inefficax, nolo illud conferre, cum utique Deus actu hæc omnia clariſſime videat.

QUÆSTIO III.

An detur prædefinitio efficax actuum liberorum, dependens a ſcientia media?

456 Quod detur prædefinitio efficax tam in eſſendo, quam operando, dependens a ſcientia media, eſt communiſſima noſtrorum doctrina, putant tamen aliqui, efficaciam non eſſe intrinſecam ſoli decreto, ſed partialiter etiam conſtitui per ſcientiam mediam de conſenſu, ut adeo prædefinitio ſolum ſit efficax extrinſece, materialiter, & in complexo, ac præciſe ita tendat: volo dare auxilium *a*, cui per ſcientiam mediam video Petrum eſſe conſenſurum. Alii econtra defendunt, quod ipſum decretum prædefinitivum ſimpliciter & incomplete acceptum, ſit formaliter efficax, ex intrinſeco ſuo modo tendendi, quem ita explicant: quia per ſcientiam mediam video Petrum eſſe conſenſurum auxilio *a*, volo ipſi dare hoc auxilium, ut infallibiliter conſentiat. Pro prima ſententia præcipue ſtant illi, qui actus Divinos contingentes explicant per complementa extrinſeca, eoquod actus volitionis neceſſariæ non ſit eſſentialiter connexus cum conſenſu; poſteriorem tenent maxime ii, qui nobiſcum dicunt actus liberos eſſe Deo adæquate intrinſecos.

Dicen-

Dicendum. Datur prædefinitio intrinſece efficax actuum liberorum præſertim ſalutarium, dependens a ſcientia media in eſſendo, & operando. Prob. 1 auctoritate ſcripturæ, præſertim ex illo ad Epheſ. 2 v. 10: *Creati in Chriſto JESU in operibus bonis, quæ præparavit DEUS, ut in illis ambulemus.* Quæ verba exponens S. Auguſtinus ait: *Creati in Chriſto JESU in operibus bonis, gratia eſt; quod autem ſequitur, quæ præparavit DEUS, prædeſtinatio eſt.* Similia in eundem textum habent S. Proſper reſp. 15 ad capitula Gallor. aliique Patres, qui, licet adhibeant nomen prædeſtinationis, manifeſtum tamen eſt, quod hic non intelligant prædeſtinationem ad gloriam, ſed ipſorum bonorum operum, quæ Deus nobis præparavit, ut illa faciamus. Quod autem hæc prædefinitio ſit intrinſece efficax, ulterius colligitur tum ex illo Eſther 13 v. 9: *Non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, ſi decreveris ſalvare Iſrael;* tum ex illo Auguſtini in Enchirid. cap. 103: *Nullus fit ſalvus, niſi quem DEUS voluerit ſalvare, & ideo rogandus eſt, ut velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit.* Atqui ſola voluntas intrinſece efficax eſt, cui proprie non poteſt reſiſti, conjungendo videlicet cum illa diſſenſum; nam inefficaci ſæpe reſiſtitur juxta illud S. Stephani Act. 7. v. 51: *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* 457

Probatur 2. Qui ex intentione alicujus effectus eligit, ac decernit tale medium, ex quo infallibiliter novit ſecuturum eſſe effectum, ipſe abſolute & efficaciter vult ac prædefinit talem effectum; atqui Deus ex intentione actus ſalutaris, quem a creatura obtinere intendit, eligit ac decernit tale medium, ex quo per ſcientiam mediam infallibiliter novit, ſecuturum eſſe actum ſalutarem: ergo. Maj. patet, min. prob. Quando Deus homini dat auxilium prævifum inefficax, largitur illud ex intentione actus ſalutaris, & quidem ſeria & affective efficaci; licet hæc intentio effective ſit inefficax, & quaſi conditionata: 458

ergo,

ergo, quando homini dat auxilium prævisum efficax illud confert ex intentione actus salutaris, etiam effective efficaci, & absoluta. Confirm. Quando Deus tribuit auxilium efficax ad opus salutare, exhibet specialem benevolentiam, & beneficentiam, quam Deus non omnibus exhibet, sed quibus vult, ut summopere inculcat Apostolus in epistola ad Romanos, & S. Augustinus contra Pelagianos; atqui si Deus tantum haberet voluntatem efficacem dandi auxilium, & non etiam efficacem ipsius operis boni, non exhiberet bene operantibus specialem benevolentiam & beneficentiam; nam voluntas dandi auxilium est communis etiam illis, qui non consentiunt, & nisi auxilium detur majori voluntatis affectu, quia est efficax, beneficium solum erit majus materialiter, ferme sicut si efficacia ignoraretur.

459 Dixi 1. Prædefinitio efficax actuum liberorum præsertim salutarium, qui positive conducunt ad vitam æternam, & proin eliciuntur ope gratiæ supernaturalis, & stricte acceptæ. Agimus enim præcipue de prædefinitione in ordine ad prædestinationem ad gloriam, ad quam actus naturaliter solum honesti nihil conducunt. Multo minus a Deo prædefiniri possunt actus peccaminosi, etiam solum quoad materiale peccati; quia hoc repugnat infinitæ sanctitati, ut probabimus in tractatu de peccatis. Dubitari tamen potest, utrum respectu actus peccaminosi dari possit, vel de facto detur decretum permissivum, quod sit essentialiter connexum cum peccato, e. g. an Deus per scientiam mediam prævidens, Petrum auxilio *a* esse peccaminose dissensurum, sic possit decernere: quamvis prævideam hoc auxilium fore inefficax, & conjungendum cum dissensu, tamen illud conferam. Ego in hoc saltem nihil invenio repugnans. Aliud est quod Deus non possit eligere auxilium inefficax, quia inefficax, ita tendendo: quia prævideo hoc auxilium fore inefficax, & conjungendum cum peccato, ideo illud conferam; hoc enim in

Deo

Deo argueret inclinationem ad peccatum, & quia illud vere intenderet, fieret auctor peccati.

Dixi 2. Prædefinitio dependens a ſcientia media in eſſendo & operando. Cum enim ex una parte nequeat dari prædefinitio a ſcientia media independens etiam tantum in eſſendo: ex altera parte aliunde probetur, quod detur prædefinitio intrinſece efficax, nec ulla ſit neceſſitas admittendi decretum aliquod mere indifferens & conjungibile cum utroque extremo libertatis: ſequitur, prædefinitionem tam in eſſendo, quam in operando a ſcientia media dependere. Neque hoc decretum licet intrinſece efficax præjudicat libertati creatæ, tum quia non conſtituit actum primum proximum creatum, ſed tantum illum cauſat, etſi hic unde unde demum poneretur exiſtere, daretur tota libertas creata: tum quia hoc decretum a creatura poteſt impediri; nam licet creatura non poſſit facere, ut Deus potius illi conferat auxilium præviſum efficax, quam inefficax; quia tamen hoc decretum prædefinitivum eſſentialiter dependet a ſcientia media de conſenſu, creaturæ autem antecedenter liberum eſt, cuilibet auxilio conſentire, vel diſſentire, creatura poteſt facere, ne detur ſcientia media de conſenſu, & conſequenter etiam, ne detur decretum prædefinitivum ab hac ſcientia media dependens. 460

Objectiones.

Obj. 1. Juxta SS. Patres Deus actus liberos non prædefinivit; nam ut S. Chryſoſtomus Homil. 12 in epiſt. ad Hebr. ait: *Non antecedit* (voluntas ſua) *noſtras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium.* Imo S. Damaſcenus lib. 2 de orth. fide cap. 30 clare ita loquitur: *Illud ſciendum intereſt, DEUM omnia quidem præſcire, ſed non omnia præfinire, præſcit enim ea etiam, quæ in noſtra poteſtate, atque arbitrio ſita ſunt: at non item ea præfinit; nec enim vitium admitti vult, nec rurſus virtu-* 461

ti

tivim affert. Confirm. S. Thomas in 2 dist. 39 art. 1 docet : *Quod voluntas exeat in hunc actum, non esse ab alio determinante, sed a voluntate* : ergo. Resp. dist. ant. DEUS actus liberos non prædefinit prædefinitione simpliciter antecedente, & inimpedibili, conc. ant. prædefinitione scientiam mediam consequente, & a creatura impedibili, neg. ant. quod SS. Patres solum negent talem prædefinitionem, quæ esset simpliciter antecedens, & everteret libertatem creatam, patet tum ex ipso contextu, tum quia aliunde certum est, quod aliqua voluntas Dei nostram debeat præcedere. Ad confirm. eadem est responsio; nam S. Thomas 1 parte q. 16 art. 7 ad 3 ipse docet, decretum Divinum esse futuritionem causalem nostrorum actuum liberorum.

462 Dices 1. Quando Scriptura ait, quod voluntati Divinæ non possimus resistere, solum loquitur de illis rebus, quæ Deus decernit independenter a nostra libertate, aut circa bona temporalia; de his enim cap. 13 Esther. sermo est. Ergo saltem non debet admitti prædefinitio intrinsece efficax. Confirm. S. Augustinus lib. 3 de lib. arbitr. cap. 18 ait: *Quæcunque est causa voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur* ; atqui prædefinitioni intrinsece efficaci non potest resisti : ergo. Resp. neg. ant. Salus Israëlis, de qua loquitur Esther, pendebat ab arbitrio Assueri, & si nemo potest resistere Deo volenti liberare a miseriis temporalibus, utique voluntas Dei non minus erit efficax circa supernaturalia, & liberationem a peccatis, ac miseriis æternis. Ad confirm. conc. maj. dist. min. prædefinitioni intrinsece efficaci non potest resisti conjungendo dissensum cum illa, conc. min. illam antecedenter impediendo, neg. min. S. Augustinus to *resistere* hic sumit latius, etiam pro impedire, ut colligitur ex verbis subjunctis : *Quis enim peccat in eo quod caveri non potest?*

Dices

Dices 2. Prædefinitio juxta nos caufalitate præcedit voluntatem & confenfum creaturæ: ergo cum fimul fit effentialiter connexa cum confenfu, inducit neceffitatem antecedentem. Confirm. Veritas hujus propofitionis caufalis: Ideo res eft futura, quia a DEO præfcitur, non poteft ftare cum libertate creata: ergo neque veritas iftius: ideo actus dabitur, quia eft prædefinitus. Refp. dift. ant. caufalitate præcedit, tanquam caufa proxima & inimpedibilis a voluntate creata, neg. ant. tanquam caufa folum remota & impedibilis, conc. ant. & neg. conf. quia fcientia media de confenfu conditionate futuro præcedit prædefinitionem, hæc illo eft logice & determinatione pofterior, etfi actum abfolute futurum aliquo modo præcedat, Ad confirm. conc. ant. neg. conf. Si prima caufalis effet vera, fcientia vifionis deberet effe caufa proxima & effentialiter requifita ad libertatem creatam, vel Divinam, ut jam aliquoties diximus. Econtra prædefinitio eft tantum caufa remota actus liberi, neque ad illum determinate requiritur, fed tota libertas creata poffet etiam dependenter a decreto permiffivo exiftere. 463

Obj. 2. Etfi prædefinitio fe teneat ex parte actus primi remoti, tamen non poteft impediri a creatura. Prob. Qui non poteft impedire caufam proximam, non poteft impedire caufam remotam; fed creatura non poteft impedire caufam proximam fui confenfus, fcilicet auxilium, cæteraque conftitutiva libertatis: ergo. Confirm. Si Petrus non poteft impedire exiftentiam fui patris, multo minus poteft impedire exiftentiam fui avi: ergo. Refp. neg. illatum. Ad prob. dift. maj. non poteft impedire caufam remotam, fi hæc fit determinate requifita, & non præfupponat aliquid impedibile ab homine, conc. maj. fecus, neg. maj. libertas creata eft indifferens, ut conferatur dependenter a decreto prædefinitivo vel permiffivo, quorum illud 464

illud essentialiter præsupponit scientiam mediam de consensu, hoc scientiam mediam de dissensu. Cum igitur quælibet scientia media stante libertate a creatura sit impedibilis, tam hoc quam illud decretum potest impediri, quin ideo debeat impediri ipsa libertas. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. Existentia avi nihil essentialiter præsupponit, quod a Petro posset impediri, neque pater constituit libertatem Petri, unde non opus, ut Petrus in hoc casu possit aliquid impedire.

465 Dices 1. Actus primus proximus sæpe involvit illustrationes supernaturales, quæ sunt actus vitales & essentialiter respicuunt actum primum remotum tanquam suam causam: ergo si posset in hoc casu impediri actus primus remotus, hoc ipso etiam impediretur actus primus proximus. Confirm. Decretum Divinum identificatur cum omnipotentia Dei; sed hæc non potest impediri: ergo. Resp. dist. ant. Illustrationes supernaturales essentialiter respiciunt actum primum remotum adæquate sumptum, neg. ant. solum inadæquate sumptum, conc. ant. & neg. conf. Illustrationes supernaturales essentialiter quidem respiciunt omnipotentiam Divinam tanquam suam causam physicam, a qua simul cum creatura producuntur; at ideo essentialiter non respiciunt decretum prædefinitivum, sed possunt etiam dari dependenter a permissivo. Ad confirm. dist. maj. Ita tamen ut inter omnipotentiam & decreta Divina detur distinctio virtualis, conc. maj. aliter, neg. maj. Licet unio hypostatica in Christo immediate terminetur ad personam Verbi, tamen juxta multos non immediate terminatur ad naturam Divinam, quia inter Verbum & naturam intercedit distinctio virtualis.

466 Dices 2. Ponamus, quod Deus habeat hanc scientiam mediam reflexam: si viderem Petrum dissensurum auxilio *a*, non darem illud per decretum permissivum.

vum. Vel: si viderem Petrum consensurum auxilio *a*, darem illud & non darem per decretum indifferens, aut permissivum. In hoc casu decretum prædefinitivum est causa determinate requisita ad libertatem Petri, & tamen Petrus illud non potest impedire, cum sit liberum soli Deo: ergo. Confirm. Si Petrus in hoc casu impediret causam remotam, hoc ipso impediret etiam proximam; hoc non potest dici, alias libertas impediret se ipsam. Resp. transf. ant. quoad 1 membrum; dist. quoad secundum. Petrus non potest impedire causam remotam per se, & nulla facta suppositione, conc. ant. facta suppositione, quod Deus libertatem non velit aliter conferre, quam per decretum prædefinitivum, ut in objecto casu fieret, neg. ant. Nam Petrus etiam in hoc casu posset impedire scientiam mediam directam de consensu, ad decretum prædefinitivum essentialiter præsuppositam. Ad confirm. dist. maj. impediret causam proximam physice & in sensu positivo, neg. maj. objective & in sensu negativo, conc. maj. & sic dist. min. neg. conf. Quamvis libertas non possit se ipsam impedire positive & physice, ita ut absolute jam existens aliquid agat, quo existentia sua physica impediatur; potest nihilominus se impedire objective, & negative, in quantum conditionate existens per scientiam mediam prævidetur dissensura, sic namque in posito casu faceret, ut nunquam absolute existeret. Sic turpitudo peccati objective in me existens, potest me movere, ut illam nunquam absolute ponam.

Obj. 3. Juxta nostra principia libertas etiam stare posset cum prædeterminatione physica, modo Deus illam conferret post scientiam mediam de consensu aliunde per principia indifferentia futuro. 467
2. Quod Petrus libere se præcipitaret in flumen, licet Deus illum insuperabiliter impelleret, non impulsurus, nisi per scientiam mediam prævideret, quod Petrus se ipsum præcipitaret. Resp. ad pri-

mum, dist. ant. si ponatur, quod prædeterminatio non constituat actum primum proximum ad agendum, & ita essentialiter dependeat a scientia media, ut a creatura possit impediri, conc. ant. secus, neg. ant. Nam si prædeterminatio post scientiam mediam tantum per accidens conferretur, non posset per illam impediri, sicut impediri nequit collatio libertatis, licet fiat post scientiam mediam. Imo scientia media posset Deum dirigere etiam ad evertendam libertatem, si e. g. ita decerneret: quia video Petrum sub his auxiliis indifferentibus dissensurum, volo illi conferre absolute necessitantia, ut consentiat. Ad secundum neg. ant. Si Deus solus producat impulsum in aquas, præcipitatio non est actus Petri, neque hic impulsus fuit hypothesis scientiæ mediæ, sub qua Petrus prævidebatur se præcipitaturus.

468 Dices. Ponamus hoc decretum Dei: quia video Petrum in his circumstantiis peccaturum, volo ipsum privare usu rationis, in hoc casu privatio usus rationis est impedibilis a Petro: ergo sine usu rationis Petrus peccabit, quod aperte falsum est. Confirm. Etsi prædeterminatio essentialiter dependeret a scientia media, non tamen maneret idem actus primus proximus: ergo. Resp. dist. ant. privatio usus rationis est impedibilis a Petro in statu præcise conditionato, transf. ant. in statu absoluto, neg. ant. quia in statu absoluto ex actu primo proximo tollitur necessarium constitutivum, nempe usus rationis, adeoque in statu physico non amplius datur illa libertas, quæ in statu conditionali constituebat hypothesin scientiæ mediæ. Ad confirm. neg. ant. in isto casu nihil ex actu primo proximo aufertur, sed tantum additur prædeterminatio, quæ tali modo tantum est impedimentum auferibile. Neque obstaret, si actus secundus, ut aliqui volunt, haberet essentialem respectum ad prædeterminationem; ex hoc enim tantum sequeretur, quod non amplius

plius daretur libertas ad ſpeciem infimam, & in conſideratione phyſica.

Obj. 4. Suppoſita prædefinitione intrinſece efficaci omnipotentia Dei non eſt indifferenter applicata ad concurrendum : ergo actus non amplius manet liber. ant. prob. ipſa prædefinitio efficaciter determinat omnipotentiam ad concurrendum ; nam vult determinate actum liberum creaturæ, & conſequenter etiam ſuum concurſum cum actu creaturæ identificatum. Confirm. Ideo juxta nos ſtante prædefinitione conſenſus eſſet liber, quia prædefinitio eſt impedibilis, & ideo prædefinitio eſt impedibilis, quia conſenſus eſt liber ; ſed hoc eſt ambulare in circulo : ergo. Reſp. neg. ant. ad prob. diſt. ant. prædefinitio efficaciter determinat omnipotentiam, determinatione antecedente omnem determinationem creaturæ, neg. ant. conſequente determinationem creaturæ objective & conditionate exiſtentem, conc. ant. & neg. conſ. Prædefinitio ſupponit ſcientiam mediam de conſenſu ; ſcientia media ſupponit conſenſum ſub hypotheſi indifferenti : conſequenter omnipotentiam indifferenter applicatam. Ad confir. neg. maj. Sed ideo juxta nos conſenſus eſt liber, quia procedit ab actu primo proximo indifferente, & ideo prædefinitio eſt impedibilis, quia conſequitur ad ſcientiam mediam, quam voluntas creata libere poteſt impedire. 469

QUÆSTIO IV.

An inter ſcientias & decreta Divina detur diſtinctio virtualis?

QUæſtio hæc locum non habet in ſententia illorum, qui ſcientiam contingentem, & decreta libera Dei explicant per connotata, aut complementa extrinſeca; quippe juxta ipſos ſcientiæ contingentes & decreta Dei libera ſecundum id, quod dicunt in recto, ſunt ipſe ſimpliſſimus actus ſcientiæ 470

& voluntatis Dei necessariæ, qui utique a se ipso virtualiter non distinguitur; connotata vero aut complementa extrinseca non solum virtualiter sed realiter inter se distinguuntur. Qui vero nobiscum admittunt terminationes contingentes & liberas Deo intrinsecas, duplex statuunt fundamentum, ex quo distinctio virtualis inter scientias & decreta Divina oriri valeat; quanquam & ipsi fateantur, nullam ejusmodi distinctionem dari inter prædicata Dei absoluta & necessaria, imo neque inter prædicata contingentia & libera sine gravissima necessitate admitti debere.

471 Primum fundamentum distinctionis virtualis est, si inter prædicata Divina datur aliqua signorum quasi naturæ successio, vi cujus unum ita constituit actum primum metaphysicum ad alterum, ut hoc unum ab altero antecedenter posset separari. Sic enim de ipsis jam possunt verificari prædicata contradictoria. Alterum fundamentnm est, si scientiæ & decreta Divina quidem procedant ab eodem actu primo proximo metaphysico sine successione signorum quasi naturæ; attamen aliunde de ipsis verificantur prædicata contradictoria e. g. quia unum constituit actum primum proximum libertatis creatæ, & est indifferens ad utrumque extremum libertatis, aliud non constituit illum actum primum proximum, & est essentialiter connexum cum uno determinato extremo libertatis. Ex quo intelligis non esse idem, omnia decerni in eodem signo quasi naturæ, & omnia decerni decreto virtualiter indivisibili; nam licet inter decreta Divina non detur aliqua successio signorum quasi naturæ, possent nihilominus ex aliquo capite de illis prædicata contradictoria verificari.

472 Interim ex recensitis fundamentis juxta communem virtualiter distinguitur 1 scientia simplicis intelligentiæ a scientia media directa & reflexa, a scientia visionis contingente, & decreto libero quocunque

cunque vel potius ab eorum terminationibus ; nam scientia simplicis intelligentiæ est absolute necessaria, & consequenter a terminationibus contingentibus separabilis. 2. Scientia media directa a scientia media reflexa, a scientia visionis, & decreto libero quocunque ; quippe etiam ista invicem sunt separabilia, & scientia media directa non est essentialiter connexa cum hoc determinate decreto , cum quo scientia visionis essentialiter connectitur. 3. Scientia media reflexa a quacunque scientia visionis & decreto libero. Ratio rursus est, quia scientia media reflexa potest dari sine scientia visionis, & quocunque decreto libero. 4. Denique omnis actus & amor Dei necessarius a decretis liberis, & amore Dei libero.

Econtra non datur sufficiens ratio virtualem di- 473
stinctionem admittendi, inter scientiam simplicis intelligentiæ, amorem Dei necessarium, scientiam visionis necessariam & alia prædicata Divina absoluta & necessaria; quia omnes isti actus procedunt ab eadem realiter potentia, & sunt inseparabiles ab essentia Divina. Neque obstat, quod cognitio Divina debeat aliquo modo prælucere & dirigere actus voluntatis necessarios, & ad illos alliciat ; quippe hæc prælucentia, & directio non est talis, ut importet aliquam prioritatem quasi naturæ, sed tantum eminentialis importans prioritatem logicam rationis, in quantum cognitio a nobis concipitur prior ob specialem modum tendendi, vi cujus unus omnino actus Divinus, ita ex natura sua cognoscit, & amat, ut amet, quia cognoscit, non cognoscat, quia amat. Similiter allicientia cognitionis ad amorem est tantum eminentialis & æquivalenter talis, quatenus Deus amat ideo, quia cognoscit, non vicissim. Sic quando eodem indivisibili actu aliquis vult simul finem & media, volitio finis tantum ratione nostra ad volitionem mediorum allicit. Sic

 licet

licet Petrus ideo ſit riſibilis, quia rationalis, rationalitas tantum eſt logice prior ad riſibilitatem.

474 Ex eadem proportionaliter ratione non datur diſtinctio virtualis, inter decretum Dei, quo rem aliquam abſolute futuram decernit, & ſcientiam viſionis, qua eandem videt, licet ſcientia viſionis ratione noſtra ad decretum conſequatur. Hinc quidquid in ſenſu reali poteſt dici de decreto efficaci, etiam poteſt dici de ſcientia viſionis, non tamen in ſenſu formali, e. g. tam decretum quam ſcientia viſionis a parte rei eſt cauſa rerum intentionalis, in quantum omnipotentiam Divinam determinant ad producendum, vel etiam phyſica, in quantum cum illa phyſice influente ſunt identificata: neutrum vero eſt cauſa rei, in quantum rei exiſtentiam repræſentat. 2. Tam decretum, quam ſcientia viſionis tum intentionaliter tum phyſice in ſenſu primum explicato præcedit effectum abſolute futurum, quatenus illum cauſat; in quantum vero hic ipſe effectus repræſentatur, tam decretum quam ſcientia viſionis eſt logice poſterior, non quaſi ſubſequeretur objectum phyſice jam exiſtens, ſed quatenus ab illo logice determinatur ad ejusdem repræſentationem.

475 Si rurſus dicas, ideo res eſt abſolute futura, quia Deus illam decernit, non ideo, quia illam videt futuram: ergo decretum non poteſt ſubſequi effectum abſolute futurum, etiam objective tantum exiſtentem, alias daretur mutua naturæ prioritas. Reſp. conc. ant. neg. conſ. nam ut ſuperius advertimus, iſtæ particulæ *ideo*, *quia*, hic non ſignificant prioritatem quaſi naturæ, ſed tantum prioritatem rationis, & directionem quandam eminentialem conſiſtentem in ſpeciali modo tendendi, per quem Deus juxta noſtrum modum concipiendi ideo cognoſcit rem abſolute futuram, quia illam decernit, non ideo decernit, quia illam cognoſcit. Rationem

tionem consequenti additam dist. daretur mutua naturæ prioritas inter duas causas physicas, neg. inter unam physicam, & alteram moralem, vel inter duas morales, conc. nihil repugnantiæ aut absurdi est, quod decretum & scientia visionis sint natura priora ad consensum, quatenus illum intentionaliter & physice causant: natura autem posteriora, quatenus sunt illius scientia & repræsentatio. Quare etiam terminatio, quæ simul terminat scientiam visionis, & decretum virtualiter est eadem.

Major est controversia inter Auctores, an debeat 476
admitti distinctio virtualis inter ipsa decreta Dei. Aliqui cum Scoto, Cajetano, Vasquez inter illa statuunt varia signa quasi naturæ. Verum jam n. 433 probavimus, Deum ad omnia sua decreta sufficienter dirigi per scientiam simplicis intelligentiæ & mediam, proin nulla est necessitas admittendi distinctionem virtualem ex hoc capite, quod unum decretum aut scientia visionis sit in signo priori quasi naturæ ad alteram. Imo magis commendatur perfectio voluntatis Divinæ, si dicatur, quod omnia decernat in eodem signo. Sane si rex initio sui regiminis certissime novisset omnia & singula, quæ possunt, aut non possunt evenire, & quæ in quibuslibet rerum combinationibus eventura essent, talis rex posset statim omnia circa gubernationem decernere, alioquin indicaret, aut limitationem virtutis, aut indigentiam novæ notitiæ, aut aliquam saltem irresolutionem animi: ergo multo magis Deus potest omnia simul & in eodem signo decernere.

Pater Junius, Gormaz, Ulloa &c. licet ad- 477
mittant Deum omnia decernere in eodem signo, putant nihilominus de quibusdam decretis aliunde verificari prædicata contradictoria, dum econtra Haunoldus, Esparza aliique Recentiores omnem distinctionem virtualem a decretis Dei removere

conantur. Lis potiſſimum verſatur circa decretum prædefinitivum aut permiſſivum ex una, & circa applicativum omnipotentiæ Divinæ, determinativum ad individuum &c. ex altera parte. Si enim hæc poſteriora conſtituerent libertatem creaturæ, ut multi contendunt, deberent eſſe indifferentia ad utrumque extremum libertatis, cum tamen juxta nos decretum collativum auxilii ſit eſſentialiter connexum cum determinato actu, nempe prædefinitivum cum conſenſu, permiſſivum cum diſſenſu. Lis hæc nec una ratione definiri, nec ſine uberiore explicatione ſatis intelligi poteſt. Unde de illis decretis, circa quæ maxime controvertitur, ſpecialis inquiſitio inferius inſtituenda erit. Interim in poſſeſſione manet argumentum negativum, quod diſtinctio virtualis non debeat admitti, niſi cogat graviſſima ratio.

478 Dices 1. Omnia decreta Divina inter ſe fuerunt ſeparabilia: ergo diſtinguuntur virtualiter. Ant. prob. Quia alias, ſi vel unicus vermiculus, qui modo datur, non exiſteret, Deus totum hunc mundum ejusque ordinem per aliud decretum debuiſſet decernere. Confirm. Deus ſingulas creaturas poteſt amare ſeparabiliter: ergo. Reſp. neg. ant. probationem diſt. debuiſſet decernere per aliud decretum, quod habuiſſet aliam terminationem circa illum vermiculum, & mutuam illius coordinationem cum cæteris entibus, conc. quaſi aliter decreviſſet de reliquis omnibus, neg. ad confirm. diſt. ant. Deus ſingulas creaturas poteſt amare ſeparabiliter, ita, ut amet unam, & non alteram, conc. ant. ut amor unius creaturæ ſeparetur ab amore alterius ſimul exiſtente, neg. ant. Deus antecedenter potuit velle hoc vel illud, ita tamen, ut quæcunque vult, velit per unam realiter & virtualiter indiviſibilem terminationem, quæ proin ſi quædam voluiſſet alia, non exſtitiſſet, ſed loco illius alia terminatio.

Dices

Dices 2. Deus ſæpe propter peccatum antece- 479
dens prius permiſſum, permittit aliud peccatum ſubſequens: ergo unum decretum quaſi natura præcedit alterum, & unum ab altero poteſt ſeparari. Confirm. Scientia viſionis de peccato Petri conſtituit libertatem Dei, quo vult peccatum Petri punire, vel ei parcere: ergo. Reſp. neg. ant. Deus inſtructus ſcientia media de priori peccato conditionate futuro, & meritorio permiſſionis novi peccati, unico indiviſibili decreto ſtatuit, purificare conditionem, permittere peccatum prius, & ſimul in hujus ſupplicium etiam poſterius. Quare licet in intellectu noſtro formalitas decreti permiſſivi primi peccati, ſit logice prior formalitate permiſſiva ſecundi peccati, ex parte tamen ipſius actus Divini nulla datur ſucceſſio, ſed tantum ex parte objectorum, in quæ decretum tendit. Ad confirm. iterum neg. ant. Sed Deus prælucente ſcientia ſimplicis intelligentiæ & media eſt ſufficienter inſtructus & pleniſſime liber ad omnia ſimul per unicum indiviſibile decretum decernenda.

De decreto applicativo omnipotentiæ Divinæ.

Cum ex una parte certum ſit, quod ad omnem 480
actum liberum creaturæ requiratur applicatio omnipotentiæ Divinæ, utpote ſine qua nec Deus phyſice in actiones creaturarum influere, nec ipſa creatura proxime ad agendum expedita eſſe poſſet: ex altera parte hæc applicatio ſit libera Deo, ſine cujus voluntate nulla creatura abſolute exiſtere, multo minus operari valet: conſtat, neque hanc applicationem, neque actum primum proximum creatum liberum antecedenter ad omne decretum Dei unquam dari. Id jam controverſum eſt, an decretum omnipotentiam Divinam applicans libertatem creatam intrinſece conſtituat, an vero illam tantum

causet, & se solum teneat ex parte actus primi remoti? Si primum, decretum applicativum non potest esse essentialiter connexum cum actu, adeoque a decreto collativo auxilii virtualiter distinguitur; quippe ut advertimus parte 2 n. 255, omnia & singula constitutiva libertatis determinate & necessario requisita debent esse indifferentia ad utrumque extremum libertatis, & quidem ita, ut tam cum isto, quam cum illo conjungi possint.

481 Si itaque decretum applicativum omnipotentiæ Divinæ actum primum proximum creatum constitueret, non tantum deberet esse impedibile, sed omnino indifferens ad actum & illius omissionem. Ratio est, quia alias per ipsum exercitium liberum posset impediri ac destrui potentia proxime expedita, ad illud ipsum exercitium per se ac necessario præsupposita; hoc autem tam parum capi potest, quam quod per ambulationem, quæ fit duobus pedibus, in ipso instanti ambulationis destruatur unus pes. Hinc negandum esse censeo, quod habitus charitatis sit constitutivum per se ac determinate requisitum actus primi proximi ad charitatem Dei graviter præceptam pro instanti determinato; licet enim sit impedibilis per omissionem charitatis, tamen cum hoc extremo non est conjungibilis. Sicut igitur in peccatoribus non constituit actum primum proximum ad charitatem, sed suppletur ab omnipotentia Dei specialiter applicata; ita etiam in justis actum primum proximum ad summum constituit per accidens, tum etiam in his actus primus proximus debeat esse indifferens indifferentia conjungibilitatis ad utrumque libertatis extremum.

482 Ad hanc difficultatem declinandam & simul evitandam distinctionem virtualem, hodie multi Recentiores distinguunt duplicem applicationem omnipotentiæ Divinæ, causalem nempe. & formalem.

Cau-

Causalem dicunt consistere in decreto Divino, cujus tendentiam saltem respectu actuum peccaminosorum ita exprimunt: Nolo impedire meam omnipotentiam a ponenda simul cum creatura hac actione. Vel: Nolo illam impedire a concursu. Porro objectum hujus nolitionis Divinæ juxta Ulloam non est actus liber creaturæ impediendus, sed decretum, quo DEUS vellet impedire omnipotentiam a concursu, quasi diceret: Nolo existere decretum, quod efficaciter vellet impedire meam omnipotentiam ab hac actione. Neque enim illud exercitium, quo Deus jam posito actu primo proximo creato nollet ad agendum concurrere, potest esse tantum negativum; alias applicatio formalis omnipotentiæ Divinæ, quæ juxta mox dicenda involvit negationem nolitionis concurrendi, posset involvere negationem negationis seu puræ omissionis liberæ, quæ negatio proin hoc ipso esset decretum positivum. vid. num. 387.

Applicationem omnipotentiæDivinæ formalem 483
dicti Recentiores in tribus constituunt. 1. In ipsa omnipotentia ex se, sive ex conceptu causæ primæ semper parata ad concurrendum, quandocunque creatura agit. 2. In exigentia naturali, quam habet reliquus actus primus proximus creatus ad concursum ejusdem omnipotentiæ. 3. In negatione decreti miraculosi, quo Deus nollet huic exigentiæ naturali satisfacere, sive quo statueret omnipotentiam impedire a concursu: nam his positis omnipotentia Divina jam intelligitur formaliter applicata, physice quidem per immensitatem secum identificatam, moraliter vero per hoc, quod sit parata ad infallibiliter concurrendum, quotiescunque agit creatura, nisi miraculose impediatur. Confirm. Ex una parte positis istis tribus constitutivis omnipotentiaDivina satis intelligitur applicata, & creatura posito etiam reliquo actu primo proximo est expedita ad agendum:

du : ex altera parte nulla datur necessitas admittendi aliquod decretum actus primi proximi creati constitutivum, sed sufficit, modo decretum Divinum se teneat ex parte actus primi remoti: ergo non est necesse, ut decretum applicativum omnipotentiæ Divinæ sit indifferens, & virtualiter a decreto collativo auxilii distinctum.

484 Præterea in hoc sistemate satis commode explicatur 1. Libertas creaturæ. Quamvis enim decretum applicativum sit essentialiter connexum cum actu; tamen se solum tenet ex parte actus primi remoti, & est a creatura impedibile, sicut quæst. 3 diximus de decreto prædefinitivo. 2. Libertas Dei, quia Deus tum omnipotentiam suam ab agendo, tum reliqua constitutiva actus primi proximi, a quibus illius concursus exigitur, pro libitu posset impedire: hinc formalis applicatio nunquam datur ante decretum Dei, sed concursus Dei in actu primo semper est Deo liber & voluntarius; concursus autem in actu secundo non debet, imo cum sæpe sit actio peccaminosa, nec potest Deo esse immediate liber. 3. Sanctitas Dei; nam licet omnipotentia ex se sit parata ad concurrendum, si tamen spectetur formaliter, non est volitiva, nec potest concipi ut habens aliquam inclinationem moralem, aut affectum ad actus bonos vel malos; si vero sumatur realiter ut identificata cum voluntate Divina, hæc actus malos solum permittit, licet actus bonos positive velit, tum prædefiniendo, tum præcipiendo, suadendo &c.

485 Cæterum hactenus dicta procedunt tam de actibus Deo immediate liberis, quam de actibus liberis creaturarum sive naturalibus sive supernaturalibus; quippe licet ad hoc, ut omnipotentia actu agat, requiratur, & pro priori rationis præsupponatur decretum, quo omnipotentia determinatur ad agendum; ipsa tamen omnipotentia ex se semper est parata

rata ad exequendum, quidquid voluntas determinaverit, atque in hac præparatione, quæ datur & intelligitur fine decreto, confiftit applicatio formalis ad actus Deo immediate liberos, quæ applicatio formalis non debet confundi cum determinatione omnipotentiæ. Sic habitus charitatis de fe eft paratus, adeoque formaliter applicatus ad agendum, non tamen eft determinatus fine actu noftræ voluntatis. Sed neque tunc, quando Deus debet fupplere aliquod aliud conftitutivum actus primi proximi creati, e. g. in peccatore habitum charitatis, formalis applicatio confiftit in decreto Dei; nam in hoc cafu femper datur illuftratio fupernaturalis proponens obligationem aut faltem confilium eliciendi actum fupernaturalem, quæ, cum fit effentialiter vera, fpecialem concurfum omnipotentiæ Divinæ infruftrabiliter exigit: vel certe actus fupernaturalis non poffet elici, confequenter præcife daretur obligatio ad conatum naturalem fupernaturalem actum eliciendi.

Dices 1. Formalis applicatio agentis creati ad 486 paffum non confiftit in ipfa entitate caufæ, & reliquo actu primo proximo: ergo neque applicatio formalis entis increati confiftit in ipfa omnipotentia Divina & reliquo actu primo proximo. Confirm. applicatio formalis omnipotentiæ Divinæ debet effe Deo libera: ergo non poteft confiftere in aliquo extra Deum. Refp. conc. ant. neg. conf. Applicatio caufæ creatæ ad paffum eft denominatio mere phyfica, quæ non habetur fine certa ubicatione, & conjunctione agentis ad paffum; applicatio autem omnipotentiæ Divinæ eft denominatio moralis, quia non folum dicit omnipotentiam phyfice præfentem, alias fatis effet applicata per immenfitatem, fed omnipotentiam expeditam, & paratam ad concurrendum pro exigentia & determinatione agentis creati, quæ denominatio moralis fufficienter intelligitur per complexum fupra affignatum. Ad confirm. dift.

dist. ant. debet esse Deo libera formaliter, neg. ant. denominative, conc. ant. & dist. conf. ergo non potest consistere in aliquo extra Deum, quod sit independens a voluntate Divina, conc. conf. quod sit ab ipsa dependens, neg. conf. Tam negatio decreti miraculosi, quam cætera constitutiva actus primi proximi creati dependent a voluntate Dei, quæ proin applicationem formalem liberam denominat.

487 Dices 2. Potentiæ nostræ externæ, e. g. potentia se movendi a loco, ad motus sibi proprios non sunt formaliter applicatæ per meram negationem impedimenti & reliqua ad operandum requisita, sed debent formaliter applicari per actum voluntatis: ergo etiam omnipotentia Divina. Confirm. Omnipotentia Dei est realiter ipsum decretum: ergo si formaliter applicatur per se ipsam formaliter applicatur per decretum. Resp. neg. ant. potentiæ externæ, e.g. manus ex se omnino est parata ad omnem motum, quem voluntas determinaverit; quamquam etiam posset dari disparitas in eo, quod potentiæ externæ sine actu voluntatis non exigant determinatam aliquam operationem, sed sint mera indifferentia passiva, econtra datur exigentia concursus Divini posito solo actu primo proximo creato ad agendum. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. quia juxta alibi dicta inter omnipotentiam & decreta Dei datur distinctio virtualis. Hujus nulla est necessitas inter decretum prædefinitivum & applicativum omnipotentiæ; quia Deus eodem actu prorsus indivisibili potest ita decernere: prædefinio actum amoris Petri, & ideo volo ipsi dare hoc auxilium, ac simul cum Petro ad actum amoris concurrere.

De decreto determinante ad individuum.

488 De determinatione ad individuum non est eadem Philosophorum doctrina. Aliqui volunt hanc

hanc determinationem fieri ab ipſa creatura, quod ſi verum, ceſſat præſens de decreto determinante controverſia. Alii econtra docent determinationem individui fieri a Deo. Ne igitur illi theologi, qui preſſius etiam indiviſibilitati virtuali decretorum liberorum inſiſtunt, debeant admittere, quod decretum ad individuum ſit indifferens, dicunt, illud ſe non tenere ex parte actus primi proximi, ſed tantum ex parte actus primi remoti. Utrum vero hoc decretum ſit determinatio formalis vel tantum cauſalis ad individuum rurſus non conveniunt; nam quidam putant determinationem formalem eo proportionaliter modo explicari poſſe, quo explicavimus formalem applicationem omnipotentiæ Divinæ, ideo decreto Divino hanc tendentiam tribuunt: Nolo exiſtere reliqua individua, e. g. amoris & odii diſtincta ab individuo amoris *a*, & odii *a*, individuum autem amoris *a*, & odii *a* nolo impedire poſita hac tendentia decreti.

Determinationem formalem conſtituunt partim in illis, quæ ad applicationem formalem omnipotentiæ Divinæ requiſivimus, partim in duplici negatione, videlicet in negatione decreti miraculoſi, qua Deus vellet impedire individuum amoris *a* & odii *a*, & in negatione decreti, quo vellet permittere alia individua, adeoque oppoſitum eſſet illi decreto, quo nunc Deus ad individuum *a* determinat. Ex his ita arguunt: Per decretum, quo Deus nullum individuum diſtinctum ab individuo *a* vult permittere, tam omnipotentia Dei, quam voluntas creata eſt impedita ad omnia alia individua utriusque ſpeciei : ergo hoc ipſo eſt determinata, ut ſi velit elicere ſpeciem amoris, eligat amorem *a*. Atqui non eſt determinata per decretum formaliter & paſſive, ſed tantum cauſaliter & active, in quantum hoc decretum cauſat defectum actus primi proximi indifferentis, & paſſive præparationis omni- 489

po-

potentiæ Divinæ ad alia individua, qui defectus involvit negationem decreti, quo Deus alia individua vellet permittere. Sic si vellem scribere uno ex pluribus calamis æqualiter aptis, reliqui autem omnes præter calamum *a* mihi subtraherentur, hoc ipso essem determinatus ad scribendum calamo *a*.

490 Systema hoc pluribus tricis mihi videtur obnoxium. Ut alia taceam, si determinatio formalis ad individuum se tenet ex parte actus primi proximi creati, ut hic sit expeditus ad speciem tam actus boni quam mali, determinatio se debet extendere ad individuum ex utraque specie: ergo etiam decretum tanquam determinatio causalis ad aliquod individuum utriusque speciei se debet extendere, consequenter esse indifferens tam ad actum bonum quam malum; atqui sic non videtur evitari distinctio virtualis inter decretum prædefinitivum & determinans ad individuum. Neque hæc doctrina satis videtur convenire cum sistemate scientiæ mediæ. Cum enim Deus per hanc infallibiliter prævideat, qualem speciem actus creatura libera esset electura, e. g. Petrus speciem odii, nulla est necessitas, ut Deus etiam determinet ad individuum actus boni, e. g. amoris, sed sicut statim determinate permittit speciem actus mali, sic plus non requiritur, quam ut determinet ad individuum actus mali, e. g. sic tendendo: nolo efficaciter reliqua individua ex specie odii, quam per scientiam mediam prævideo a Petro eligendam, distincta ab individuo *a*, hoc autem individuum *a* nolo impedire.

491 Sed neque necessarium est, ut determinatio formalis ad individuum se teneat ex parte actus primi proximi creati; quippe ad hunc pertinent solum illa, quæ constituunt potentiam proximam ad electionem a creatura faciendam: quia igitur creatura ponitur solum determinare ad speciem, non vero ad indi-

individuum, determinatio formalis ad individuum non debet conftituere potentiam proximam ad electionem feu determinationem a creatura faciendam. Ex eadem ratione Deus per fcientiam mediam directam qua talem ex parte conditionati non debet videre determinatum individuum; quippe ex parte conditionati folum videt actus creaturæ liberos; atqui creaturæ actus funt liberi folum quoad fpeciem, non quoad individuum. Neque obfta, quod actus tantum determinatus quoad fpeciem abfolute & phyfice non poffit exiftere nifi in aliquo determinato individuo; quia nihilominus actus folum quoad fpeciem determinatus poteft effe cognofcibilis, & fic intentionaliter exiftere per fcientiam mediam, ut jam explicavimus parte 2 num. 268 & 269.

Itaque in fententia illorum, juxta quos decretum 492 Divinum eft quidem determinatio formalis ad individuum, attamen fe tantum tenet ex parte actus primi remoti, res ita procedit: Deus per fcientiam mediam directam ab æterno prævidet, quod, fi Petrus haberet auxilium *a*, confentiret, & eligeret, e. g. fpeciem amoris; quia autem Petrus à parte rei non poteft ponere amorem ut fic, fed neceffario pofiturus eft aliquod individuum amoris, ad quod tamen ipfe non poteft determinare, Deus prælucente hac fcientia media eodem fimul decreto prædefinit actum amoris, & ideo decernit Petro conferre libertatem *a*, applicare fuam omnipotentiam, & dicto modo determinat ad individuum. Atque hæc determinatio poteft dici affectiva. Poftea in tempore Deus Petro confert libertatem *a*, & fimul cum illo per eandem actionem ad actum amoris *a* concurrit, qui concurfus poteft dici determinatio executiva. Ex quo vides, quod licet individuum & fpecies inadæquata fint idem, nihilominus ex determinatione Petri proveniat, quod actus ille fit potius fpecies amoris quam odii; quod autem potius

existat hoc quam aliud individuum, Deo tribuendum esse.

493 Dices 1. Illud sine quo creatura non potest agere, tenet se ex parte actus primi proximi creati, & constituit hypothesin scientiæ mediæ directæ; atqui sine determinatione ad individuum creatura non potest agere; alias deberet ponere actum ut sic. Confirm. Decretum determinans ad individuum a creatura neque potest obtineri, neque impediri: ergo debet esse indifferens. Resp. transf. maj. neg. min. Quamvis creatura in statu physico non possit ponere actionem in communi, potest nihilominus suo modo se determinare ad speciem actus in statu objectivo & conditionato, adeoque tota libertas creaturæ in statu absoluto datur, modo determinatio ad individuum detur ex parte actus primi remoti. Hinc magnum est discrimen inter has propositiones: Creatura sine determinatione ad individuum non potest agere, &, creatura non potest agere sine determinatione ad individuum. Prima est falsa & significat, quod non affirmata determinatione ad individuum non affirmetur potestas creaturæ ad agendum. Posterior in aliquo sensu est vera, in quantum significat in statu physico non posse dari operationem creaturæ, nisi Deus determinet ad individuum, sicut dari non potest, quin detur decretum prædefinitivum & permissivum. Ad confirm. transf. ant. quoad 1 membrum, neg. quoad 2. Determinatio ad individuum hujus speciei dependet a scientia media, qua impedita etiam ipsa impeditur.

494 Dices 2. Si Deus ad individuum primum determinaret ex suppositione determinationis ad speciem, factæ a natura, Deus determinaret per actionem distinctam, hoc non potest admitti; quia Deus cum creaturis in actus secundos influit per eandem actionem. Confirm. Non est perceptibile quomodo creatura determinet ad speciem, antequam Deus de-

determinet ad individuum: ergo. Resp. dist. maj. Si Deus primum determinaret ad individuum ex suppositione determinationis ad speciem a creatura jam factæ actualiter & absolute, conc. maj, a creatura solum conditionate faciendæ, & per scientiam mediam prævisæ, neg. maj. cum determinatio ad speciem, solum conditionate facienda, nihil adhuc ponat in esse rei, potest Deus illam cognoscere, & ab æterno ad individuum determinare affective, in tempore vero absolute & executive illud individuum determinare ad existendum per eandem actionem, qua creatura ad existendum determinat speciem. Ad confirm. dist. ant. non est perceptibile quomodo creatura determinet ad speciem conditionate, antequam Deus determinet ad individuum, neg. ant. quomodo creatura determinet ad speciem absolute, antequam Deus determinet ad individuum, conc. ant. sed nego suppositum, quod creatura prius ad speciem absolute determinet.

De decreto legislativo, præceptivo, & alligativo voluntatis posterorum ad voluntatem Adami.

Quia peccatum actuale a theologis communiter ex D. Augustino lib. 22 contra Faustum cap. 27. definitur, quod sit dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam, & attenta hac definitione forma denominans peccatum consistit in difformitate aut contrarietate actus cum lege Divina, videtur lex Dei constituere peccatum, & actum primum proximum libertatis creatæ in ordine ad peccandum. Idem videtur dicendum de actu bono, cujus forma denominans est conformitas cum lege Divina. Accedit, quod actus obedientiæ præceptum superioris respiciat tanquam suum motivum, quod non solum movet ut sit, sicut causa finalis, sed quia est, & per modum causæ moralis, quæ juxta com- 495

munem eſt prior natura ad actúm, ad quem movet, unde S. Thomas 2. 2. quæſt. 2 art. 5 ad tertium docet voluntatem præcipientis eſſe proprie, & per ſe objectum obedientiæ.

496 Verum iſta non cogunt, ut propterea decretum legislativum aut præceptivum virtualiter ab aliis decretis diſtinguamus; quippe affirmatis reliquis ad libertatem creatam requiſitis, & ſimul affirmata ſola cognitione præcepti legislativi aut præceptivi jam affirmatur completa libertas in actu primo tum ad peccandum, tum ad bene agendum, & obediendum: ergo ſola legis ſeu decreti Divini cognitio, non vero ipſa lex & decretum debet conſtituere actum primum proximum creaturæ liberum. Neque forma denominans actum bonum vel malum conſiſtit in conformitate vel difformitate formali cum lege, ſed in conformitate aut difformitate radicali, per quam hic nihil aliud intelligitur, quam conformitas aut difformitas actus cum cognitione legis, ſive cum dictamine conſcientiæ proponente legem obligantem, tanquam objectum actui primo proximo extrinſecum, ut adeo tota & adæquata ratio denominans actum bonum vel malum affirmetur affirmato actu primo proximo libero, cum advertentia ad legem obligantem, & ipſo actu ſecundo.

497 Quod objectum motivum obedientiæ attinet, communiſſima doctrina theologorum, & ipſius S. Thomæ 2. 2 quæſt. 104 art. 3 in corp. eſt, objectum formale quod, & immediatum virtutum moralium eſſe ipſam honeſtatem, quæ in exercitio ejusdem virtutis relucet, e. g. ipſam honeſtatem, quæ relucet ex eo, quod ſubditus præcepto ſuperioris obediat. Poteſt quidem præceptum adhuc dici objectum formale quo mediatum, & indirectum obedientiæ, in quantum in præcepto honeſtas obedientiæ fundatur, & mediante illo naſcitur. At ideo præceptum non debet conſtituere actum primum pro-

proximum liberum, ſed ſufficit, ſi indirecte ab operante cognoſcatur, vel ſupponatur ex parte actus primi remoti. Certe non omne, quod eſt natura prius ad alterum, ſtatim ideo conſtituit actum primum proximum ad illud, niſi etiam proxime & immediate ad alterum determinet. Sic decretum prædefinitivum eſt natura prius ad actus ſalutares actu exiſtentes, quin conſtituat actum primum proximum ad illos; quia videlicet tantum eſt cauſa remota & mediata actuum ſalutarium.

Neque dicas 1. Non poteſt affirmari cognitio 498
legis, quin affirmetur lex: ergo ſi cognitio legis conſtituit libertatem creatam, eandem etiam conſtituit lex. 2. Cognitio legis Divinæ debet eſſe vera, & ſæpe eſt ſupernaturalis; ſed cognitio legis vera partialiter conſtituitur per ipſam legem: ergo. 3. Lex eſt pars intrinſeca hujus denominationis: lex obligans in actu ſecundo: ergo. Reſp. ad 1, diſt. ant. non poteſt affirmari cognitio legis, quin affirmetur lex in obliquo tanquam terminus extrinſecus, conc. ant. in recto, & tanquam pars cognitionis, neg. ant. & conſ. alias quodvis objectum cognitum eſſet pars cognitionis, quæ tamen adæquate eſt actus vitalis. Ad 2. tranſ. maj. quæ non eſt univerſaliter vera, diſt. min. cognitio vera denominative ſumpta partialiter conſtituitur per legem, neg. min. quidditative ſumpta, conc. min. ſed nego ſuppoſitum, quod cognitio vera quidditative ſumpta conſtituat libertatem creatam. Ad 3 conc. ant. neg. conſ. cognitio non debet repræſentare legem in actu ſecundo obligantem qua talem, ſed modo illam repræſentet ſecundum ſe: per hoc ipſum lex fit in actu ſecundo obligans.

Per decretum alligativum intelligitur illud, quo 499
Deus Adamum conſtituit caput morale totius generis humani, & in ordine ad præceptum de non

comedendo pomo omnium posterorum voluntates ita ejus voluntati alligavit, ut, quod ageret Adamus, moraliter etiam nostrum fieret, qua ratione in nos transfusum fuit peccatum originale. Quod hoc decretum non debuerit constituere libertatem Adami ad illud peccatum, prout fuit personale & soli Adamo proprium, facile colligitur ex dictis, neque sufficiens apparet fundamentum, quare Deus hoc decretum non potuerit concipere in eodem prorsus signo quasi naturæ, quo decrevit peccatum Adami permittere etiam prout moraliter fuit nostrum. Restat nihilominus specialis difficultas in eo, an decretum alligativum non deberet constituere libertatem Adami ut capitis moralis posterorum, & moraliter nostram; si enim hanc libertatem constituit, decretum alligativum debuit esse intrinsece indifferens, & inconnexum cum peccato originali (alias Adamus necessario peccasset) adeoque virtualiter est distinctum ab aliis decretis præsertim permissivo peccati originalis.

500 Et vero quod decretum alligativum debuerit constituere libertatem Adami ut moraliter nostram, efficaciter videtur probari hac ratione, quia ex una parte supposito decreto alligativo fuit in libera potestate Adami ut capitis moralis ponere vel non ponere peccatum originale ut infectivum posterorum: ex altera parte potestas ita ponendi peccatum originale non tantum fuit constituta per cognitionem, qua Adamus decretum alligativum cognovit: ergo ipsum decretum alligativum debuit constituere libertatem Adami ut moraliter nostram. ant. prob. a pari; sic ut Petrus revera sit tutor alicujus pupilli, & ejus voluntas moraliter ipsa voluntas pupilli, non sufficit, quod Petrus cognoscat decretum principis vel reipublicæ, sed in ratione tutoris debet constitui per ipsum decretum, quo dein posito habet liberam potestatem ita administrandi res pupilli, ut

ejus

ejus voluntas de ſe ſit moraliter voluntas pupilli. Imo non facile probabitur, quod Deus non potuiſſet noſtram voluntatem voluntati Adami alligare, quin hoc decretum alligativum Adamo manifeſtaſſet.

De decreto mittendi Chriſtum redemptorem, permittendi peccatum originale & eximendi B. Virginem.

Quia juxta communiorem doctrinam Recentio- 501
rum B. Virgo non contraxit debitum proximum peccati originalis, adeoque non fuit incluſa illi pacto univerſali, quod Deus cum Adamo iniit; ſed ab eodem exempta propter meritaChriſti,& quidem patientis, atque mortem illius præviſam, non modica exſurgit difficultas, quo ordine hæc omnia Deus decreverit, ſive dicatur Chriſtum Adamo non peccante fuiſſe venturum, ſive non venturum, item ſive inter decreta Divina admittatur ſucceſſio ſignorum quaſi naturæ, ſive illa negetur; quippe cum nos ea, quæ Deus unico virtualiter indiviſibili decreto ſtatuit, nec unico cogitatu concipere, nec uno verbo proferre poſſimus, debemus ſecundum noſtrum intelligendi modum, varia rationis ſigna diſtinguere, & indiviſibilem actum Divinum concipere prius, prout tendit in unum objectum, quam prout tendit in aliud, idque non mere arbitrarie fingendo, ſed cum fundamento in re, quod actus Divinus præbet, quatenus unum objectum vult eſſe propter aliud.

Ad hanc difficultatem complanandam,auctores, 502
qui nullam ſucceſſionem ſignorum quaſi naturæ admittunt, triplicem potiſſimum modum excogitarunt. Juxta primum Deus inſtructus ſcientia ſimplicis intelligentiæ & media de omnibus, quæ Adamus, Chriſtus, B. Virgo &c. ſub hac vel illa hy-

 potheſi

pothesi essent acturi, unico etiam virtualiter indivisibili decreto juxta nostrum modum concipiendi statuit. 1. Volo condere mundum, & in eo producere Adamum cum hoc determinato numero hominum ab ipso descendentium. 2. Volo alligare voluntati Adami voluntatem posterorum in ordine ad præceptum non comedendi de fructu vetito. Excipio tamen hanc virginem Mariam, & quidem propter merita, & mortem Christi redemptoris, si hic sit venturus, & illa eligenda in ipsius matrem. 3. Volo permittere peccatum Adami infectivum posterorum. 4. Volo in remedium hujus peccati mittere Christum, prædefinire illius merita & mortem, ac in matrem illius eligere Mariam Virginem. In quo decreto licet B. Virgo a peccato Adami in secundo signo tantum fuerit excepta conditionate, tamen in tertio signo, quo permissum, & absolute prævisum fuit peccatum originale, non potuit prævideri peccatura, & in quarto omnino ac absolute a pacto cum Adamo inito excepta fuit.

503 Alter modus est illorum, qui Christum ut redemptorem statim concipiunt in primo signo rationis, attamen conditionate hac serie. 1. Volo mittere Christum in carne passibili ut redemptorem humani generis, siquidem Adamus, & posteri in ipso sint absolute peccaturi. 2. Volo condere Adamum & hunc numerum posterorum, atque inter illos etiam Virginem Mariam. 3. Volo alligare voluntati Adami voluntatem posterorum; excipio tamen hanc Virginem Mariam, & quidem propter merita & mortem Christi, si hic sit venturus & illa eligenda in ipsius matrem. 4. Volo permittere peccatum Adami infectivum posterorum, non tamen virginis Mariæ, quam in matrem Christi redemptoris eligo. Si utrique huic modo opponas, quod una vel altera formalitas decreti concipiatur tendere sub conditione, quod aliqua res sit absolute futura, cum tamen in com-

complexo ex ſcientia media directa de Adami peccato conditionate ſub hac libertate futuro, & ex ſcientia media reflexa, qua Deus vidit, quod hanc libertatem nihilominus Adamo eſſet collaturus, & Chriſtum miſſurus ad redemptionem, Deus abſolute jam ſciverit fore, ut Adamus abſolute ſit peccaturus, & Chriſtus ut redemptor venturus.

Reſpondetur non eſſe abſurdum, quod aliqua 504
formalitas decreti concipiatur ſub conditione, etſi res aliqua ſit abſolute futura, modo illa conditio in ſignis præcedentibus formalitatem conditionatam, aut in ipſo ſigno, quod concipitur eſſe conditionatum, nondum intelligatur purificata; tunc enim in ſigno conditionato nondum concipitur dari ſcientia viſionis de illa alia re abſolute futura: ergo absque inconvenienti formalitas illa decreti poteſt adhuc concipi ut ſtatuens aliquid ſub conditione illius alterius rei abſolute futuræ. Videtur hoc ab omnibus debere admitti in decreto alligativo, in quo Deus voluntates poſterorum voluntati Adami alligavit ſub hac conditione & pacto, ut ſi Adam ſit obſervaturus præceptum, juſtitiam originalem, & gratiam divinam poſteris transmittat; ſi vero præceptum ſit transgreſſurus, & ſibi & illis hæc bona perdat; quia nempe Deus in illo ſigno nondum habuit ſcientiam viſionis de peccato Adami. Porro decreta Divina non diriguntur a complexo ex ſcientia media reflexa & directa, ſed a ſola ſcientia media directa, per quam Deus nondum abſolute prævidit, quod hæc libertas Adamo ſit conferenda, ille peccaturus, & Chriſtus ut redemptor venturus.

Nihilominus ut etiam huic incommodo, quan- 505
tum fieri poteſt, mederentur alii, tertio ſtatuunt hæc ſigna decreti Divini. 1. Volo mittere Chriſtum tanquam redemptorem in carne paſſibili, ejusque merita ac mortem prædefinire in remedium peccati ori-

 ginalis

ginalis, quod video ab Adamo committendum, si ipsi conferrem hanc libertatem. 2. Ob hæc merita in matrem Christi volo eligere hanc Virginem Mariam. 3. Volo insuper producere Adamum, & hos illius posteros, eorumque voluntates alligare voluntati Adami in ordine ad præceptum de fructu vetito; excepta tamen ob merita Christi illius matre. 4. Volo Adamo conferre hanc libertatem, & permittere ipsius lapsum in peccatum originale. Hic modus duobus prioribus videtur esse præferendus; quia aptior ad explicandos illos textus Scripturæ & SS. Patrum, in quibus Christus dicitur primogenitus, creaturarum caput, finis & sanctificator omnium. Accedit, quod aliunde constet, objecta sæpe longo alio ordine decerni, quam a parte rei invicem succedunt, & juxta commune axioma finis sit primum in intentione, ultimum in executione.

506 Præterea posito hoc formalitatum ordine commode explicatur. 1. Quomodo Christus etiam ut homo habuerit suum esse ante omnes creaturas; quamvis enim non fuerit primus in executione, fuit tamen hoc modo primus in intentione, ita, ut quemadmodum Apostolus ad Coloss. 1 v. 16. loquitur: *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse ante omnes.* 2. Quomodo Christus ut redemptor Adamo cæterisque suis progenitoribus, & cunctis hominibus potuerit mereri omnes gratias a Deo illis concessas; quia videlicet Christi merita, ante omnes homines fuerunt prædefinita. 3. Quomodo B. Virgo propter merita Christi statim fuerit absolute exempta a pacto cum Adamo inito; cum enim assumptio carnis quoad substantiam non necessario dependeret ab hac determinata matre, Christus ejusque merita in prima formalitate decreti merito possunt concipi, ut adhuc præcisive independentia a B. Virgine; hinc licet dein Christus ejusque merita physice exstiterint dependenter ab hac matre, non tamen

ideo

ideo Deum moverunt ad illam a peccato originali præſervandam, ſed ad hoc moverunt ut intentionaliter ac præciſive aliunde exiſtentia.

Neque dicas, quod Deus, ſi in prima forma- 507
litate decreviſſet Chriſtum ut redemptorem, debuiſſet intendere permiſſionem peccati tanquam utilem, & metaphyſice neceſſariam ad ſuum finem, vel certe quod non amplius potuiſſet velle, ut Adamus non peccet; quippe nemo ex intentione finis debet plus amare, velle aut intendere, quam neceſſarium ſit amare ad hoc, ut obtineatur finis; atqui ad hoc, ut Deus obtineret ſuum finem, nempe Chriſtum redemptorem, non fuit neceſſe, ut permiſſionem peccati amet, aut velit, quia eſt utilis & neceſſaria; ſed ſufficit, ſi præciſe peccatum permiſit, cum ſit utile & neceſſarium, præſertim quia Deus aliunde per ſcientiam mediam infallibiliter prævidit, quod Adamus libere eſſet peccaturus, quæ ſcientia cum etiam direxerit primam formalitatem decreti, & ab Adamo impediri potuiſſet, hæc prima formalitas libertati Adami nihil obſtat. Quod autem Deus poſt primam formalitatem decreti non amplius effective efficaciter potuerit velle, ut Adamus non peccet, eſt tantum neceſſitas conſequens, in quantum Deus jam in prima formalitate virtualiter voluit dare hoc auxilium, quod per ſcientiam mediam prævidit fore inefficax. Vid. etiam num. 440 & 441.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De Providentia DEI circa salutem hominum in communi.

508 PRovidentia ex Boetio lib. 4 de consol. Philosoph. pros. 6 & D. Thoma part. 1 q. 22 a. 1 in corpore describi potest, quod sit præscientia & dispositio mediorum ad finem; ille enim providus dicitur, qui non solum præsentia, sed etiam futura prospicit, & cuncta disponit, ac ordinat ad scopum vel finem, quem sibi proposuit. Disputant hic aliqui, an providentia potius spectet ad intellectum, an ad voluntatem? Res est exigui momenti, & si providentia complete sumatur, utriusque potentiæ actum involvit; quippe sicut providus non est, qui ignorat, quid ex quo sequatur, sic providus non est, qui hujus quidem gnarus id sibi curæ non habet, sed suis quæquæ motibus volvi sinit. Hinc quando SS. Patres providentiam modo ad actum voluntatis, modo ad actum intellectus referunt, intelligendi sunt de providentia incomplete accepta.

509 Dividitur providentia in physicam & moralem, hac solæ creaturæ rationales, & liberæ, illa etiam cæteræ res totius mundi gubernantur, & ad finem sibi proprium deducuntur. Providentia moralis subdividitur in naturalem & supernaturalem. Naturalis est, qua Deus creaturas rationales per media naturalia dirigit, in finem aliquem naturalem. Supernaturalis est, qua illos per media supernaturalia, e.g. fidem, spem, charitatem ordinat in finem supernaturalem, nempe æternam in cœlis beatitudinem. Hæc rursus duplex est, alia communis & sufficientiæ, quam Deus etiam habet erga reprobos dando illis media sufficientia ad salutem. Alia est specialis & efficaciæ, quam habet erga electos, quibus non solum

lum dat media ſufficientia, ſed etiam congrua & efficacia. Providentia ſpecialis alio adhuc modo dividitur in illam, quæ eſt ſalvandorum, & dicitur prædeſtinatio, & in illam quæ eſt damnandorum, & dicitur reprobatio. De hac agemus diſputatione ſequente.

QUÆSTIO I.

An in DEO detur providentia circa omnes res?

PRæter Democritum,Epicurum,Protagoram,Diagoram, aliosque atheos contra providentiam Dei generalem errarunt imprimis illi, qui Deo ſcientiam ſive conditionate, ſive abſolute futurorum abnegarunt. Dein Euripides, qui cum Menandro apud Nemeſium lib. de facultate animæ cap. 44 dixit, mentem, quæ in unoquoque eſt, cuique providere, numen nemini. Empedocles, qui teſte Ariſtotele 2 phyſic. dixit, multa caſu facta eſſe. Plato, qui rerum ſingularum ac corruptibilium productionem & gubernationem diis ſecundis, quos angelos appellavit, tribuit, exiſtimans, Deum principem ſolis idæis atque univerſalibus invigilare. Ex hæreticis Manichæi & Priſcilianiſtæ, qui ex influxu ſyderum fatalem neceſſitatem in operationes hominum deduxerunt. Baſilides & Valentinus docentes, dari homines ex natura ſua ſalvos, & alios viciſſim reprobos. Denique omnes illi, qui ut part. 1 diſp. 1 q. 4 narravimus plures deos ac prima rerum principia admiſerunt, & rerum gubernationem inter illos diviſerunt. 510

De voluntate Dei ſalvandi omnes homines male ſenſerunt Pelagiani & Semipelagiani, aſſerentes, Deum quidem velle omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi velint: ſed hæc voluntas juxta Pelagianos ſolis naturæ viribus, juxta Semipelagianos quibusdam 511

dam initiis seu naturæ conatibus & naturalibus fidei exordiis est adscribenda ; ita, ut nisi ipsi homines peterent, quærerent, pulsarent, Deus illos salvare non posset. Præterea Semipelagiani negarunt Deum habere voluntatem peculiariter benevolam & amanter efficacem circa salutem eorum, qui salvi fiunt, sed voluntatem Dei esse universalem, indifferentem & æqualem circa salutem omnium. Hinc omnibus æqualia tantum media ad salutem consequendam esse præparata nempe naturam rationis compotem, liberum arbitrium, legem &c. porro motivum largiendi gratiam supernaturalem esse ipsa bona opera, quæ Deus prævidet dependenter a gratia esse conditionate futura.

512 Calvinus quoque opere de æterna prædestinatione, & libro de occulta Dei providentia passim docuit, Deum nolle omnes homines salvos fieri. Idem argumentum rursus versat libr. 3 Instit. cap. 24, ubi voluntatem Divinam salvandi homines ad solos electos restringit. In eo tamen non satis sibi constare videtur, an voluntas illa, qua Deus juxta illius mentem non vult omnes homines salvos fieri, sit prior vel posterior prævisione peccati originalis. Unde inter Calvinianos duæ sectæ sunt ortæ, una Antelapsariorum, sic dicta, quod doceat Deum ante lapsum hominis alios ad vitam, alios ad æternam mortem prædestinasse. Altera dicta Postlapsariorum; quia docet, Deum duntaxat post lapsum hominis & præsupposito peccato originali aliquos nolle salvos fieri, & æternis suppliciis addicere. Posterior hæc secta inter Calvinistas communior est; quia illis ipsis prima videtur nimis dura & acerba.

513 Doctrinam Calvini secutus est Jansenius quoad hoc, quod Deus post lapsum Adami non ita serio velit omnium hominum salutem, ut iisdem largiatur gratias vere sufficientes, quibus possent concupiscen-

piſcentiam vincere, & ſalutem obtinere, ſed voluntatem antecedentem poſt lapſum Adami eſſe nudam quamdam velleitatem, quam Deus etiam habeat circa homines & angelos jam damnatos, ut docet lib. 2 de fide orthodoxa cap. 29. At hanc doctrinam de facto Janſeniſtæ tam variis æquivocationibus & obſcuris phraſibus involvunt, ut incautos facile decipiant; ſi enim ex illis quæras, an Deus omnes homines voluntate antecedente velit ſalvos fieri? haud gravate affirmabunt. Sed 1. to omnes tantum accipient in ſenſu accommodo, vel pro generibus ſingulorum. 2. Per voluntatem antecedentem intelligent ſolam voluntatem ſigni, vel voluntatem beneplaciti, prout fertur in hominem ante lapſum. 3. Imo concedent, Deum etiam poſt lapſum omni homini dare gratias ſufficientes ad ſalutem: at quæ juxta Janſeniſtas ſunt tam parvæ, ut homo in illis circumſtantiis, in quibus ipſi conceduntur, oppoſitam concupiſcentiam nullatenus vincere valeat.

Quod jam providentiam Dei generalem attinet, 514
conſtans omnium SS. Patrum & totius Eccleſiæ fuit doctrina, quod Deus omnium rerum, quæ ſunt in hoc mundo, providentiſſimam curam gerat, idque patet ex clariſſimis ſcripturæ teſtimoniis. Sic Sap. 6 v. 8 dicitur: *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* Ibidem cap. 8 v. 1: *Attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Cap. 11 v. 21: *Omnia in menſura, pondere & numero diſpoſuiſti.* Idem ſpecialiter de homine probavit Chriſtus Matth. 6 v. 26 & 28. ex paritate cum volatilibus cœli & liliis agri. Cap. 10 v. 20 ex paritate cum paſſeribus, Lucæ 12 v. 24 ex paritate cum corvis. Teſtamentum quoque vetus ſpecialis providentiæ exemplis plenum eſt. Ad hanc pertinent Dei præcepta & conſilia, præmia, quibus invitat ad bonum, & minæ, quibus abſterret a malo; hinc Eccleſiaſtes cap. 5 v. 5 ſaluberrime monet:

Ne

Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram angelo: non est providentia: ne forte iratus DEUS contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.

515 Profecto siquis ordinatissimam orbis machinam ex tam diversis inter se pugnantibus entium speciebus constructam, & nihilominus tanto tempore stabili lege, ac ordine conservatam vel obiter consideraverit, evidenter ex illa agnoscet summe providum auctorem ac gubernatorem, ut pluribus ostendi part. 1 disp. 1 q. 3, ex quibus ulterius ita arguo: Ex una parte Deus omnia entia, quæcunque existunt, perfectissime cognoscit: ex altera parte omnia illa produxit, & perpetuo conservat: ergo etiam omnibus & singulis providet; cum enim Deus sit agens perfectissimum, de cujus ratione est cuncta ordinare ad suos fines, scientia & causalitas Dei se non extendit ulterius, quam ejus providentia; alias quia res creatæ sibi ipsis providere nequeunt, oriretur mera confusio. Jam vero, *Quis operator*, inquit S. Ambros. lib. de offic. cap. 13, *negligit operis sui curam? quis deserat, & destituat, quod ipse condendum putavit?*

516 Colliges 1. Ad providentiam Dei spectare res etiam minimas, volatilia cœli, lilia agri, fœnum &c. quibus omnibus sapientissime providet, easque ad fines suos dirigit. 2. Peccata non quidem per se ac primario, sed supposito, quod homines illa libere committant. *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum*, ajebat ad suos fratres Joseph Genes. 50 v. 20. Idem est de injustitia sceleratorum, crudelitate tyrannorum, quæ Deus permittit ad probos exercendos, martyres coronandos &c. 3. Quod nihil respectu Dei sit casuale; quæ enim fortuita nobis videntur, Deo dirigente accidunt, cujus rei illustrissimum documentum habemus in historia Josephi, & prædictionibus rerum

futu-

futurarum. Hinc Pfalm. 32 v. 10 dicitur, Deum esse, *qui dissipat consilia gentium, & reprobat cogitationes populorum* 4. Quod multo minus res humanæ eveniant ex fatali necessitate; quia alioquin funditus rueret libertas humana, qua fublata nullum amplius esset discrimen virtutis & vitii, nemo præmio vel laude dignus, inde projecta in omne facinus audacia, rerum politicarum fumma confusio, neglectus omnis cultus Divini. *Si Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil de religione satagendum,* inquit S. Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 17.

Dices. Deus non providet rebus omnibus; 517
nam Apostolus 1 Cor. 9 v. 9 ait: *Nunquid de bobus cura est DEO?* Ecclesiasticus cap. 15 v. 14: *quod DEUS reliquerit hominem in manu consilii sui.* David Pfalm. 80 v. 13: *quod impios dimiserit secundum desideria cordis eorum.* Jeremias cap. 51 v. 9 in persona angelorum custodum inquit: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Resp. dist. ant. Deus non providet omnibus rebus cura speciali, conc. ant. generali, neg. ant. S. Paulus non negat Deum curare boves, sed ex eo, quod bovi trituranti de pabulo provideat, infert, multo minus prædicatoribus verbi Divini defore victum necessarium. Ecclesiasticus solum indicat, quod homo habeat libertatem ad bonum & malum. Interim Deus bonum præcipit, & malum prohibet. David malis denuntiat subtractionem singularis illius protectionis & gratiarum, quibus Deus justos & præcipue electos protegit. Angeli denique ex justo Dei judicio permittunt quidem refractarios clientes suos quandoque cadere in culpam vel pœnam, non tamen illos penitus deserunt, ut locum objectum explicat S. Thomas q. 5 de verit. art. 7 ad 2.

518 Dices ulterius. Quidquid eſt in Deo, eſt æternum; ſed providentia non eſt æterna; eſt enim circa res exiſtentes, quæ non fuerunt ab æterno. 2. Quæ ex neceſſitate eveniunt, non indigent providentia; ſed in hoc mundo multa ex neceſſitate eveniunt: ergo. 3. Ad providentiam pertinet, ut quis conſequatur ſuum finem; ſed Deus ſæpe non conſequitur ſuum finem, ut patet in reprobis, quos ad finem ſupernaturalem ordinavit. Reſp. conc. maj. diſt. min. providentia non eſt æterna quoad executionem, conc. min. quoad rationem ordinis, neg. min. Ad curam alicujus rei duo pertinent, ratio ordinis, quæ dicitur providentia, & executio ordinis, quæ dicitur gubernatio; hæc eſt temporalis, illa æterna. Ad 2. diſt. maj. non indigent providentia humana, conc. maj. Divina, neg. maj. nam etiam quæ in creatis neceſſario fiunt, potentiæ ac liberæ diſpoſitioni Divinæ ſubjecta ſunt. Ad 3. conc. maj. neg. min. Deus reprobos ordinat quidem ad beatitudinem tanquam finem ipſis propoſitum, attamen hunc finem efficaciter non intendit, ſed potius manifeſtationem ſuæ juſtitiæ, in quam ex propria culpa incidunt.

QUÆSTIO II.

An DEUS ſerio velit omnes & ſingulos homines ſalvos fieri?

519 QUæſtio hæc potiſſimum procedit de ſtatu naturæ lapſæ, & voluntate Dei antecedente, non tantum externa & ſterili, quam num. 367 vocavimus voluntatem ſigni, ſed interna vera & formali, ſeu de voluntate beneplaciti; nam 1. quamvis aliqui negaverint, Deum etiam in ſtatu primæ innocentiæ voluiſſe omnes homines & angelos ſalvos fieri, modo tamen plerique hæretici id ultro fatentur. 2. Quod Deus omnium hominum ſalutem velit

velit, saltem voluntate signi, manifestum est ex eo, quia omnibus præcipit, ut salutem quærant, bonum operentur, & peccata, quæ a vita æterna excludunt, solicite vitent. Imo nisi hæc volitio Dei esset seria, nemo ob neglectum propriæ salutis culpandus foret. 3. Quod Deus non velit omnes homines salvos esse voluntate consequente & efficaci; hæc enim semper impletur, certum autem est non omnes homines salvos fieri; *nam multi vocati, pauci electi.* Matth. 20 v. 26.

Dicendum. Deus voluntate beneplaciti & seria 520
vult omnes & singulos homines, licet in Adamo lapsos, salvos fieri. Probatur 1 ex illis textibus Scripturæ, in quibus Deus sæpe protestatur, se fecisse omnia, quæ debuit, pro salute hominum, se nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Sic Ezech. 33 v. 11: *Vivo ego, dicit Dominus DEUS, nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua & vivat.* 2 Petri 3 v. 9: *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Præcipue tamen voluntatem Dei generalem salvandi omnes expressit S. Paulus 1 ad Timoth. 2 v. 1 & seq. *Obsecro igitur primum fieri obsecrationes, orationes - - pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt &c. hoc enim bonum est, & acceptum coram salvatore nostro DEO, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: unus enim DEUS omnium, unus mediator DEI & hominum homo Christus JEsus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Ubi vides, quod imprimis Apostolus loquatur de hominibus defacto existentibus, adeoque in Adamo lapsis. 2. De omnibus nullo excepto sicut pro omnibus etiam infidelibus, quales tunc erant principes, orandum est; quia, ut ait, *unus omnium DEUS.*

Probatur 2 auctoritate Patrum, ex quibus im- 521
primis S. Augustinus lib. de spirit. & litter. cap. 33

versans quæstionem, quare non omnes accipiant donum Dei, cum Deus velit omnes salvos fieri, ex propria sua mente, non Semipelagianorum sententia, ut fingunt Janseniftæ, ita respondet: *Vult autem DEUS omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur, quod cum sit, infideles quidem contra voluntatem DEI faciunt &c.* ergo juxta S. Doctorem voluntas Dei salvandi se etiam extendit ad infideles, imo ad omnes, qui libero arbitrio bene vel male utuntur. S. Prosper ad secundam objectionem Vincentianam, ut contra Semipelagianorum calumnias se defendat, ait: *Sincerissime credendum, atque profitendum est, DEUM velle, ut omnes homines salvi fiant; siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, solicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut DEO pro omnibus hominibus supplicetur.* Similia habent alii Patres præsertim S. Hieronymus in cap. 1 epist. ad Ephes.

522 Probatur conclusio 3. Ex una parte, quando Deus affirmat, se aliquid velle, dicendum est, quod id vere, & sincere velit, nisi forte ipsemet alio signo contrarium declaraverit, uti contigit, quando noluit re ipsa Isaac immolari, prout jusserat: ex altera parte nisi Deus serio vellet omnes homines salvos fieri, periret fundamentum spei nostræ; si enim non essem certus, quod Deus, quantum est in se, me velit salvum, non possem ab ipso firmissime sperare auxilia sufficientia, sed merito timerem, ne sim inter illos, quos solo suo beneplacito vult exclusos a regno cœlorum, præsertim, quia plures sunt reprobi quam electi; atqui Deus sæpe affirmavit, quod velit omnes homines salvos fieri, præfixit omnibus hunc finem, & præscripsit media illum consequendi, ut ex dictis patet, & insuper *regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem JEsu Chri-*

Christi, ut testatur S. Petrus epist. 1 cap. 1 v. 3. Conf. Deus voluit salvare Adamum peccati originalis auctorem : ergo merito credimus, quod beneficam hanc voluntatem ad omnes ejus posteros extendat.

Objectiones.

Obj. 1. Ex una parte aliunde constat, quod vox 523
omnes in Scriptura sæpe sumatur tantum pro aliquibus; ut cum Genes. 6 v. 12 dicitur: *Omnis caro corruperat viam suam*, & Psalm. 13 v. 3: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*: ex altera parte multi sunt infideles, & barbari, qui non habent gratias sufficientes ad salutem : ergo ex Scriptura non probatur, quod Deus omnes, & singulos velit salvos fieri. Conf. Quidam ex Catholicis docent, quod Deus peccatoribus obduratis deneget gratias sufficientes : ergo. Resp. transf. ant. quoad 1 membrum, neg. quoad secundum. Gentes barbaræ, & infideles ex ipso lumine naturæ agnoscunt Deum, & legem naturalem, quam si observant, &, quod est in se, faciunt, Deus ipsis non denegat ulteriores gratias ad salutem necessarias. Porro an vox *omnes* debeat sumi absolute, vel accommode, ex subjecta materia, auctoritate Patrum, & aliis circumstantiis determinari debet, quæ hic manifeste nobis favent. Ad conf. transf. ant. neg. conf. Illi auctores condendunt, ejusmodi peccatores jam esse a Deo derelictos. Interim ipsimet tanquam certum tenent, quod Deus antea ipsis non negaverit gratias sufficientes, & quidem tamdiu, quamdiu illos adhuc obligavit, ut sperent, & salutem suam operentur.

Dices 1. Ipsa Scriptura negat, quod omnes ho- 524
mines possint salutem consequi; *non enim est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, ad Rom. 9 v. 16. Hinc Malach. 1 v. 2 DEUS inquit: *Jacob*

cob dilexi, Esau autem odio habui. Imo aliqui dicuntur a Deo indurati, excæcati, relicti sine auxilio : ergo. Resp. neg. ant. Textus ad Rom. tantum significat, quod nihil conducens ad vitam æternam possimus facere sine gratia. In altero textu sermo est de bonis temporalibus, de quibus v. 3 statim subjungitur : *& posui montes Esau in solitudinem , & hæreditatem ejus inter dracones deserti.* Vel solum fit comparatio, quod scilicet Deus Jacob magis dilexerit, quam Esau ; nam cum Hebræi careant comparativis, sæpe, quod dicere volunt esse minus, dicunt esse nihil, ut advertit Sfondrati in Nodo soluto part. 1. Certe S. Augustinus lib. 1 ad Simplicianum q. 2 ait : *Quod DEUS etiam velle, & currere vocando Esau præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Quod si Deus aliquos excæcavit, & obduravit, id tantum fecit negative, & voluntate consequente, ut explicari solet in tract. de peccatis, & gratia.

525 Dices 2. S. Fulgentius lib. de Incarnat. & Grat. cap. 29 ait : *Illud vero apostolicum, ubi dicitur de DEO, qui vult omnes homines salvos fieri &c. non sicut oportet, intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, sicut in vasis misericordiæ, sic etiam in vasis iræ accipiendam existimant, minus considerantes veracissimam Scripturæ sententiam, quæ Divinæ commendans omnipotentiam voluntatis : omnia, inquit, quæcunque voluit, fecit.* Conf. Si Deus vellet salutem hominum, quantum est in se, vellet illam efficaciter : ergo. Resp. S. Fulgentius hic agit contra Pelagianos, & Semipelagianos, qui dicebant, Deum omnes homines æqualiter, adeoque absolute, & ita efficaciter velle salvos facere, sicut id vult respectu electorum. Hanc jam voluntatem efficacem, & absolutam reprehendit tanquam injuriosam omnipotentiæ Divinæ, quæ tali modo etiam, quando aliquid absolute vult, posset frustrari. *Quid enim hi,* subjungit postea, *cum interrogati fuerint, cur non omnes*

omnes salvi fiant, respondebunt? Ad conf. Per hæc verba, *quantum est in se*, non intelligimus voluntatem ex parte volentis omnino absolute efficacem, ut Semipelagiani, sed sinceram, & seriam, ita, ut per Deum non stet, quod effectus non sequatur, quia omnibus sufficientia dat media.

Obj. 2. S. Augustinus in sententiam Pauli: *Qui* 526
vult omnes homines salvos fieri &c. varias profert expositiones, alienas a generali voluntate omnes salvandi; nam in Enchirid. cap. 103 illam accipit in sensu accommodo, in quantum nullus fit salvus, nisi quem Deus voluit salvum fieri. Lib. de corrept. & grat. cap. 14 de generibus singulorum, in quantum ex quolibet statu hominum, regum, privatorum, nobilium, ignobilium &c. aliqui salvantur. Eodem lib. cap. 15 de voluntate tantum causali, in quantum vult, ut nos omnium salutem velimus, & facit, ut sancti illam velint: ergo. Resp. dist. ant. Profert expositiones ita alienas a voluntate generali, ut illam excludant, neg. ant. ut illam non excludant, conc. ant. & neg. conf. S. Augustinus ad summum admittit, quod voluntas salvandi omnes homines dupliciter possit accipi, nempe vel pro absolute efficaci, vel pro inefficaci, attamen seria: priorem expositionem adhibet contra Semipelagianos ad solvendas illorum objectiones; posteriorem, quando ex propria sententia de hac materia disputat. Ex quibus facile patet, quod neutra ex allatis expositionibus alteram excludat.

Dices 1. S. Doctor lib. de corrept. & grat. cap. 527
14 sententiam Apostoli expresse restringit ad solos prædestinatos, & Pelagianos, ac Semipelagianos sæpe redarguit, quod in Deo admittant voluntatem generalem pro salute omnium: ergo. Conf. Alias interpretationes sæpius, nostram tantum semel adduxit, nempe in lib. de spirit. & litter. qui in editione Lovaniensi nequidem inter opera Augustini

de gratia reperitur. Resp. dist. ant. restringit ad solos prædestinatos intellectam in sensu Pelagiano de voluntate absolute efficaci, conc. ant. intellectam in sensu Catholico de voluntate inefficaci. sed seria, neg. ant. *Dictum est*, inquit S. Doctor cap. cit. *omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes prædestinati; non est itaque dubitandum, voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere.* Ad conf. neg. ant. Nostram expositionem etiam adhibet in lib. de catechizandis rudibus, & in omnibus locis, in quibus crebro docet, Deum omnibus dare gratias sufficientes, & Christum pro salute omnium mortuum esse: quod autem liber de spirit. & litter. in editione Lovaniensi omissus fuerit, typographi incuria factum.

528. Dices 2. S. Augustinus in eodem libro cap. cit. universim docet, quod non detur in Deo voluntas inefficax, & nihil indignius sit, quam quod voluntas humana possit voluntati Divinæ resistere. Conf. Pelagiani, & Semipelagiani non fuere tam stupidi, ut dixerint voluntatem Dei absolutam, & efficacem posse aliquando frustrari: ergo. Resp. dist. ant. Quod non detur in Deo voluntas inefficax omnino absoluta, & consequens, conc. ant. antecedens & ex parte creaturæ conditionata, neg. ant. Augustinus in his locis unice intentus erat confutando errori Pelagianorum & Semipelagianorum, qui ferre non poterant decretum prædestinationis absolutum, blasphemantes, prædestinationem ita dependere a viribus pure naturalibus, ut Deus sine præviis dispositionibus liberi arbitrii nequeat hominem salvare; hinc non dari voluntatem illam omnino efficacem, & consequentem, quam juxta nos creatura potentia consequente non potest frustare. Ad conf. dist. ant. Ut dixerint, posse frustrari voluntatem Dei omnino absolutam, conc. ant. absolutam quidem, & efficacem ex parte Dei, sed conditionatam ex parte hominum, neg. ant. Pelagiani, ut diximus, volebant voluntatem Dei non minus esse

esse absolutam respectu reproborum, quam electorum, attamen ejus impletionem necessario dependere a viribus liberi arbitrii; hinc ex parte hominum esse conditionatam, & etiam ab electis frustrabilem.

Obj. 3. Voluntas Dei salvandi omnes homines 529
tantum est voluntas signi, vel aliqua simplex complacentia de eorum salute ut possibili, vel denique velleitas aliqua conditionata, sed prorsus inefficax, & sterilis, vi cujus Deus præcise vult omnes salvari, si moriantur in gratia, ut docere videtur S. Thomas 1 part. q. 19 art. 6 ad 1. Hinc in 1. distinct. 47 q. 1 art. 2 ait, quod voluntas antecedens non habeat effectum, nisi voluntas consequens adjungatur. Et alibi illam declarat exemplo judicis, qui homicidam vult vivere, quatenus est homo, quatenus vero est reus homicidii, vult eum mori, nec ipsi suppeditat media effugiendi mortem. Resp. neg. ant. Voluntas signi complacentiæ, ac mera velleitas non sunt voluntas proprie dicta, vi cujus Deus possit dici serio velle salutem hominum, sed ut ipse Jansenius advertit, talem complacentiam, & velleitatem Deus etiam potest habere de salute dæmonum. Hinc S. Thomas velleitatem in alio sensu accipit, prout nempe opponitur voluntati consequenti, sine qua non habet effectum principalem, nempe voluntatis consensum Paritas de judice non est adæquata; hinc S. Doctor voluntatem antecedentem etiam comparat voluntati mercatoris, qui certe non vult serio effugere naufragium, si, quantum est in se, non adhibet sufficientem diligentiam illud effugiendi.

Dices 1. Etiam juxta nos voluntas Dei est 530
præcise conditionata, & inefficax : ergo est magis velleitas, quam voluntas seria; quippe Deus æque habet volitionem conditionatam damnandi homines, si nempe non perseverent in gratia. Conf. Deus scit reprobos non esse salvandos, imo vult illos

damnari: ergo non poteſt ſerio velle ipſorum ſalutem. Reſp. diſt. ant. Voluntas DEI eſt præciſe conditionata, & inefficax effective reſpectu finis, tranſ. ant. affective, & reſpectu mediorum, neg. ant. & conſ. DEUS ita ſincere, & ardenter deſiderat omnium ſalutem, ut ſingulis ſuppeditet ſufficientia media; & quamvis hanc ſalutem velit aliquo modo ſub conditione perſeverantiæ finalis, non tamen per ipſum ſtat, quo minus hæc conditio purificetur, imo hanc purificationem intendit, & neutiquam intendit, aut vult, ut purificetur conditio damnationis, ſcilicet peccata, & impœnitentia finalis reproborum. Ad conſ. diſt. ant. Scit, reprobos non eſſe ſalvandos ex propria ſua culpa, & vult eorum damnationem voluntate conſequente, conc. ant. ſcit, illos non eſſe ſalvandos ob defectum ſe tenentem ex parte ſui, & vult eorum damnationem voluntate antecedente, neg. ant. &c.

581 Dices 2. Tali modo voluntas DEI ſalvandi omnes ex parte DEI eſſet abſoluta, & ſolum conditionata ex parte hominis; ſed hoc ipſum reprobavit S. Auguſtinus in Pelagianis: ergo. Conf. Si DEUS omnium hominum ſalutem vellet, & quidem ſub conditione homini libera, non amplius pro illa obtinenda deberet rogari; hoc abſurdum: ergo. Reſp. tranſ. maj. neg. min. tum quia voluntas juxta nos non eſt ita omnino abſoluta, & efficax reſpectu reproborum, ſicut reſpectu electorum; tum quia conditio, quæ datur ex parte hominis, non dependet a ſolis viribus naturæ, ſed a viribus gratiæ, quibus ſi DEUS nos non præveniret, nunquam illam poſſemus implere. Ad conf. neg. maj. DEUS adhuc rogandus eſt, ut det gratias efficaces; imo etiam inefficaces, & proxime ſufficientes non promiſit independenter a noſtris precibus, & intuitu illarum dat copioſiores. Porro ipſe Janſenius admittit, quod DEUS omnium ſalutem voluerit

ante

ante peccatum originale, proin pleraque argumenta ipsemet solvere debet, ut patebit consideranti.

Obj. 4. Providentiæ ordo est infallibils, ut docet S. Thomas hic q. 32 art. 4: ergo DEUS non potest adhibere media ad aliquem finem, quin illum consequatur; frustra enim foret intentio finis sine illius consecutione. Conf. Imprudentia est ponere media in ordine ad finem cum notitia certa de fine non assequendo: ergo. Resp. dist. ant. Providentiæ ordo est infallibilis, secundum quod est scientia, & intentio finis universalis, conc. ant. secundum quod est intentio finis particularis, subdist. si finis omnino absolute, & efficaciter intenditur, conc. ant. secus, neg. ant. & cons. Quæcunque DEUS ordinat, infallibiliter cedunt ad ipsius gloriam, & licet conferendo auxilia sufficientia non obtineat salutem hominis, hæc tamen collatio optime servit ad demonstrandam DEI bonitatem, aliaque attributa Divina. Ad conf. neg. ant. Etsi fors imprudentia foret in provisore particulari, qui non potest procurare alium finem, id non procedit de DEO, qui nec homini debet, nec vult auferre libertatem, & per intentionem illius finis, ac collationem mediorum potest procurare finem alium, nempe manifestationem suarum perfectionum. Certe Deus providentissime multa præcipit, quamvis certo videat, ea non esse observanda. 532

Dices 1. Voluntas DEI antecedens, & consequens sibi opponuntur; nam sic Deus serio vellet, & non vellet salutem reproborum. Conf. In statu naturæ lapsæ debent aliquibus decerni supplicia æterna, sicut nulli fuissent decreta in statu innocentiæ: ergo. Resp. neg. ant. Rationem additam dist. vellet, & non vellet salutem reproborum pro iisdem circumstantiis, neg. pro diversis circumstantiis, conc. Deus salutem reproborum serio vult pro circumstantiis, in quibus illi 533

coopera-

cooperarentur gratiæ Divinæ, & in gratia finali decederent: eandem ſalutem vero non vult, quatenus ipſi ex ſua culpa hæc media negligunt. Ad conf. diſt. ant. Debent aliquibus irrogari ſupplicia antecedenter ad prævifa eorum peccata, neg. ant. conſequenter, trans. ant. quare enim Deus ob infinita merita Chriſti non potuiſſet omnibus concedere gratias efficaces? Unde probatur, quod Adamo non peccante, nemo alius peccaſſet, & æternum periiſſet?

534 Dices 2. Saltem inter voluntatem DEI antecedentem, & conſequentem daretur diſtinctio virtualis; nam voluntas DEI antecedens ex parte actus primi proximi Divini non præſupponeret ſcientiam mediam, voluntas vero conſequens, utpote efficax, præſupponeret ſcientiam mediam. Conf. Si Deus aliquos homines, quos modo prædeſtinavit, prævidiſſet, non conſenſuros gratiæ finali, eos non prædeſtinaſſet, & tamen habuiſſet voluntatem antecedentem eos ſalvandi: ergo voluntas antecedens eſt ſeparabilis a conſequente. Reſp. neg. ant. Ratio addita ad ſummum probat, quod in voluntate Dei dentur duæ formalitates, quarum una a nobis concipitur inefficax, & ſuo modo independens a ſcientia media, altera vero efficax, & dependens a ſcientia media. Interim a parte rei ipſa etiam voluntas antecedens a ſcientia media dirigitur, & eſt vel reprobativa, vel prædeſtinativa, ut ſuo tempore explicabitur. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Sed tantum ſecundum terminationem contingentem non fuiſſet datum idem numero decretum, ſerio ſalvandi homines. Vide num. 478.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An Christus pro salute omnium hominum sit mortuus?

NOvatores, ut errorem quæst. præced. refutatum tueantur, eundem augent alio non minus gravi, ac pernicioso, quod videlicet Christus pretium sanguinis sui solum obtulerit pro salute prædestinatorum. Ita expresse docent Calvinus, & Jansenius. Quamquam enim videantur admittere Christum pro omnibus esse mortuum, tamen revera nihil aliud intelligunt, quam quod infinitum pretium, ac valor sanguinis Christi de se esset sufficiens pro omnibus, quod causa, propter quam mori voluit, natura videlicet humana, sit omnibus communis: quod etiam reprobis, saltem fidelibus, intuitu meritorum Christi concedantur quædam auxilia gratiæ temporalia, fides, spes, charitas temporalis. Verum punctum controversiæ stat in hoc, utrum Christus pro omnibus etiam reprobis mortuus sit eo animo, ut ipsis pretium sanguinis sui applicaverit, & cunctis impetraverit auxilia sufficientia ad gloriam cœlestem? ut adeo mors, & merita Christi sint ratio motiva, cur Deus omnes, & singulos homines etiam post lapsum Adami serio velit salvos fieri. 535

Dicendum: Christus est mortuus pro omnium, & singulorum hominum salute. Prob. 1. manifestis Scripturæ testimoniis. S. Joannes epistol. 1. cap. 2 v. 2. de Christo ait: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed totius mundi.* S. Paulus ad Rom. 8. v. 32: *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ad Thessal. 1. cap. 5. v. 9: *Non posuit nos in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum JEsum Christum, qui mortuus est pro nobis.* Atqui si 536

Chri-

Christus solum mortuus fuisset pro salute prædestinatorum, proprie non fuisset mortuus pro peccatis totius mundi, & traditus pro omnibus; neque credibile est, quod omnes Thessalonicenses, ad quos scripsit Apostolus, fuerint prædestinati. Imo S. Paulus ex hoc, quod Christus pro omnibus mortuus sit, probat, omnes in Adamo peccasse. *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus*, 2 ad Cor. 5 v. 14. Hinc concilium Nicænum in symbolo suo ita de Christo statuit: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis &c.* Concilium vero Tridentinum sess. 6 cap. 3 docet, *Christum esse mortuum etiam pro iis, qui non recipiunt beneficium mortis ejus.*

537 Prob. 2 authoritate Patrum tam Græcorum, Clementis Alexandr. Basilii, Epiphanii, Cyrilli &c. quam latinorum, Hieronymi, Ambrosii, Prosperi &c. apud Simonet, & Tournelium. S. Gregor Naz. orat. 42 vocat *Christum victimam, quæ est non exiguæ cujusdam partis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi nunquam interitura expiatio.* S. Leo serm. 1 de nativ. Domini ait: *Sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* S. Augustinus enarrat. in Psalm. 95: *Judicabit orbem terrarum in æquitate; non partem, quia non partem emit: totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit.* Et lib. 20 de civit. cap. 6: *Omnes itaque mortui sunt in peccatis nemine prorsus excepto* (præter B. Virginem) *& pro omnibus mortuis vivens mortuus est unus.* Innocentius X, Alexander VII & Clemens XI damnarunt quintam propositionem Jansenii: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Alexander VIII ordine quartam: *Dedit Christus seipsum oblationem DEO, non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus.* Item quintam: *Pagani, Judæi, hæretici, & alii hujus generis, nullum*

lum omnino recipiunt a JEsu Christo influxum ; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omne gratia sufficiente.

Colliges, quomodo ex istis de novo probetur, 538
ac roboretur seria voluntas DEI salvandi omnes homines ; *si enim Deus ita dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret,* Joannis 3 v. 16, & illum in mortem crucis traderet. Si insuper hic filius supposito jam peccato originali mortuus est pro salute omnium, & singulorum hominum, quis prudens poterit dubitare, quin Pater cœlestis salutem omnium hominum ardenter desideret, eamque omnes per Christum sperare valeant, juxta illud 1 ad Timoth. 4. v. 10 : *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium, maxime fidelium.* Certe Christus, cujus voluntas omnino erat conformis voluntati Patris, nihil fecit, nec petiit, nisi quod Pater volebat, & eo modo, quo volebat, & pro iis, pro quibus volebat : neque Pater infinitis Christi meritis quidquam ex iis, quæ petiit, denegavit. *Mediator DEUS,* inquit S. Anselmus in cap. 2 epist. 1 ad Thimoth. *quem DEUS inter se, & homines posuit, mortem pro omnibus sustinuit, ut omnes a morte redimeret, & ideo, qui non salvantur, non est, quod de DEO, vel Mediatore possint conqueri, sed de se ipsis, qui nec redemptionem, quam Mediator dedit, nec salutem, quam DEUS obtulit, voluerunt accipere.*

Objectiones.

Obj. 1. Christus in Scriptura sæpe dicitur mortuus pro multis : *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis,* Matth. 20 v. 28. *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur,* Cap. 26 v. 28 : ergo non est mortuus pro omnibus. Conf. *Familiare est Divinis eloquiis, ut* 539

ut omnes non nunquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant, ut inquit S. Fulgentius lib. de Incar. & grat.cap.31.ergo.Resp. conc.ant.neg.conf. Ejusmodi textus vel debent intelligi de applicatione mortis Christi efficaci, & consequente, vel potius τo pro multis supponit pro omnibus, seu multitudine universali, sicut quando Apostolus ad Rom. 5 v. 15. ait: *Unius delicto multi mortui sunt.* Ita respondit S. Augustinus contra Julianum lib. 2 oper.imperfect. cap. 175, ubi dicit, non repugnare omnibus multos, quia ipsi omnes non pauci, sed multi sunt. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Christus, ut ex Apostolo patet, mortuus est pro omnibus, qui mortui sunt in Adamo, & licet vox omnis quandoque significet multos; inde inepte infertur, quod nunquam significet omnino omnes. Vid. num. 523.

540 Dices 1. Scriptura testatur, Christum tantum esse mortuum pro electis; ait enim Joan. 10 v. 15, quod animam suam posuerit pro ovibus suis; Matth. 1 v. 21, quod sit salvum facturus populum suum; ad Ephes. 5 v. 25, quod se ipsum tradiderit pro sua Ecclesia; Joan. 6 v. 39, quod sit voluntas Patris, ut nullum perdat ex iis, quos ipsi dedit; Matth. 15 v. 24, se tantum esse missum ad oves, quae perierunt domus Israel; Joan. 3 v. 14, quod ideo oporteat exaltari filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat. Resp. dist. ant. Christum tantum esse mortuum pro electis, quantum ad efficacem meritorum applicationem, & assecutionem vitae aeternae, conc. ant. quantum ad sufficientem mortis illius oblationem pro salute omnium, neg. ant. Allata Scripturae testimonia in primis non negant, quod Christus etiam passus sit pro aliis ac pro omnibus. Dein Christus voluit omnes esse suas oves, populum suum, membra Ecclesiae suae &c. Denique etiam ex fidelibus non omnes sunt electi, &

& Christus ipse de Apostolis Joann. 17 v. 12 ait: *Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.*

Dices 2. Christus ipse fatetur, quod pro solis praedestinatis oraverit: *Non pro mundo rogo, sed pro eis, quos dedisti mihi*, Joann. 17 v. 9: ergo. Conf. Quando Scriptura dicit, Christum mortuum esse pro omnibus, potest intelligi vel tantum quoad sufficientiam meritorum, vel quod omnibus voluerit quidem impetrare gratias temporales, non tamen salutem. Resp. dist. ant. Quod pro solis praedestinatis oraverit speciali illa oratione, quam tunc post ultimam coenam fundebat, transf. ant. semper, neg. ant. & conf. nam eodem capite v. 20 ait: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Et Luc. 23 v. 34 oravit pro suis tortoribus: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*; ex his autem sine dubio aliqui fuerunt reprobi. Denique oravit pro illis omnibus, pro quibus missus est in hunc mundum. Ad conf. neg. ant. quia tali modo Christus nondum esset *propitiatio pro peccatis totius mundi*: non fuisset pro omnibus traditus *in acquisitionem salutis*: *in redemptionem omnium*, qui in Adamo peccaverunt. 541

Obj. 2. S. Augustinus mortem Christi variis in locis refert ad solos praedestinatos. Sic lib. 1 de adulter. conjug. cap. 115 scribit: *Sicut enim omnis, qui sanguine Christi redemptus est, homo est, non tamen omnis, qui homo est, sanguine Christi redemptus.* Tract. 52 in illa verba: *Omnia traham post me*, inquit: *Si omnia ipsi homines intelligendi sunt, omnia praedestinata ad salutem possumus dicere.* Sermone 155 de verbis Apostoli docet, quod *DEUS miserit filium suum propter praescitos, & praedestinatos justificandos, & glorificandos.* Resp. Quando S. Augustinus mortem Christi videtur referre ad solos praedestinatos, loquitur de illa, quantum ad efficacem 542

meritorum Christi applicationem, & certam vitæ æternæ consecutionem; non quasi mors Christi reprobis ex ipsa voluntate Christi non prosit ad salutem, sed quia ex propria culpa illam negligunt. Quod autem S. Doctor agnoscat sincerum, & generalem affectum Christi etiam pro reprobis, patet ex textibus in secunda probatione citatis.

543 Dices 1. Idem S. Pater tract. in epist. S. Joann. expendens illa verba: *Ipse propitiatio pro peccatis totius mundi*, ait, *per mundum significari Ecclesiam*. Lib. 21 de civit. cap. 24 in illud Apostoli: *Conclusit DEUS omnes in infidelitate, ut omnium misereatur*, inquit: *Quid est omnium? & eorum scilicet, quos ex gentibus, & eorum quos ex Judæis prædestinavit -- non omnium hominum, sed istorum neminem damnaturus*. Denique epist. 169 ad Evodium: *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus*. Resp. S. Doctor tract. in Joann. præcise intendit probare, quod omnes fideles per orbem dispersi pertineant ad Ecclesiam Christi, non tantum sectatores Donati. In lib. de civit. agit contra Misericordes, seu Origenistas, qui dicebant, mortem Christi absolute, & efficaciter extendi etiam ad damnatos aliquando a pœnis liberandos. In epist. ad Evod. probat, adultis ad salutem non esse necessariam vivacitatem intelligendi, alioquin simplices, & indocti salvari non possent. *At*, inquit, *non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus*, scilicet ex incapacitate, & sine sua culpa. Interim Apostolus 1 ad Cor. 8 v. 11. ait: *Peribit in tua scientia frater infirmus, pro quo Christus mortuus est*.

544 Dices 2. S. Hieronymus in Psalm. 43 dicit, *sanguinem agni non esse effusum pro Judæis*. S. Anselm. in Elucidario: *Christus pro solis electis mortuus est, -- nihil contulit reprobis mors Christi ob sua demerita*. Conf. S. Thomas 3 part. q. 21 art. 4 ad 2 docet,

docet, *Dominum non oraſſe pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, ſed pro ſolis prædeſtinatis.* Reſp. S. Hieronymus in cap. 5. epiſt. 2 ad Cor. de Chriſto ait: *Solus inventus eſt, qui ut immaculata hoſtia pro omnibus, qui erant in peccatis mortui, offerretur.* Similem textum ex S. Anſelmo recitavimus num. 538, proin in locis objectis uterque intelligi debet de morte Chriſti efficaci ad ſalutem reipſa conſequendam, qua reprobi ſua culpa privantur, perinde ac ſi Chriſtus pro illis non fuiſſet mortuus. Ad conf. Ex lectione illius articuli manifeſte patet, S. Thomam ibi agere de voluntate Chriſti efficaci; nam ipſe titulus, ſeu concluſio ita habet: *Cum Chriſti voluntas abſoluta DEO ſemper fuerit conformis, ſemper ejus oratio a Patre fuit exaudita.*

Obj. 3. Sæculo IX concilium Valentinum tertium ex tribus provinciis congregatum, can. 4 545
cum 19 capitulis cujusdam Joannis Scoti damnavit etiam 4 capitula concilii Cariſiaci, in quorum ultimo definiebatur, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omnino hominibus. Quam ſententiam poſtea etiam confirmavit ſynodus Lingonenſis, Tullenſis, & ipſe Nicolaus I: ergo. Reſp. Canonem quartum concilii Cariſiaci a Valentino damnatum eſſe ex errore facti, quaſi ſtatuiſſet, quod Chriſtus ex æquali affectu mortuus ſit pro omnibus, aut etiam pro liberandis (ut quidam jactabant) ab igne infernali illis impiis, qui ab exordio mundi usque ad paſſionem Domini in ſua impietate mortui, & æterna damnatione puniti ſunt; quem tamen ſenſum concilium Cariſiacum minime intendit. Viciſſim ipſum Valentinum can. 2 & quinto decrevit, omnes fideles tam reprobos, quam prædeſtinatos redemptionis gratiam a Chriſto recepiſſe. Porro hanc ſolum doctrinam cum cenſura in 19 capitula Scoti lata confirmavit ſynodus Lingonenſis, Tullenſis, & Nicolaus I, ut teſtatur Prudentius in annalibus ab Hincmaro

maro citatis epist. 24 & annalibus Bertinianis ad annum 853.

546 Dices. Hæc tria concilia, & Nicolaus Pontifex solum decreverunt, Christum esse mortuum pro omnibus credentibus : ergo. Conf. Quando Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus sæculo IX docuit, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, plurimi in Gallia se opposuerunt, nominatim Prudentius Trecensis Episcopus, Lupus abbas Ferrariensis, & Remigius Episcopus Lugdunensis : ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Qui simpliciter dicit, Christum mortuum esse pro omnibus credentibus, ideo non negat, quod etiam mortuus sit pro non credentibus. Ad conf. Qui se ita opposuere, laborarunt falsa suppositione doctrinæ Hincmari non bene intellectæ, ut quidam excusant Prudentium, & Lupum. Alii dicunt, illos nimium favisse Goteschalco prædestinatiano. Remigius ex errore facti damnavit quidem capitulum Carisiacum: at nunquam favit prædestinatianis, aut negavit Christum etiam esse mortuum pro non credentibus. Imo lib. 3 de tribus epistolis cap. 20 aperte indicat nostram doctrinam, ut videri potest apud Simonet tract. 1 disp. 8. art. 4.

547 Obj. 4. Oratio Christi nunquam fuit inanis, sed semper exaudita a Patre. *Ego sciebam*, inquit ipse Joannis 11 v. 42, *quia semper me audis*. Et ad Hebr. 5 v. 7 : *Exauditus est pro sua reverentia*; atqui hoc esset falsum, si Christus etiam orasset pro reprobis : ergo. Conf. Si Christus pro reprobis mortuus est, luit pœnas pro peccatis eorum : ergo propter illa non possunt damnari. Resp. dist. maj. Oratio Christi absoluta, & efficax, conc. maj. inefficax, & objective conditionata, subdist. est exaudita quoad id, quod petebat, conc. maj. quo ad alia, neg. maj. Christus a Patre petiit, ut omnibus hominibus conferat gratias sufficientes ad salutem, & quamvis ipsam etiam salutem omnium serio intenderit

derit, hanc tamen respectu reproborum intendit, ac petiit, si ipsi facerent, quod est in se, & gratiis acceptis cooperarentur; quæ oratio a Patre est exaudita eo modo, quo Christus illam obtulit. Ad conf. dist. ant. Luit pœnas pro peccatis reproborum, ita tamen, ut per media proportionata illius mortem sibi deberent applicare, conc. ant. aliter, neg. ant. & conf. si enim sua culpa merita Christi sibi non applicant, juste damnantur.

Dices. Christus scivit, quod Deus invariabili 548
decreto statuerit reprobos damnare: ergo mortem suam non potuit serio pro illis offerre. Conf. S. Augustinus lib. 21 de civit. cap. 24. de Ecclesia ait: *Si de aliquibus certa esset, quod ab æterno prædestinati sint in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso:* ergo. Resp. conc. ant. dist. conf. Mortem suam non potuit serio pro illis offerre voluntate absoluta, & supponente reprobationem, conc. conf. voluntate antecedente, neg. conf. Quamvis Christus non potuerit serio orare pro reprobis qua talibus, & considerartis secundum illud signum posterius, pro quo jam est in DEO decretum illos damnandi; quia tamen fuit redemptor hominum, & scivit ipsum divinum Patrem velle intuitu suæ mortis voluntate antecedente salvare etiam reprobos, ad officium ipsius pertinebat, ut etiam pro reprobis, consideratis in signo priori ad reprobationem, mortem suam offerret, ut sic ipsis impetraret auxilia sufficientia ad salutem, & ipsam salutem, si auxiliis cooperarentur. Ad conf. S. Augustinus ibi agit de illis, qui putarunt actu jam damnatos per preces sanctorum esse salvandos, adeoque de oratione pro jam damnatis qua talibus. Adde, ad officium Ecclesiæ non pertinere orare pro reprobis, si eorum reprobationem ex revelatione divina certo sciret.

QUÆSTIO IV.

An voluntas DEI salvandi omnes homines, & beneficium mortis Christi se etiam extendat ad parvulos sine baptismo decedentes?

549 Quamvis ex dictis satis constet, quod DEUS ob merita Christi serio velit salvos fieri adultos, qui ad plenum usum rationis perveniunt, nihilominus specialis adhuc difficultas est de parvulis, qui sæpe jam in utero materno decedunt, aut inter infideles nati nunquam plenum usum rationis adipiscuntur; nam licet defacto contra paucos antiquiores omnes Catholici doceant, mortem Christi, & divinam voluntatem omnes salvandi etiam ad istos parvulos extendi, dissentiunt tamen circa media, eorumque applicationem. Aliqui dicunt, Deum quidem pro his parvulis instituisse media omnibus communia e. g. baptismum; quod autem hæc media ipsis non applicentur, non esse tribuendum Deo, sed causis sive liberis, sive necessariis, quarum cursum Deus ut auctor naturæ non teneatur impedire. Hæc explicatio saltem quoad causas necessarias non videtur satisfacere, quia illarum effectus fiunt auctore Deo, & positive intenduntur. Si igitur baptismus alicujus parvuli impediretur a causa pure naturali, & necessaria, revera Deus ipse baptismum impediret; consequenter salutem talis parvuli tam parum serio vellet, quam salutem adulti, cui omnia media ad salutem sufficientia denegaret.

550 Hinc istam difficultatem complures theologi hac ratione complanare conantur. Cum tales parvuli, inquiunt, non sint capaces gratiarum, quæ homini immediate solent inspirari, Deus quidem ipsis non confert medium salutis immediate, attamen mediate, in quantum ex sincera voluntate salutis parvu-

lorum,

lorum, parentibus, curatoribus, vel aliis hominibus, a quorum libertate mediata, vel immediata salutem ipsorum pendere vult, specialia auxilia, illustrationes, & inspirationes concedit, quibus si obsequerentur, parvulus in utero materno non periret, sed perveniret ad baptismum, & olim pervenisset ad remedium legis naturae. Est haec doctrina S. Prosperi, vel quicumque demum auctor sit librorum de vocatione gentium, qui ab omnibus summopere aestimantur. Ibi lib. 2 cap. 23 ita habetur: *Non irreligiose arbitror credi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae semper universis impensa est nationibus, qua utique si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Neque contra hunc modum explicandi possunt conqueri Jansenistae, cum ipsimet concedant, Deum in statu innocentiae, in quo voluntas posterorum fuit alligata voluntati Adami, habuisse veram voluntatem beneplaciti omnes homines salvandi.

Dicendum. Mors Christi, & voluntas DEI 551 salvandi omnes homines se extendit ad omnes parvulos. Prob. 1. Ex una parte textus Scripturae in prioribus quaestionibus citati, loquuntur universaliter de omnibus omnino hominibus: ex altera parte nulla est sufficiens ratio excludendi parvulos. Sic quando Apostolus 1 ad Timoth. 2 v. 4 dixit: *DEUS vult omnes homines salvos fieri*, aperte indicat, nec parvulos excludi tum ex ratione, quam addit: *Unus enim DEUS, & mediator omnium*, tum quia utique etiam parvuli sunt homines; *Nunquid enim*, inquit S. Augustinus libr. 4 contra Julianum cap. 8, *homines non sunt parvuli, ut non pertineant ad id, quod dictum est, omnes homines vult salvos fieri.* Sane non est credibile, quod DEUS sit longe benevolentior erga scelestissimos adultos, quam erga parvulos innocentissimos, ut idem S. Doctor loc. cit. advertit, parvulos vocans

ab omni labe puriſſimos; quia loquitur ad hominem, nempe Julianum Pelagianum, qui peccatum originale negabat.

552 Prob. 2. Chriſtus juxta Apoſtolum 2 ad Cor. 15 v. 14 pro omnibus mortuus eſt, qui in Adamo per peccatum originale ſunt mortui; atqui inter hos ſunt omnes parvuli. Audiamus iterum Auguſtinum lib. 6. contra Julianum cap. 4. ubi illum ſic perſtringit: *Vide, quia conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt - - Quapropter ſi nullum trahunt peccatum parvuli, non ſunt mortui, ſi non ſunt mortui, non eſt mortuus pro eis, qui non eſt mortuus. niſi pro mortuis Tu autem in primo tuo libro contra nos clamans dixiſti, Chriſtum etiam pro parvulis mortuum.* Liceat jam, inquit Cardinalis Gotti tract. de divin. voluntate q. 2 dub. 2 §. 6 Auguſtini conſequens pro antecedente aſſumere, & ſic arguere: ſi omnes parvuli mortui ſunt, ergo pro parvulis mortuus eſt Chriſtus, qui pro omnibus mortuis eſt mortuus; ſi autem pro parvulis mortuus eſt, Deus etiam pro parvulis præparavit media ad ſalutem vere ſufficientia: ergo etiam parvulos ſerio vult ſalvos fieri.

Objectiones.

553 Obj. 1. Si DEUS parvulos propter mortem Chriſti ſerio vellet ſalvos fieri, non deberet quotidie tantus illorum numerus tum intra, cum extra uterum maternum perire ob ſolam culpam originalem; alias illis melius fuiſſet omnino non naſci. Conf. Quando Apoſtolus ait, quod DEUS omnes homines velit ſalvos fieri, ſtatim addit, *& ad agnitionem veritatis venire:* ergo ſolum loquitur de adultis. Reſp. neg. ant. nam quotidie & plurimi adulti pereunt, quibus tamen Deus ſufficientia media ad ſalutem ſuppeditavit. Porro etſi parvuli ob ſolum pecca-

peccatum originale sine remedio æterna beatitudine excluderentur, ideo Deus non esset injustus, immisericos, aut crudelis, eoquod visio beatifica nulli sit debita, & ejusmodi parvuli plecterentur sola pœna damni, imo juxta multos aliqua beatitudine naturali sint fruituri. Hinc melius ipsis est existere, quam omnino non existere; præsertim quia, si diutius vixissent, forte omnino gravissimas inferni pœnas incurrissent. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Parvuli pervenientes ad baptismum accipiunt agnitionem veritatis habitu per fidem infusam, & si moriuntur, actu per visionem beatificam, ut docet S. Auguft. lib. de peccator. merit. cap. 27.

Dices; sæpe contingit, ut parvuli pereant ter- 554
ræ motu, aut alio subito casu, quin eorum mors a parentibus potuerit averti: ergo illorum salus non dependet a libertate hominum. Conf. Parentes plerumque nesciunt, quod salus parvuli sit alligata illorum voluntati, & multo minus, quibus actibus sit alligata: ergo non est in libera potestate parentum parvulos juvare. Resp. conc. ant. dist. conf. Ergo illorum salus non dependet a libertate immediata hominum, conc. conf. a mediata, neg. conf. Salus parvulorum non nunquam impeditur a parentibus immediate, si sint negligentes, vel malitiosi: sæpius mediate, & indirecte, si sint intemperantes, gulosi, immoderatis laboribus aut passionibus dediti, ex quo frequenter oriuntur abortus, præmaturi partus &c. Imo sæpe causa præmaturæ mortis est immoderata vita parentum mediatorum, quandoque etiam adultorum aliorum, qui si magis pie vixissent, civitatis, aut provinciæ cladem avertissent. Ad conf. conc. ant. neg. conf. nam utique matri potest esse liberum e. g. vitare domum, plateam &c. licet non sciat, quod ibi cum fœtu suo sit peritura. Præterea Deus ad illas actiones, quibus salutem parvulorum alligat, solet immittere singulares inspirationes.

555 Obj. 2. Juxta S. Augustinum, & Prosperum baptismus parvulorum non potest adscribi meritis vel demeritis parentum; nam S. Augustinus lib. 6 contra Julian. cap. 4 ait: *Quod multo est mirabilius, aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ fœminæ, & aliquando non vult esse suum filium, quem format in utero suæ filiæ; ille quippe ad baptismum, nescio qua provisione pervenit, iste repentina morte non pervenit.* Conf. De dono persev. cap. 12. ait: *Plerumque festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, DEO tamen nolente non datur*: ergo. Resp. Etiam nos salutem, vel damnationem parvulorum non adscribimus meritis, vel demeritis parentum, sed illam gratiæ DEI, hanc peccato originali; sed solum dicimus, parvulos non privari baptismo ex sola voluntate DEI, sed ex defectu libero parentum, aut aliorum, qui defectus non semper debet esse peccatum mortale, imo forsan nec veniale, sed solum aliquis neglectus inspirationis Divinæ, e. g. ad orandum pro parvulo. Ad conf. conc. ant. dist. cons. Ipse Deus sæpe non vult salutem parvulorum voluntate antecedente, neg. cons. consequente, subdist. etsi parentes omnem diligentiam adhibeant aliquo tempore, conc. cons. semper, neg. cons. Deus salutem parvulorum non semper alligat conatibus ultimis, sed actibus præcedentibus.

556 Dices. Juxta S. Augustinum sæpe parvuli damnantur ob solum peccatum originale sine omni remedio; nam lib. de nat. & grat. cap. 8 ait: *Ego autem dico, idcirco parvulum sine lavacro regenerationis exiisse, quia esse aliud non potuit.* Addit: *Recte illum damnari ob peccatum originale, quamvis Christianus non fuerit, nec esse potuerit.* Consentit S. Prosper carmine de ingratis cap. 31 canens: *Cum videas multos sanctis genitoribus ortos, nullo salvari studio potuisse suorum.* Conf. Deus ipse matri gravidæ

vidæ ſubinde aliquid inſpirat, e. g. ingreſſum templi, e cujus ruina prævidet matrem cum prole ſua obruendam. Reſp. neg. ant. Uterque S. Doctor locis objectis agit contra Pelagianos, contra quos docent, parvulos non perire ob demerita perſonalia, ſed ob peccatum originale, idque ex voluntate DEI, at ſolum conſequente. Adde, quod ſalus parvulorum quandoque dependere poſſit non a parentibus immediatis, ſed mediatis, aut etiam aliis hominibus. Ad conf. dico, veras ejusmodi inſpirationes nunquam a DEO immitti, niſi aliunde jam prævideat mortem parvuli, idque ob aliquem defectum jam antea commiſſum; hoc autem poſito poteſt matri ingreſſum in templum inſpirare, ut potius moriatur in loco ſacro inter preces, quam alibi inter ludicra.

Quæres, an & quomodo ea, quæ in hac diſputatione ſtatuimus, ſint certa? Reſp. Juxta Tournelium eſt quidem dogma fidei, quod Deus vera, formali, & interna voluntate velit ſalvos fieri non ſolum prædeſtinatos, ſed etiam alios ſaltem fideles, qui per baptismum acceperunt gratiam ſanctificantem, & quod Chriſtus etiam pro his mortuus ſit. 2. Quod autem omnino omnes, & ſingulos homines ſuppoſito peccato originali propter merita Chriſti velit ſalvos fieri, eſſe piam, Catholicam, & fidei proximam ſententiam, cui ad rationem dogmatis tantum deſit expreſſa, & publica Eccleſiæ definitio. 3. Imo etiam hoc eſſe certum certitudine fidei aſſerunt Simonet, Antoine cum aliis, quia probatur ex perſpicuis Scripturæ, & Patrum teſtimoniis, conciliis, ac propoſitionibus damnatis. ex quibus ſatis de mente Eccleſiæ conſtare videtur. 557

Neque obſtat, quod, antequam hæc res ſatis fuit diſcuſſa, aliqui etiam ex auctoribus Catholicis voluntatem Dei antecedentem vocaverint voluntatem meræ complacentiæ, voluntatem ſigni, voluntatem 558

tatem eminenter talem, aut eam, quæ versatur circa antecedentia ad salutem, non vero circa ipsam salutem; nam 1 præter Capreolum vix est, qui solum amorem complacentiæ in DEO asseruit. 2. Qui cum Alensi voluntatem DEI salvandi omnes homines vocant voluntatem signi, tantum videntur discrepasse in nomine, intelligentes per voluntatem beneplaciti illam, quæ semper impletur. Hinc dicunt, respectu salutis reproborum in Deo dari voluntatem signi, non beneplaciti, respectu mediorum autem, quæ Deus actu confert, etiam dari voluntatem beneplaciti. 3. Similiter alii cum Ariminensi hanc voluntatem vocant eminentialem, nempe comparative ad voluntatem absolutam, & efficacem. 4. Interim pro nostra sententia stant principes scholarum, imo communis scholasticorum consensus, ut ostendit Tournelius, neque contraria respective paucorum auctoritas certitudini doctrinæ quidquam potest detrahere.

DISPUTATIO IV.

De Providentia DEI speciali circa electos & reprobos.

559 PRædestinatio quandoque accipitur generatim pro quavis præordinatione divina, & sic extenditur ad omnia illa, quæ DEUS ab æterno statuit, vel per se, vel per creaturas facere, aut permittere. In sensu non nihil strictiore significat illam præparationem, qua Deus alios ad gratiam & gloriam, alios vero ad æternam damnationem destinat. In sensu denique maxime proprio ad solos electos restringitur; nam, ut S. Thomas 1 part. q. 23 art. 1 ait, *ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ prædestinatio nominatur*. S. Augustinus vero

vero lib. de dono persever. cap. 14 illam ita descri-
bit: *Hæc est prædestinatio sanctorum, nihil aliud: præscientia scilicet & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur.*

Has definitiones prædestinationis communiter 560
recipiunt theologi; circa primam tamen advertunt, quod Doctor Angelicus directe, & primario solum locutus sit de prædestinatione ad gloriam, seu vitam æternam: quamvis dein addat, quod prædestinatio sit *præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.* Econtra in secunda S. Augustinus præcipue videtur definiisse prædestinationem ad gratiam efficacem, & quidem respectu hominum, qui peccato originali fuerunt infecti, aut debito saltem remoto illius obnoxii, quia hi soli proprie liberantur, & ex massa perditionis seliguntur. Utramque prædestinationem tam ad gratiam, quam ad gloriam expressius conjunxit Scotus, dum in 1 sent. distinct. 40 q. unica ait: *Prædestinatio est electio creaturæ intellectualis, vel rationalis ad gratiam & gloriam.* Et in 3 dist. 7 q. 5: *Prædestinatio est præordinatio alicujus ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam.*

Itaque prædestinatio complete sumpta partim ad 561
voluntatem DEI, partim ad intellectum pertinet; ad voluntatem, in quantum Deus electis decernit gratias efficaces, & gloriam: ad intellectum tum quia Deus per scientiam simplicis intelligentiæ, & mediam ad faciendum decretum prædestinativum dirigitur: tum quia Deus per scientiam visionis ex hoc decreto resultantem absolute prævidet, quæ ipse circa salutem electorum facturus est, ut sæpe inculcat S. Augustinus, & hinc prædestinationem non nunquam vocat præscientiam; quamquam, ut lib. de prædest. sanct. cap. 10 advertit, præscientia latius pateat, quam prædestinatio, cum Deus etiam præsciat peccata, quæ tamen ipse facturus non est. *Præ-*

desti-

destinatio, inquit ibi, *sine præscientia esse non potest: potest autem esse sine prædestinatione præscientia; quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus -- præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.*

562 Dividitur prædestinatio in adæquatam, & inadæquatam. Adæquata complectitur tum electionem creaturæ rationalis ad gloriam, tum præparationem mediorum ad illam obtinendam: inadæquata dicit vel solam electionem ad gloriam, quo casu prædestinatio formalis nuncupatur, vel solam præparationem gratiæ & mediorum, quo sensu prædestinatio radicalis appellatur; quia gratia (uti & merita, quæ fiunt per gratiam) est radix, & semen gloriæ per prædestinationem intentæ. Subdividitur tam prædestinatio formalis, quam radicalis in intentivam, & executivam, prior dicit decretum efficax ab æterno in DEO existens; posterior actualem collationem auxiliorum vel gloriæ in tempore. Verum isti termini quandoque in alio sensu accipiuntur, ut suo loco declarabitur.

563 Aliam adhuc prorsus singularem prædestinationis divisionem tradidit Catharinus in tract. de prædestinatione, ubi distinxit duos salvandorum ordines: primum eorum, qui eximie ac insigniter a Deo fuerunt electi ante omnem meritorum prævisionem, & tantas a Deo accipiunt gratias, ut fieri non possit, quin ad vitam æternam perducantur; hos, ajebat, dici *electos ante mundi constitutionem.* Alter salvandorum ordo juxta ipsum est illorum, qui communi providentiæ relicti, & communibus duntaxat auxiliis adjuti præsciuntur quidem a Deo ex meritis suis salvandi, at non ex speciali decreto efficaci, & absoluto; hos volebat dici *electos a constitutione mundi.* Verum istæ phrases: *Electi ante constitutionem mundi, electi a constitutione mundi,* item *electi a speciali providentia, & electi a præscientia DEI* juxta alios idem omnino significant.

Præ-

Prædeſtinationi opponitur reprobatio, quæ a 564
Magiſtro ſententiarum lib. 1 diſtinct. 40 definitur, quod ſit *præſcientia iniquitatis quorumdam non finiendæ, & præparatio damnationis eorum.* Unde reprobatio adæquate ſumpta tam reprobationem a gratia, quam reprobationem a gloria complectitur. Reprobatio, ſeu excluſio a gloria vocatur formalis; excluſio autem a gratia efficaci (ſufficientem Deus cuilibet homini præparat) vocatur reprobatio radicalis. Sicut diximus de prædeſtinatione, hoc tamen notabili diſcrimine, quod prædeſtinatio radicalis intendat auxilium efficax qua efficax, & reipſa ſit etiam intentio gloriæ tanquam finis, ad quem obtinendum auxilia, & media conferuntur. Econtra reprobatio radicalis non decernit auxilia inefficacia qua inefficacia, neque damnationem intendit tanquam finem illorum auxiliorum, cum iſta potius conferantur ex ſeria intentione ſalutis.

Dividitur reprobatio ulterius in poſitivam, & 565
negativam. Poſitiva, prout dicit actum voluntatis divinæ, eſt decretum dandi auxilia finalia inefficacia, & infligendi pœnam damnationis æternæ: negativam varie explicant; aliqui per illam intellexerunt pœnam damni, ſed hæc eſt effectus reprobationis, non ipſa reprobatio; alii quæſtionem de reprobatione negativa reduxerunt ad hoc, utrum reprobatio poſſit a DEO fieri per puram omiſſionem liberam; alii denique longe communius ac melius per reprobationem negativam nihil aliud denotant, quam negationem gratuitæ prædeſtinationis ad gratiam finalem, & gloriam, ſive dein conſiſtat in actu poſitivo, ſive in mera omiſſione. Hinc ſola reprobatio poſitiva eſt reprobatio ſtricte talis. Imo qui negant prædeſtinationem intentivam gloriæ eſſe omnino gratuitam, nullam omnino reprobationem negativam ſolent admittere.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An detur certa & immutabilis aliquorum prædestinatio?

566 PRædestinationem saltem eam, quæ a Deo omnium sapientissimo provisore provenit, inprimis negarunt illi, qui docuerunt, quemlibet hominem ex natura sua malum & damnandum, aut bonum, & salvandum esse, uti Basilides, Marcion, Valentinus. Dein qui fatalem ex influxu siderum necessitatem invexerunt, uti astrologi Manichæi, Priscilianistæ, Pelagiani, & Semipelagiani, qui prædestinationem, quam S. Augustinus ex Ecclesiæ fide defendebat, acerrime impugnarunt, rati, per eam homines nasci judicatos, non judicandos, libertatem nostram perimi, tolli virtutes, hominesque in socordiam vel desperationem induci. *Sub pietatis fronte*, inquiebat Faustus Rhegiensis lib. 1 de grat. & lib. arbit. c. 4 sententiam divi Augustini perstringens, *sub pietatis fronte gentilitatis malum, & intra gratiæ vocabulum absconditum erit fatale decretum.*

567 Dicendum. Datur prædestinatio certorum hominum, eaque efficax, infallibilis, & immutabilis. Prob. 1 pars apertis Scripturæ testimoniis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*, Matth. 25 v. 34. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti - - prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JEsum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ*, ad Ephes. 1 v. 4 & 5. Nempe, ut ait S. Thomas q. 23 cit. art. 1 in corpore, sicut sagitta, quæ per se ipsam ad metam pertingere nequit, a sagittario ad illam transmittitur: ita rationalis creatura ad beatitudinem supernaturalem, ad quam propriis viribus non potest pervenire, a DEO quasi transmittitur, dirigitur, ac ab æterno prædestinatur. Atqui

hanc esse fidem Ecclesiæ, quæ sine errore negari non potest, non semel affirmat S. Augustinus, qui ex professo contra Pelagianos conscripsit duos libros, unum de prædestinatione sanctorum, alterum de dono perseverantiæ. Consentiunt reliqui Patres passim, & S. Prosper in responsione 1 ad object. Gallor. ait: *Prædestinationem DEI nullus Catholicus negat.*

Probatur secunda pars. Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur: ergo est efficax, infallibilis, & immutabilis. Certe Deus potest hominem in salutem æternam per media efficacia velle absolute dirigere, & ex hypothesi, quod velit, non potest non velle ab æterno, & pro æterno; cum voluntas divina sit immutabilis, & dona, ac vocatio DEI sine pœnitentia, quemadmodum loquitur Apostolus ad Rom. 11 v. 29. quod si aliquis eorum, qui prædestinati sunt, posset perire, ipse Deus posset falli, & vitio humano vinci, ut advertit S. Augustinus de don. persever. cap. 7: ergo sicut summe certum est, Deum nunquam esse fallendum, aut humano vitio vincendum, ita prædestinatio est summe certa, efficax, & immutabilis. 568

Dixi: datur prædestinatio certorum hominum; 569
non enim est omnium, sed tantum aliquorum. Et quidem quod aliqui homines sint prædestinati, patet ex textibus citatis, qui manifeste de hominibus loquuntur. Quod autem non omnes, sed tantum certi sint prædestinati, in primis clare testatur Christus Matth. 20 v. 16: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Dein patet ex eo, quia neutiquam omnes justi in sanctitate finaliter perseverant, sed multi ab illa ante mortem excidunt, ac in peccato moriuntur; atqui prædestinatio tantum est eorum, qui reipsa ad gloriam æternam perveniunt. *Quos enim DEUS prædestinavit, hos & vocavit, & quos voca-*

vit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit, ad Rom. 8 v. 30. Hinc S. Augustinus lib. de don. persev. cap. 8 ait: *Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia DEI. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse.*

570 Præterea ex dictis colliges 1. In hac providentia neminem salvari, qui non est absolute, & efficaciter prædestinatus; quippe nemo ad vitam æternam pervenit, nisi ad illam transmittatur a DEO. 2. Quod DEUS ab æterno non tantum prædestinaverit, & præsciverit numerum electorum quomodocunque, sed etiam quoad rem numeratam, ita, ut certissime etiam noverit, quinam sint salvandi. *Nam cognovit Dominus, qui sunt ejus*, 2 ad Timoth. 2 v. 19. Et Christus Joann. 10 v. 28 de ovibus suis dixit: *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* 3. Quod ea, quæ diximus de hominibus, proportionaliter etiam intelligenda sint de angelis; quippe etiam angeli ad statum supernaturalem fuerunt elevati, & gratiis sufficientibus instructi: *Ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benigne prædestinavit ad gratiam*, inquit S. Augustinus in Enchirid. cap. 100.

Objectiones.

571 Obj. 1. DEUS omnibus hominibus præparavit media ad salutem idonea: ergo unum non prædestinavit præ altero ad gratiam, & gloriam. Conf. Prædestinatio est præparatio gratiæ ex natura sua efficacis; atqui talis gratia juxta nos non datur: ergo. Resp. dist. ant. Præparavit omnibus media idonea ad salutem eodem modo, neg. ant. diverso modo, conc. ant. & neg. conf. DEUS omnibus homi-

hominibus præparavit quidem auxilia ad salutem sufficientia, prædestinatis vero efficacia, & quidem ut talia, in quantum ex speciali benevolentia ipsis statuit dare tales gratias, cum quibus non tantum possent operari salutem, sed etiam certissime essent operaturi. Ad conf. neg. maj. Modo gratiæ prædestinatis præparatæ sint efficaces extrinsece, in quantum videlicet a Deo per scientiam mediam infallibiliter prævidentur conjungendæ cum consensu, jam datur præparatio talium beneficiorum, quibus prædestinatus certissime salvabitur.

Dices. DEUS angelis prædestinatis non dedit 572
auxilia efficacia qua talia; nam ut S. Augustinus lib. de correpț. & grat. cap. 10 ait: *Deus sic ordinavit angelorum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium - - denique angeli quidam per liberum arbitrium refugæ facti sunt - - cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt.* Conf. Prædestinatio est propositum miserendi; atqui hoc propositum non habuit locum in angelis, qui nunquam peccaverunt: ergo. Resp. neg. ant. S. Augustinus loquitur de libero arbitrio viribus gratiæ adjuto; quid hoc possit, DEUS ostendit, res ita ordinando, ut aliqui angelorum ipso permittente caderent, reliqui vero in justitia perseverarent, Deo specialiter ipsis providente, & auxilia efficacia largiente. Ad conf. dist. ant. Prædestinatio est propositum miserendi relate ad homines, conc. ant. ad angelos, neg. ant. Essentia prædestinationis in genere consistit in eo, quod sit ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.

Obj. 2. Apocalypsis 3 v. 11 dicitur: *Tene, quod* 573
habes, ut nemo accipiat coronam tuam. 2 Petr. 1 v. 10: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis:* ergo prædestinatio

non eſt certa, & immutabilis. Conf. Ipſe Apoſtolus de ſua electione dubitavit, ac timuit, ne forte, cum aliis prædicaverit, ipſe reprobus efficiatur, 1 ad Cor. 9 v. ult. ergo. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. Ergo prædeſtinatio non eſt certa, & immutabilis in ſe, neg. conſ. reſpectu noſtri, tranſ. conſ. Ex ſuppoſito, quod prædeſtinatio exiſtat, non amplius quidem poteſt mutari, ſed eſt certiſſima: nihilominus prædeſtinatus retinet potentiam antecedentem, qua poſſet facere, ut prædeſtinatio ab æterno nunquam extitiſſet, eo quod Deus neminem prædeſtinet, niſi quem prævidet gratiis ipſi conferendis cooperaturum. An autem hoc ſimus facturi, nobis non conſtat; hinc utique ſemper ſatagendum, ne noſtra culpa decretum prædeſtinationis ab æterno non extiterit. Ad conf. Licet Apoſtolus de ſua electione non dubitaverit, tamen de ea non fuit omnino certus, ideo recte timuit, ac tanto magis, quo majoribus gratiarum donis a Deo fuit cumulatus; nam cui plus datum eſt, plus requiretur ab eo.

574 Dices 1. Moyſes Exod. 32 v. 31 dicebat ad Dominum: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*: ergo qui jam ſcripti ſunt in libro vitæ, rurſus poſſunt deleri, & decretum prædeſtinativum mutari. Conf. ex illo Chriſti Joann. 17 v. 12: *Ex his, quos dediſti mihi, nemo periit, niſi filius perditionis.* Reſp. conc. ant. neg. conſ. Textum objectum interpretes varie explicant. Præ reliquis placet interpretatio illorum, qui dicunt, Moyſen ſolum disjunctive petiiſſe a Deo, ut vel nomen ſuum deleat, aut dimittat eis; feciſſe autem hoc nimio zelo abreptum, ut tanto efficaciores eſſent preces, probe gnarum, ſe non eſſe delendum abſque ſua culpa, quam omni conatu evitare firmiſſime propoſuerat. Porro S. Thomas librum vitæ modo accipit ſtricte pro libro tantum electorum, modo latius pro libro omnium illorum, qui aliquo

modo fuerunt ordinati ad vitam æternam, & aliquando juſtificati ſunt. Ad conf. Per verba : *quos dediſti mihi*, denotantur non ſoli electi ad vitam æternam, ſed electi ad audiendam Chriſti doctrinam, & apoſtolatum.

Dices 2. Cur ergo die cinerum in collecta Ecclesiæ rogamus : *tribue quæſumus, ut intercedentibus omnibus ſanctis tuis univerſos, quos in oratione commendatos ſuſcepimus, & omnium fidelium nomina beatæ prædeſtinationis liber adſcripta retineat* ? Conf. ex illo S. Auguſtini, *ſi non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris*. Reſp. Cur a Deo petimus pluvias, ſerenitatem, bonam valetudinem &c. cum tamen omne decretum divinum ab æterno exiſtat, & immutabile, ac certum ſit ? Nempe dum nos in tempore ſive pro nobis ſive pro aliis oramus, Deus noſtras preces ab æterno prævidens illarum intuitu decrevit dare poſtulatas gratias ; alias non daturus, & quia ſimul prævidit, quinam his gratiis bene uſuri ſint, Deus illos ab æterno prædeſtinavit, ſecus eosdem reprobaturus, utpote in malo perſeveraturos. Ad conf. eadem eſt reſponſio ; ſi enim homo gratiis divinis, prout potentia antecedente poteſt, cooperaretur, hoc ipſo a Deo fuiſſet prædeſtinatus. Adde, quod non poſſit oſtendi, ubi textus objectus in Auguſtino habeatur. 575

Obj. 3. Prædeſtinatio eſt ſoli Deo libera, & ad ſalutem eſſentialiter requiſita : ergo a creatura nec impediri, nec impetrari poteſt. Conf. Prædeſtinatio eſt certa, & infallibilis : ergo etiam ſalus prædeſtinati eſt certa & infallibilis : ergo neceſſaria. Reſp. diſt. ant. Eſt ſoli Deo libera, & eſſentialiter ad ſalutem requiſita, ſimul tamen dependens a ſcientia media, tranſ. ant. aliter, neg. ant. & conſ. Quamvis ſoli Deo liberum ſit, ut ſuppoſita ſcientia media de conſenſu Petrum prædeſtinet, & hæc auxilia efficacia ipſi conferat, vel neget, poteſt nihilominus Petrus impedire ipſam ſcientiam mediam, 576

& ſic etiam ſuam prædeſtinationem. Similiter poteſt illam acquirere, non quidem abſolute, ſed facta gemina hac ſuppoſitione, quod Deus illi conferat gratiam ſufficientem ad finaliter perſeverandum, & omnes perſeverantes velit prædeſtinare, quæ utraque ſuppoſitio in hac providentia datur. Ad conf. conc. ant. diſt. conſ. Salus prædeſtinati eſt certa certitudine extrinſeca, reſultante ex decreto prædeſtinativo, conc. conſ. certitudine intrinſeca, neg. conſ. Tam liberum arbitrium hominis prædeſtinati, quam auxilia ipſi conceſſa ſunt indifferentia; unde homo, quantum eſt ex parte ſua, ſalutem operatur contingenter & defectibiliter.

577 Dices, Saltem homini ſuppoſita prædeſtinatione nihil amplius proderit, aut oberit, ſive operetur bonum, ſive malum; ſi enim electus eſt, infallibiliter ſalvabitur, ſi reprobus, infallibiliter damnabitur. Conf. Si Deus homines prædeſtinat dependenter a ſcientia media de conſenſu, reſpectu prædeſtinati inanes ſunt minæ, quas Scriptura propter male operantes proponit. Reſp. neg. ant. Rationem additam diſt. Si eſt electus, infallibiliter ſalvabitur, independenter a ſua cooperatione & bonis operibus, neg. dependenter ab illis, conc. Cum Deus neminem adultorum prædeſtinet, qui non bene operabitur, & viciſſim neminem reprobet, qui non operabitur male, inde vel maxime debemus incitari ad faciendum bonum, & declinandum malum. Sic licet Deus infallibiliter præſciat, aut mortem aut ſalutem ægroti, quia tamen hæc præſcientia ſæpe dependet a mediis, quæ æger ad recuperandam ſalutem poteſt adhibere, nemo prudens hæc media negligit. Ad conf. neg. ant. Quia ipſe conſenſus conditionate præviſus poteſt pendere ab ejusmodi minis, ita ut Deus per ſcientiam mediam videat, ſi e. g. Petrus in Scriptura has minas legeret, bene operaretur; alias operaturus male. Vide num. 439.

Obj.

Obj. 4. Juxta nos homo esset prædestinatus 578
ante omne decretum DEI; si enim in Deo ponantur istæ duæ scientiæ: si viderem Petrum consensurum auxilio finali *a*, darem illud. & : si Petrus haberet auxilium finale *a*, consentiret, infallibiliter ex illis sequitur, quod Petrus sit finaliter perseveraturus: ergo. Conf. Supposita prædestinatione Deus hominem prædestinatum non amplius posset odisse: ergo prædestinatus non amplius posset peccare. Resp. neg. ant. & suppositum, quod hæ scientiæ ante omne exercitium liberum voluntatis divinæ dari possent; quippe scientia media reflexa est libera Deo, & scientia media directa etiam præsupponit decretum DEI conditionate existens, quæ proin conditio sine libero exercitio voluntatis divinæ non potest purificari. Ad conf. dist. ant. Prædestinatum non amplius posset odisse perpetuo, conc. ant. pro aliquo tempore, neg. ant. & dist. conf. Ergo non amplius posset peccare peccato qualicunque, neg. conf. peccato finali, subdist. potentia consequente, & in sensu composito prædestinationis, conc. conf. potentia antecedente & in sensu diviso, neg. conf. Deus prædestinato non semper vult efficaciter & in actu secundo constantem amicitiam in hac vita, & stante odio potest habere benevolum affectum, quo illum finaliter vult convertere.

QUÆSTIO II.

An prædestinatio sit gratuita vel onerosa?

DE duplici errore hic agendum, primus est eo- 579
rum, qui prædestinationem nulli speciali DEI beneficio, sed soli libero arbitrio, ac meritis creaturarum adscripserunt, ut Pelagiani, dicentes, gratiam DEI non esse necessariam ad simpliciter, sed tantum ad facilius bene agendum; hanc vero gra-

tiam a Deo parari, ac destinari ex prævisis meritis liberi arbitrii. Errorem hunc non nihil temperarunt Massilienses, seu Semipelagiani, qui professi quidem sunt gratiam Christi simpliciter esse necessariam ad actus salutares perfectos, & consummationem salutis; nihilominus in homine requiri quoddam initium justitiæ, quo per vires, & conatus liberi arbitrii posito, gratia supernaturalis homini esset debita: ipsam porro prædestinationem cum Pelagianis negabant esse speciale DEI beneficium, sed Deum æqualiter velle omnes salvos fieri, & discretionem inter electos, & reprobos solis hominum meritis esse adscribendam.

580 In errorem extreme oppositum inciderunt, qui docuerunt, DEUM quosdam prædestinare, alios vero reprobare absque omni respectu ad illorum opera bona, vel mala, propterea dicti prædestinatiani. Error hic juxta aliquos ortus est circa annum Christi 427 apud monachos Adrumetinos, sed statim a S Augustino iterum sopitus: postea resuscitatus iterum an. 475 a Lucido quodam Presbytero, & sæculo IX a Gotteschalco monacho Germano. Verum alii cum P. Simonet existimant, nullam prædestinatianorum sectam sæculo V extitisse, sed ipsos Catholicos invidioso hoc nomine a Semipelagianis fuisse notatos; Gotteschalcum quoque sæculo IX nullos habuisse sectatores. Quidquid de hoc sit, hic error merito tribuitur Luthero, & Calvino, qui sublato penitus humano arbitrio Deum omnium bonorum, & malorum operum auctorem faciunt. Nec melius pro statu naturæ lapsæ sentiunt Jansenistæ, qui nullam amplius in homine admittunt libertatem indifferentiæ, sed solum a coactione.

581 Quod prædestinatio radicalis ad primam gratiam sit prorsus gratuita, & neque sub meritum congruum cadere possit, ostendi solet in tractatu de gra-

gratia, ubi fuse probatur, gratiam supernaturalem non tantum ad perfectam justificationem, & consecutionem vitæ æternæ, sed etiam ad ipsum initium fidei, & salutis simpliciter esse necessariam. Pariter extra dubium est, quod prædestinatio ad perseverantiam finalem sit speciale DEI beneficium; vel enim hæc perseverantia accipitur active, prout est continuatio bonorum operum usque in finem, & tunc ad illam requiritur gratia efficax, quam Deus nulli dare tenetur, ut satis clare docet Tridentinum sess. 6 cap. 13. vel accipitur passive pro conjunctione mortis cum statu gratiæ, & de hac rursus Tridentinum sess. cit. cap. 13 & 16 ait, *hoc donum aliunde haberi non posse, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere.* Idem demonstrat S. Augustinus toto libro de dono persev. ubi tamen cap. 6. admittit, quod pii ac justi hoc donum possint mereri de congruo.

Circa prædestinationem formalem ad gloriam 582
notandum 1, merita, & gloriam dupliciter considerari posse: vel quatenus facta per gratiam sunt media ad gloriam tanquam finem, vel quatenus sunt obsequium Deo præstitum, propter quod gloria retribuitur tanquam præmium, merces, & corona. 2. Hinc in decreto prædestinativo ad gloriam duæ formalitates distingui possunt, quarum una gloriam intendit tanquam finem meritorum, altera vero eandem decernit, tribuit, & exsequitur tanquam præmium, & coronam meritorum. Primam formalitatem decreti vocabimus intentivam, alteram executivam. 3. Paulo aliter loquitur S. Thomas, qui tum alibi, tum in primum, dist. 41 q. 1 art. 2 ad 1 facit discrimen inter prædestinationem, & electionem, & per hanc intelligit, quod nos per prædestinationem; per prædestinationem autem intelligit actum voluntatis, ordinantis media ad finem, & in hoc sensu addit, quod electio prædestinatio-

 nem

nem præcedat, in quantum videlicet voluntas ordinans in finem antecedit actum voluntatis præparantis media ad finem.

583 Dicendum 1. Prædestinatio formalis, prout est intentiva gloriæ, est speciale, & prorsus gratuitum DEI beneficium. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, in qua præcipue S. Paulus hanc veritatem sæpius inculcat; sic ad Ephes. 1 v. 4 ait: *Elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus.* Ubi advertendum, quod non dicat, nos esse electos, quia futuri eramus sancti, sed ut essemus, adeoque non propter merita nostra, sed ex mera benevolentia secundum propositum voluntatis suæ, ut clarius explicat 2 ad Timoth. 1 v. 9: *Nos liberavit, & vocavit vocatione sua, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo JEsu ante tempora sæcularia.* Neque Apostolus in his textibus solum loquitur de prædestinatione radicali ad gratiam; nam loquitur de illa vocatione, qua liberamur ex massa damnationis, ut habet ad Tit. 3 v. 7: *Ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ Divinæ.* Atque hanc prædestinationem dicit, non esse ex operibus, sed secundum propositum, & per gratiam. Præterea electio a S. Augustino, Thoma, aliisque Patribus, ac doctoribus semper accipitur pro ordinatione ad gloriam.

584 Probatur 2 auctoritate Patrum, præsertim S. Augustini, qui in toto libro de prædest. sanct. gratuitam prædestinationem defendit, eamque cap. 12 probat exemplo parvulorum ante usum rationis cum baptismo morientium. Et cap. 18 in cit. apostoli textum: *elegit nos in ipso &c.* ita loquitur: *Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptationem filiorum, non quia per nos sancti, & immaculati futuri eramus, sed elegit, prædestinavitque, ut essemus; fecit autem hæc secundum pla-*

placitum voluntatis suæ, ut nemo de suo, sed de illius erga se voluntate glorietur. Sententiam S. Augustini postea acriter propugnarunt S. Prosper, & Hilarius; & quia illam quidam Presbyteri Galliæ criminabantur, ideo apud Cœlestinum Papam conquesti sunt, qui edita ad episcopos Galliæ epistola doctrinam Augustini impense dilaudavit, eamque postea etiam probavit Gelasius Papa in concilio Romano. Ex antiquioribus Patribus ipse Augustinus lib. de dono perseverantiæ pro se citat Cyprianum, Ambrosium, Gregorium Nazian. &c. Certe S. Doctor passim supponit, prædestinationem ad gloriam esse radicem omnium gratiarum, quæ prædestinatis dantur; consequenter intentione priorem ad gratiam, & merita.

Dicendum 2. Prædestinatio formalis, prout est 585
executiva, & collativa gloriæ, respectu adultorum est onerosa, ita, ut tribuatur bonis operibus tanquam merces & corona titulo justitiæ debita. Prob. claris Scripturæ textibus: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex*, 2 ad Timoth. 4 v. 7 & 8. *Merces vestra copiosa est in cœlis*, Matth. 5 v. 12. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, ad Rom. 4 v. 4. Hinc concilium Arausicanum secundum can. 18 definit: *debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Trident. sess. 6 cap. 16 docet: *bene operantibus usque in finem proponendam esse vitam æternam, & tanquam gratiam filiis DEI per Christum JEsum misericorditer promissam, & tanquam mercedem ex ipsius DEI promissione ipsorum operibus, & meritis fideliter reddendam.* Consentiunt SS. Patres, ex quibus S. Augustinus epist. 105 ait: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.*

Dixi

586 Dixi 1. Prædeſtinatio prout eſt executiva reſpectu adultorum; quod enim parvuli cum baptismo decedentes absque omni proprio ſuo merito ſalventur, dicunt omnes Catholici. 2. Ita, ut tribuatur bonis operibus tanquam merces & corona; nam juſti per opera bona auxilio gratiæ facta merentur vitam æternam. 3. Titulo juſtitiæ debita; nempe poſtquam Deus hanc mercedem liberaliter promiſit ſub hac conditione onerosa, *ſi bonis operibus illam promereamur.* Unde hæc prædeſtinatio executiva eſt quidem liberalis ſubjective, quia Deus potuiſſet nolle obſequiis ſibi præſtitis retribuere ullum præmium ſupernaturale: eſt tamen onerosa objective, in quantum DEUS non vult gloriam dare gratis, ſed tanquam coronam meritis debitam. Sic volitio, qua liberrime Paulum præ aliis architectis vis adhibere ad conſtruendum palatium, eique poſtea pactam mercedem reddere, eſt ſubjective liberalis, objective onerosa, utpote habens pro objecto ſolutionem ex juſtitia debitam.

Objectiones.

587 Obj. 1. Scriptura paſſim docet, regnum gloriæ electis ab æterno præparatum eſſe propter bona ipſorum merita: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c.* Item: *Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam,* Matth. 25 v. 34 & 21: ergo prædeſtinatio non eſt gratuita. Conf. Homo per ſua bona opera poteſt facere, ut ſit prædeſtinatus, & ſuam vocationem reddere certam: ergo. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. Ergo non eſt gratuita, prout eſt executiva gloriæ, tanquam coronæ, conc. conſ. ut eſt intentiva gloriæ tanquam finis, neg. conſ. Cum Scriptura prædeſtinationem modo tribuat noſtris meritis, modo meræ bene-

benevolentiæ divinæ, vel maxime doctrinam nostram confirmat, per quam ejusmodi textus optime conciliantur. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Quamvis homo ex ſuppoſito, quod habeat hanc gratiarum ſeriem, poſſit facere, ut ſit prædeſtinatus, & vocatio ſua certa, ac neceſſitate conſequente inimpedibilis, non tamen poteſt facere, ut Deus antecedenter ſuam gloriam efficaciter intendat, eique conferat tales gratias, cum quibus eſt cooperaturus.

Dices. Juxta Apoſtolum ad Romanos 8 v. 29 588
DEUS quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui: ergo illos ideo prædeſtinat, quia præſcit illorum merita. Conf. Si prædeſtinatio eſſet gratuita, Deus vel omnes, vel ſaltem plures prædeſtinaſſet, quam non prædeſtinaſſet; atqui hoc non fecit juxta illud, *multi vocati pauci electi*: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. In hoc textu per præſcientiam vel tantum intelligitur ſcientia media dirigens decretum prædeſtinativum, vel ſcientia approbationis cum benevola electione jam conjuncta; quæ in ſenſu S. Thomæ ſupra explicato prædeſtinationem præcedit. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. præſertim de ſtatu naturæ lapſæ, in quo ſumma DEI miſericordia eſt, quod vel paucos ex maſſa perditionis liberaverit, reliquorum vero ſalutem ſincere deſideret, ac omnibus gratiam ſufficientem ad illam conſequendam offerat. Hinc prædeſtinatio vocatur propoſitum miſerendi, & ratione noſtra facta eſt poſt abſolutam præviſionem peccati originalis.

Dices 2. S. Auguſtinus ſæpe docet, electionem 589
& vocationem hominum eſſe ex illorum meritis. Sic lib. 83 Quæſt. q. 68 ait: *Cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat, ſed hæc voluntas DEI injuſta eſſe non poteſt; venit enim de occultiſſimis meritis.* Sermon. 233 de tempore ad quæſtionem, quare

Deus

Deus illum vocet, & non alium, respondet: *Audi homo, hunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum indignum pro operibus suis malis.* Similia habet serm. 7 de verbis Domini. Resp. S. Doctorem in primo textu non agere de prædestinatione, & reprobatione, sed de justificatione, & obduratione peccatorum. In aliis exponi debet de electione, & vocatione remuneratoria, & executiva; quod si etiam in his locis nobis contrarius esset, id satis retractasset, quando postea egit contra Pelagianos & Massilienses in libris de prædest. sanct. & don. persever. in quibus clare docet, ad inscrutabilia DEI judicia pertinere, cur istum potius quam illum liberet, idque fieri sine præcedentibus nostris meritis.

590 Obj. 2. Nostra de gratuita prædestinatione doctrina repugnat fere omnibus scriptoribus Augustino antiquioribus, ut testatur S. Prosper in epist. ad Augustinum. Sic Origenes homil. 14 in lib. Num. ait: *Qui se talem præbuerit, ut electus esse mereatur, vas electum, & vas honoris efficitur.* S. Irenæus lib. 4 contra hæres. *Quotquot sunt non credituri, tradidit eos infidelitati eorum.* S. Ambros. in cap. 8 ad Roman. *Deus eos, quos præscivit devotos, elegit ad promissa præmia capessenda.* Resp. cum S. Augustino lib. de prædest. sanct. cap. 14, Patres & Scriptores, qui ante exortam Pelagianam hæresin floruerunt, nunquam ex professo & accurate in materia prædestinationis versatos esse, sed eam obiter tantum attigisse, ac ferme solum fuisse locutos de horum electione remuneratoria, & reprobatione positiva, quæ ad ordinem executionis pertinet. Adde, quod Patres citati non dicant, Deum aliquos prædestinasse, quia merentur, quia præscivit devotos, sed qui merentur, quos præscivit &c.

591 Dices. Patres antiqui expresse docent, præscientiam meritorum præcedere prædestinationem. Sic

Sic S. Ambrosius lib. 5 de fide cap. 3 ait: *Quos præscivit, hos & prædestinavit, quia non ante prædestinavit, quam præscivit, sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* S. Hieronymus lib. 1 in epist. ad Galat. *Ex præscientia evenit, ut quem scit justum futurum, prius diligat, quam oriatur ex utero.* Theophilactus in cap. 8 epist. ad Roman. *Prior itaque est præscientia, dein sequitur prædestinatio.* Similia habent Theodoretus, Oecumenius, Basilius &c. Resp. Antiquos Patres plerumque per prædestinationem intellexisse gratuitam gratiarum, ac meritorum præparationem, per præscientiam vero id, quod nos intelligimus per prædestinationem, ut lib. de dono persever. advertit S. Augustinus, ubi cap. 18 ait: *Quid nos prohibet, quando apud aliquos verbi DEI tractatores legimus DEI præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere.* Dein S. Ambrosius aperte loquitur de prædestinatione ad præmia. S. Hieronymus de amore, quo Deus justos diligit, quia jam justi futuri sunt. Nec est, cur non etiam cæteri Patres de prædestinatione executiva intelligi possint, & sic cum aliis combinari.

Obj. 3. Juxta Scripturam vita æterna est gratia, 592
& ipsa corona datur ex misericordia: *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*, Psalm. 102 v. 4: ergo prædestinatio executiva non est onerosa. Conf. Ipsa merita hominum sunt merissima gratia juxta illud Apostoli 1 ad Cor. 4 v. 7: *Quid habes, quod non accepisti?* ergo vita æterna ipsis non debetur titulo justitiæ. Resp. conc. ant. neg. conf. Quamvis vita æterna sit gratia, & opus misericordiæ subjective & radicaliter, in quantum ad illam consequendam multiplex favor, & gratia DEI requiritur; nihilominus ejus redditio formaliter, & objective est onerosa, ferme sicut denarius pauperi operario ex justitia redditur pro labore diurno, quem dives illi imperavit, ut habeat occasionem aliquid

me-

merendi. Ad conf. neg. ant. cum homo nihil boni ſalutaris poſſit agere, quin a Deo vires, & gratias ſupernaturales acquirat, nihil quidem habet quod non accepit, imo ipſe bonus uſus conceſſæ gratiæ eſt aliqua gratia; quia nihilominus hic bonus uſus fuit in libera hominis poteſtate, etiam voluntas creata debuit cooperari, & ſic vitam æternam tanquam mercedem mereri potuit.

593 Dices. Ex una parte omnia noſtra opera bona debentur Deo, titulo creationis, & ſupremi dominii: ex altera parte Deus homini non poteſt obligari titulo juſtitiæ. Hinc Chriſtus Lucæ 17 v. 10 ait: *Cum feceritis omnia, dicite, quia ſervi inutiles ſumus.* Conf. Juxta Apoſtolum ad Roman. 8 v. 18: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Reſp. tranſ. ant. quoad 1 membrum, diſt. quoad 2. Deus homini non poteſt obligari ex titulo juſtitiæ antecedenter ad ſuam promiſſionem, conc. ant. conſequenter ad illam, neg. ant. hac enim liberali promiſſione ſuppoſita, & conditione oneroſa impleta, Deus ſine infidelitate non amplius poteſt negare mercedem, adeoque obligatur titulo juſtitiæ, ſaltem latius acceptæ; quo tamen non obſtante ſumus ſervi inutiles, quia per noſtra obſequia nihil veræ utilitatis DEO accedit. Ad conf. Apoſtolus ibi loquitur de operibus factis ex meris viribus naturæ, & quamvis merita ex viribus gratiæ facta non eſſent omnino condigna, eſſent tamen ſufficienter proportionata ad merendam vitam æternam titulo juſtitiæ latius acceptæ; imo illa eſſe condigna clare probabimus tract. de meritis.

594 Obj. 4. S. Auguſtinus ſæpe docet, vitam æternam nullo modo deberi meritis noſtris. Sic lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 9. ait, vitam æternam dici gratiam: *ut hinc intelligamus, non pro meritis noſtris Deum nos ad vitam æternam, ſed pro ſua miſeratione perducere.* Lib. de corrept. & grat. cap. 11 dicit, *gloriam æternam angelis quidem fuiſſe mercedem*

tedem boni meriti, nunc vero respectu hominis lapsi esse merum gratiæ donum. Resp. dist. ant. Sæpe docet, vitam æternam nullo modo deberi meritis pure naturalibus, conc. ant. supernaturalibus, neg. ant. S. Augustinus ad primum textum statim addit: *Ideo dixit psalmus: coronat te in misericordia & miserationibus, quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona redditur.* In altero textu loquitur de gloria relate ad perseverantiam finalem, quæ in angelis fuit meritoria, & fuisset in homine innocente, si in statu innocentiæ perseverasset; nunc vero post lapsum est merum gratiæ donum, quia nunc non consistit tantum in usu bono liberi arbitrii, etiam per gratiam adjuti, sed ultimato in bona morte, quæ est merum divinæ misericordiæ beneficium.

Dices. Si perseverantia finalis nunc est merum 595 beneficium, hoc ipso prædestinatio est pure liberalis, nec possumus illam mereri: ergo non est onerosa. Conf. Si perseverantia est merum beneficium DEI, salus nostra non est in potestate nostra, sed pendet a solo divino beneplacito: ergo. Resp. dist. ant. Prædestinatio est pure liberalis subjective, conc. ant. objective, neg. ant. Aliud est, quod non possimus mereri vitam æternam, aliud, quod non possimus mereri ipsam prædestinationem, & perseverantiam finalem, cum soli Deo liberum sit, ut hominem ex hac vita rapiat, quando est in statu gratiæ, vel peccati. Ad conf. neg. ant. Quamvis non sit in nostra potestate donum perseverantiæ passivæ, quod tunc primum acquiritur, quando homo ex hac vita rapitur; nihilominus quilibet homo habet potestatem activam perseverandi, quia potest vitare omnia peccata mortalia toto vitæ cursu; hinc post naturam lapsam in solius DEI potestate quidem est, ut mors conjungatur cum statu gratiæ, & supposito statu gratiæ a creatura non potest impediri, ipse nihilominus status gratiæ & sic etiam salus est in nostra potestate.

QUÆSTIO III.

An prædestinatio fiat ante, vel post merita absolute prævisa ?

596 QUod neque prædestinatio radicalis ad gratiam, neque formalis ad gloriam fiat ante merita conditionate prævisa, satis patet ex dictis disp. 2 q. 1 & 2; quia alias tolleretur libertas actuum nostrorum, & DEUS non satis provide decerneret. Ibidem q. 4. indicavimus, quod prædestinatio radicalis ad gratiam & meritum finale sit prior ad merita absolute prævisa; quamquam enim scientia visionis cum decreto, quod comitatur, sit realiter, & virtualiter identificata, tamen formaliter est ab illo distincta, & ratione posterior. Tota igitur quæstio iterum reducitur ad prædestinationem formalem. Hanc aliqui cum Eminentissimo Sfondrati, & P. Lessio, cujus doctrinam hac in parte laudavit S. Franciscus Salesius, putant respectu adultorum primum fieri post merita absolute prævisa; alii vero cum Suario, Bellarm. Tolet. pro quorum sententia etiam laudantur S. Thomas, & Scotus, contendunt, quod prædestinatio merita absolute prævisa præcedat.

597 Lis hæc videtur quidem esse mere scholastica, plurimum tamen servit ad ea, quæ quæstione præcedente diximus, magis dilucidanda. Interim hic non disputamus de prioritate, & posterioritate naturæ, aut quasi naturæ; cum enim DEUS statim post scientiam simplicis intelligentiæ, & mediam directam omnia decernat in eodem signo quasi naturæ, neque merita absolute prævisa sunt vere priora ad decernendam gloriam, sive ut finem, sive ut coronam; neque decretum dandi gloriam ut finem est vere prius ad merita absolute prævisa, sed DEUS simul eodem virtualiter indivisibili decreto statuit

ſtatuit dare gratiam, merita, & gloriam propter merita. At vero attendendo ſigna rationis, utique in hoc decreto plures formalitates concipere oportet, quas in noſtro ſyſtemate hoc ordine formare poſſumus. 1. Poſt abſolute præviſum peccatum originale, ob merita, & mortem Chriſti, DEUS omnes quidem homines ſincere voluit ſalvos fieri, aliquos tamen ſpecialiter, & efficaciter elegit ac prædeſtinavit ad gloriam. 2. Illis prædeſtinatis præparavit, & dare ſtatuit efficacia media ad ſalutem & perſeverantiam finalem. 3. Propter eorum merita decrevit dare gloriam tanquam coronam.

Dicendum. Prædeſtinatio formalis ad gloriam 598
ſub diverſa conſideratione eſt ratione prior, & poſterior ad merita abſolute præviſa. Ita defacto multi Recentiores. Prob. 1. Decretum prædeſtinationis æquivalet duobus actibus, quorum uno decernitur gloria tanquam finis, altero merita tanquam medium ad hunc finem promerendum, adeoque intellectui præbet fundamentum concipiendi duas formalitates, quarum una ſit intentiva gloriæ ut finis, altera electiva meritorum tanquam medii ad hunc finem. Jam vero formalitas intentiva finis eſt ratione prior formalitate electiva mediorum, & abſoluta eorum præviſione; quia finis eſt primum in intentione: ergo ſi decretum prædeſtinans conſideretur ut intentivum gloriæ tanquam finis, eſt ratione prius meritis abſolute præviſis. Econtra ſi conſideretur ut executivum gloriæ tanquam coronæ, quæ eſt effectus meritorum, prædeſtinatio erit formaliter poſterior decreto meritorum, & abſoluta eorum præviſione; ſi quis enim per actus diſtinctos vult cauſam, & effectum, obſequium, & præmium, prius ſolet velle cauſam, quam effectum; prius obſequium, quam præmium.

599 Declaratur conclusio, & probatur secundo. Prædestinatio formalis, prout est intentiva gloriæ tanquam finis, est prorsus gratuita ; prout autem est executiva gloriæ, tanquam coronæ, est onerosa : ergo decretum prædestinativum ita videtur concipiendum ; cum videam, quod Petrus, si haberet hæc auxilia, eliceret hæc merita, & moreretur in statu gratiæ, prædestino illum prorsus gratuito ad gloriam, & volo in hunc finem ipsi conferre hæc auxilia, dependenter a quibus eliciat hæc merita, propter quæ eidem conferam gloriam tanquam præmium, & coronam. Atqui in hoc decreto, ex quo optime elucet specialis illa benevolentia DEI erga electos, quam Scriptura, & SS. Patres summopere commendant, prima omnium formalitas est intentiva gloriæ tanquam finis, secunda præparatio, & prævisio absoluta meritorum, tertia formalitas executiva gloriæ tanquam coronæ. Conf. ex concilio Valentino, quod anno 855 sub Leone quarto ita statuit : *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem, in electione tamen salvandorum misericordiam DEI præcedere meritum bonum, in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere justum DEI judicium.*

Objectiones.

600 Obj. 1. Juxta S. Scripturam Jacob. 2 v. 5 *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni* ; hinc Matth. 5 v. 3 dicitur : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* : ergo prædestinatio fit post merita absolute prævisa. Conf. Apostolus 2 ad Timoth. 2 v. 21 ait : *Siquis ergo emundaverit se ab istis,* (profanis hæreticorum novitatibus) *erit vas in honorem* : ergo. Resp. Conc. ant. dist. consf. Ergo prædestinatio intentiva sit post merita absolute prævisa, neg. conf. executiva

tiva, ſubdiſt. prioritate ſtricte tali, & quaſi naturæ, neg. conſ. prioritate tantum logica, & formali, conc. conſ. S. Matthæus loquitur de prædeſtinatione executiva; textum vero S. Jacobi Auguſtinus de prædeſt. ſanct. cap. 17 ſic exponit: *Elegit Deus fideles, ſed ut ſint, non quia jam erant; eligendo facit divites in fide, ſicut & hæredes regni.* Ad conf. Apoſtolus non vult, quod emundatio abſolute præviſa poſt ſe trahat prædeſtinationem, ſed quod ſit ſignum prædeſtinationis, ut quando e. g. dico: ſiquis portaverit magnum pondus, erit fortis & ſanus.

Dices. Prædeſtinatio intentiva eſt electio: *Elegit prædeſtinans nos,* inquit S. Auguſtinus lib. cit. cap. 18; ſed electio ſupponit diſparitatem in iis, qui præ cæteris eliguntur; qui enim prudenter eligit, quod melius eſt, eligit: ergo. Conf. S. Auguſtinus lib. 1 ad Simplic. explicans illud ad Rom. 9: *Cum nondum nati eſſent &c.* ait: *Non tamen electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio; nemo enim eligitur, niſi ut jam diſtans ab illo, qui rejicitur.* Reſp. conc. maj. diſt. min. Electio mere gratuita, & liberalis ſupponit diſparitatem in electis, neg. min. electio ſtricte dicta, qua unus jam dignus præfertur alteri propter ſua merita, conc. min. Duplex circa prædeſtinatos datur electio, una, qua Deus affectu mere benevolo hominem deſtinat ad gloriam tanquam finem. Hæc non ſupponit dignitatem in electo, ſed eam fecit. Altera ſtrictius dicta, qua Deus uni potius quam alteri vult dare gloriam tanquam coronam, adeoque in electo dignitatem ſupponit. De hac poteſt intelligi S. Auguſtinus in confirmatione, imo ſi hic locus bene expendatur, potius nobis favet. 601

Nam poſtquam Auguſtinus propoſuit quæſtionem, quomodo Jacob potuerit præferri Eſavo, cum nondum boni quid, vel mali egiſſent, reſpon- 602

 det:

det: *Non ergo secundum electionem propositum DEI manet, sed ex proposito electio, id est, non quia invenit opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ejus, sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cœlorum.* Dein ponit verba in objectione recitata. Proin considerato contextu S. Doctor voluit dicere: non ergo secundum electionem antecedentem etiam præscientiam conditionalem bonorum operum propositum absolutum salvandi manet, sed ex proposito salvandi manet electio, non quia invenit opera bona in hominibus absolute jam prævisa, sed potius quia propositum salvandi manet, ideo elegit, quos præscivit opera bona facturos. Itaque electio non præcedit justificationem conditionate prævisam, sed potius justificatio conditionate prævisa, & ex proposito DEI necessario requisita præcedit absolutam electionem ad gloriam, per quam electi jam aliquo modo distant a reprobis.

603 Obj. 2. Gloria cœlestis ab æterno decernitur electis eo modo, quo in tempore confertur; sed in tempore confertur post merita absolute prævisa tanquam merces, & corona: ergo. Nempe sicut merita debent movere ad actualem collationem gloriæ, ita debent movere ad decretum conferendi gloriam; atqui ad actualem collationem gloriæ non movent, nisi ut absolute prævisa: ergo. Conf. Sicut inflictio suppliciorum, sic etiam reprobatio impiorum fit propter mala opera absolute prævisa: ergo a pari. Resp. neg. maj. Vel enim sermo est de formalitate intentiva gloriæ tanquam finis, & hæc est prorsus gratuitum DEI beneficium: vel est sermo de formalitate executiva, & hæc utpote cum Deo identificata non debet causari a meritis, sicut collatio actualis gloriæ ab ipsis causatur. Hinc Deus decernit quidem, ut gloria tanquam præmium sit propter merita, non autem decernit gloriam

pro-

propter merita. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Disparitas est, quia, si reprobatio positiva impiorum fieret ante merita impiorum absolute prævisa, id in Deo argueret aliquam crudelitatem. Econtra prædestinatio præcedens merita absolute prævisa potius commendat bonitatem, & benevolentiam divinam.

Dices. Hic discursus S. Augustini ex cap. 12 de 604
dono perseverantiæ est legitimus: prima gratia ab æterno decernitur eo modo, quo in tempore datur; sed datur gratuito: ergo decernitur gratuito; atqui hic discursus est prorsus similis illi, qui continetur in objectione præcedente. Et hinc idem S. Doctor prædestinationem electorum vocat justissimam beneficentiam, ut indicet illam non esse pure gratuitam. Conf. Specialis DEI favor erga electos sufficienter explicatur per hoc, quod illos potius posuerit in tali hypothesi, in qua prævidit eos salvos, quam in alia. Item, quod illos speciali protectione extrinseca præservet a gravibus lapsibus, & in fine potius conferat auxilium congruum, quam mere sufficiens. Resp. conc. maj. neg. min. Quamvis forma utriusque discursus sit eadem, differt tamen materia in hoc, quod prima gratia tam quoad intentionem, quam executionem sit, & maneat mere gratuita. Econtra prædestinatio, licet quoad executionem sit onerosa, quoad intentionem est gratuita; justissima tamen, quia non fit sine præscientia meritorum conditionate futurorum. Ad conf. neg. ant. Nam quamvis hæc omnia etiam juxta nos sint vera, nihilominus Scriptura, & Patres adhuc majorem benevolentiam adstruunt, ut patet ex quæst. præced.

Obj. 3. Decretum, quod pro motivo habet so- 605
lam DEI bonitatem, est simpliciter infrustrabile; pertinet enim ad voluntatem DEI consequentem: ergo decretum intentivum non potest solam DEI bonitatem habere pro motivo. Conf. Si hoc de-

cretum esset impedibile, tunc per liberum dissensum in tempore præstandum auxiliis ; hoc non potest dici : ergo. Min. prob. Vel DEUS prævidens consensum aut dissensum attendit ad illum, dum electos prædestinat, vel non attendit ? si attendit, prædestinatio non est mere gratuita : si non, decretum per illum non potest impediri. Resp. dist. maj. Decretum est simpliciter infrustrabile, si non respiciat cooperationem liberam creaturæ, conc. maj. si illam respiciat, neg. maj. Quamvis hoc decretum sit intrinsece efficax, & pertineat ad voluntatem DEI consequentem, adeoque necessitate consequente certo sit implendum, potest nihilominus potentia antecedente impediri. Ad conf. conc. maj. neg. min. Ad ejus probationem dico : Cum Deus non velit salvos facere, positive reluctantes, sed solum illos, qui divinis gratiis sunt cooperaturi, utique dum aliquem prædestinat, attendit ad ejus consensum, sed solum tanquam conditionem pure extrinsecam, quæ removeat prohibens benevolum DEI affectum.

606 Dices. Datur necessitas vaga, vi cujus homo necessario debet consentire aliquibus auxiliis indeterminate sumptis : *ergo non potest impedire*, quo minus a Deo prædestinetur. Conf. Si ex parte hominum nulla datur causa prædestinationis, nulla est ratio, quare Deus hunc potius, quam illum prædestinet, nec nisi injuste unum præfert alteri. Resp. trans. ant. dist. cons. Non potest impedire omnem prædestinationem in genere, & si Deus vellet gratias suas augere in infinitum, conc. cons. quamlibet prædestinationem in individuo, & determinatis auxiliis annexam, neg. cons. quia homo stante necessitate vaga, quibuslibet auxiliis determinate sumptis potest dissentire. Ad conf. neg. sequelam ; cum pro eo signo rationis, quilibet homo æqualiter sit dignus, ut rejiciatur, & æqualiter indignus, ut eligatur, Deus neutrum tenetur eli-

gere,

gere, & ratio, cur potius hunc, quam illum eligat, nec quæri, nec aſſignari debet, niſi ex parte beneplaciti divini, quo pro jure ſuo, cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat non miſerendo, ut de don. perſever. ſæpius inculcat S. Auguſtinus.

Obj. 4 contra num. 597 Prædeſtinatio execu- 607
tiva etiam juxta nos non fit absque reſpectu ad merita: ergo merita abſolute prævisa debent eſſe priora prioritate quaſi naturæ; nemo enim volens diſtribuere præmia bene merentibus, prudenter decerneret huic præmium, niſi prius abſolute videret illius meritum. Conf. Scientia, quæ eſt compoſſibilis cum carentia meriti, non ſufficit ad prudenter decernendum præmium; ſed talis eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ & media directa: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Quamvis decretum executivum gloriæ ratione noſtra ſequatur poſt decretum gratiæ, & meritorum, ideo merita abſolute prævisa, ſeu potius illorum decretum, & viſio abſoluta non debent eſſe cauſa decreti executivi, aut Deum ad illud dirigere; quod enim hoc ordinarie fiat in humanis, provenit ex eo, quia non ſatis certo merita aliorum conditionate prævidentur, nec pro libitu noſtro illa poſſumus impetrare. Ad conf. diſt. maj. Hæc ſcientia non ſufficit ad prudenter decernendum præmia, niſi decernens per idem decretum ſimul poſſit, & velit pro priori logico purificare illam conditionem, ſub qua exiſtentiam meriti infallibiliter prævidet, conc. maj. ſi hoc poſſit, & velit, neg. maj. Vid. num. 440.

Dices. Cauſa meritoria eſt cauſa moralis, quæ 608
movet, quia eſt; per hoc enim differt a finali: ergo, ut DEUS decernat gloriam propter merita, debet merita prævidere abſolute. Conf. Dicere, quod gloria decernatur propter merita conditionate futura, redolet Semipelagianismum: ergo. Reſp. diſt. ant. Cauſa moralis movet, quia eſt, ſemper

 per

per ſtatum, neg. ant. quia eſt ampliative, ſive quia erit, fuit, aut ſaltem eſſet, conc. ant. & neg. conſ. Tam cauſa finalis quam moralis poteſt movere, quia poſitis mediis eſſet, hoc tamen diſcrimine, quod cauſa finalis ſimul moveat, ut ſit, & ſic voluntas in illa ſiſtat: in cauſa vero morali voluntas non ſiſtat, ſed illam ordinet ulterius. Sic in iſta tendentia decreti: ut Petrus conſequatur gloriam, volo ipſi dare hæc auxilia congrua, & quia cum illis eliciturus eſt hæc merita, volo ipſi dare gloriam, gloria eſt cauſa finalis auxiliorum, & meritorum, dein merita ſunt cauſa moralis reſpectu gloriæ, & coronæ. Ad conſ. diſt. ant. Quod gloria decernatur propter merita naturalia, aut mere conditionate futura, conc. ant. propter merita ſupernaturalia futura ſub tali conditione, quæ pro priori logico purificatur, neg. ant. Merita mere conditionate prævìſa non ſunt motivum prædeſtinationis, ſed merum aliquod prærequiſitum, ut Deus decretum prædeſtinativum ſapienter, & infallibiliter valeat concipere.

QUÆSTIO IV.

An prædeſtinatio ad gloriam ſit alligata certis mediis, & quilibet de ſua prædeſtinatione poſſit eſſe certus?

609 SEnſus quæſtionis eſt, an Deus prædeſtinet ad gloriam effectu tam illimitato, ut ſi prædeſtinatus prævideretur diſſenſurus eſſe auxiliis, quæ ipſi defacto conferuntur, eidem conferret alia, & alia ſine limite, donec tandem illius conſenſum obtineret & quaſi extorqueret? an vero ſalutem prædeſtinati alliget certo numero, & qualitati intra unam, aut plures ſeries auxiliorum, quæ ſi omnia reſpueret, ipſi non amplius daret alia, ſed eundem ſineret

ret perire ? Quod enim DEUS prædeſtinationem cujuslibet hominis non alligaverit cuilibet auxilio in particulari, imo neque tantum uni ſeriei auxiliorum, ſatis conſtat; alias, qui ſemel graviter peccaſſet, non amplius foret in numero prædeſtinatorum, cum tamen ex ipſo Evangelio, aliisque libris canonicis ſciamus, multos poſt patrata gravia ſcelera ſeriam tandem egiſſe pœnitentiam, & ſalutem æternam conſecutos eſſe. Porro Buzerus, Petrus Martyr, Kemnitius, & Calvinus docent, prædeſtinationem non tantum eſſe certam, & immutabilem in ſe, ſed unum quemque etiam fidelem poſſe, ac debere eſſe certum certitudine fidei de ſua prædeſtinatione.

Dicendum 1. Prædeſtinatio ſaltem ordinaria eſt alligata certis mediis. Ita communis. Probatur auctoritate Scripturæ, in qua 2 Petr. 1 v. 10 dicitur: *Quapropter fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Apoc. 3 v. 11: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Accedit communis ſenſus Patrum, & celebre illud S. Auguſtini ſerm. 1 de S. Stephano: *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Idem ſentit communis perſuaſio fidelium, qui paſſim dicunt, hunc vel illum periturum fuiſſe, ſi his vel illis determinate mediis non fuiſſet uſus e. g. ſi certas occaſiones peccandi non vitaſſet, ſi non fuiſſet ingreſſus religionem: innumeros Indos fuiſſe perituros, ſi S. Franciſcus Xaverius illis Evangelium non prædicaſſet. Conf. Quia hac ratione melius ſalvatur, quomodo vita æterna ſit in libera poteſtate prædeſtinatorum, & magis commendatur cura ſalutis tum propriæ, tum alienæ, quæ in adverſa ſententia multum imminueretur, & fors apud aliquos omnino tolleretur. 610

Dicendum 2. Abſque ſpeciali revelatione divina nemo poteſt eſſe certus de ſua prædeſtinatione. Eſt de fide. Prob. Eccleſiaſtis 9 v. 2. dicitur: *Neſcit* 611

ſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta. 1. ad Cor. 4 v. 4: *Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Ad Philipp. 2 v. 12: *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Ad Rom. 11 v. 20: *Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time.* Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 can. 16 ſtatuit: *Siquis magnum illud usque in finem perſeverantiæ donum ſe certo habiturum, abſoluta & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit; anathema ſit.* S. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 13 inquit: *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe proſumat?* Similia habent S. Chryſoſt. Hieron. Gregor. Nyſſen. apud Bellarminum. Ratio eſt voluntas DEI, qui hoc nobis voluit eſſe ſecretum ad humilitatem in prædeſtinatis conſervandam, & ad deſperationem impediendam in reprobis.

Objectiones.

612 Obj. 1. Qui efficaciter vult finem, ita illum vult, ut ſi non obtineretur per iſtam media, adhiberet alia & alia, quæ ipſi ſunt poſſibilia: ergo cum DEUS prædeſtinatis efficaciter velit gloriam tanquam finem, prædeſtinatio non eſt alligata certis mediis. Conf. Affectus ſolum limitatus non exprimit ſpecialem illam benevolentiam DEI, quam prædicant Patres cum S. Auguſtino: ergo. Reſp. diſt. ant. Qui efficaciter vult finem affectu prorſus illimitato, conc. ant. qui vult finem efficaciter quidem, ſed affectu limitato, & reſpiciente certa media, neg. ant. & conſ. Poteſt quis efficaciter velle emere gemmam 20 aureis, quin eam velit emere 100 aureis. Ad conf. neg. ant. Specialis benevolentia DEI erga electos ſatis explicatur per hoc, quod Deus ipſis prorſus gratuito conferat gratias effi-

efficaces, cum poſſet conferre inefficaces; præſertim ſi ſimul admittatur, quod, ſi videret prædeſtinatum his auxiliis non conſenſurum, adhuc daret alia, intra certos tamen limites.

Dices. Saltem non poteſt explicari, quomodo 613
Deus ſpecialiter fuerit beneficus erga B. Virginem, & alios quosdam eximie ſanctos e. g. erga S. Joſephum, Joannem Baptiſtam &c. niſi illos prædeſtinarit affectu illimitato: ergo. Conf. S. Auguſtinus lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 5. ait: *Ut de cœlo vocaretur,* S. Paulus, *& tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia DEI erat ſola, quia merita ejus erant magna & mala*: ergo aliqui ſunt inſigniter prædeſtinati. Reſp. neg. ant. Inſignis benevolentia, & prædeſtinatio ſpeciali modo excellens iſtorum ſanctorum convenienter poteſt explicari per iſta. 1. Quia ad ſingularem præ cæteris ſanctis dignitatem Matris, Nutritii, & Præcurſoris Divini Salvatoris electi ſunt. 2. Quia ad hunc finem ſpecialibus, & uberrimis gratiarum donis, & auxiliis congruis efficaciſſimis ſunt præventi. 3. Quia B. Virgo ſine labe concepta, S. Joannes in utero ſanctificatus, & alii eximie ſancti adhuc viventes in gratia confirmati ſunt. Ad conf. concedo totum; non enim negamus, quorumdam electionem eſſe inſignem, ſed ſolum defendimus, prædeſtinationem ordinariam non eſſe illimitatam.

Interim nondum video, cur etiam reſpectu exi- 614
mie ſanctorum prædeſtinatio illimitata admitti debeat. Nam 1. neque ex Scriptura, neque ex SS. Patribus habetur ſufficiens fundamentum illam adſtruendi. 2. Illi tam inſigniter electi tali modo quoad ſubſtantiam non eſſent liberi ad vitam æternam promerendam, vel per mala opera perdendam; Deus enim illos ita illimitate prædeſtinando ad gloriam, decreto abſoluto, & inimpedibili ipſis decre-

decrevisset auxilia tam copiosa, & efficacia, ut non possent non salvari. 3. Hinc ipsis videtur esse gloriosius, si æternam vitam libere suis meritis valeant obtinere. Ex quibus colligis, longe minus admittendam esse doctrinam Catharini, n. 563 expositam ; præterquam enim, quod afferat, prædestinationem insignem esse illimitatam, insuper ait, quosdam prædestinari sine speciali dilectione DEI, & absque speciali providentia.

615 Obj. 2. Quilibet potest esse certus, quod oret pro impetranda salute, & perseverantia finali : ergo debet credere, se illam impetraturum, consequenter prædestinatum esse ; nam Christus Marci 11 v. 24 jubet : *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis.* Hinc S. Jacobus cap. 1 v. 6 de eo qui cupit e Deo aliquid impetrare, dicit : *Postulet in fide nihil hæsitans.* Conf. Quando Scriptura nos hortatur ad solicitudinem, & diligentiam in procuranda salute, id non facit, quasi revera sit periculum, ne prædestinati salute sua excidant, sed solum ad excutiendum torporem, & negligentiam in bonis operibus. Resp. dist. maj. Quilibet potest esse certus, quod oret pro impetranda salute quomodocunque, conc. maj. prout oportet, neg. maj. quia nemo certus est, quod oratio sua sit actus supernaturalis, satis fervens, & constanter duratura. Quamvis igitur debeamus orare cum fide & fiducia, quod Deus, quantum est ex parte sua, paratus sit dare, quæ petimus, non tamen sumus certi, quod etiam nos faciamus & facturi simus, quæ requiruntur ex parte nostra. Ad conf. Aliud est, quod ipsa prædestinatio in se sit certa, aliud quod sit certa nobis ; nam si nobis fide certa esset, hoc ipso non amplius liceret timere, ne salutem amittamus.

616 Dices 1. Apostolus ad Ephes. 1 v. 5 ait : *quod DEUS nos fideles prædestinarit in adoptionem filiorum*

rum, & v. 13 : *quod credentes ſint ſignati ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Ad Rom. 8 v. 16 : *quod ſpiritus teſtimonium reddat ſpiritui noſtro, quod ſimus filii, & hæredes DEI.* Unde ad Theſſalon. 1 cap. 1 v. 4 ait : *Scientes, fratres dilecti a Deo, electionem veſtram.* Conf. 1 Joann. 5 v. 13 dicitur : *Hæc ſcribo vobis ut ſciatis, quoniam vitam habebitis æternam, qui creditis in nomine filii ſui.* Reſp. S. Paulum loqui tum de electione ad fidem & gratiam, tum de electione ad gloriam, attamen in ſpe, ſi videlicet in fide & juſtitia perſeveraverimus, ſeu ut ad Rom. 8 addit : *ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Quis autem certus eſt, quod ſit compaſſurus, prout oportet, & ſpiritum promiſſionis nunquam poſt hac amiſſurus, certe quod omnes Epheſii & Theſſalonicenſes fuerint prædeſtinati, nemo facile ſibi perſuadebit. Ad conf. eadem eſt reſponſio ; cum certum ſit, quod multi a fide & ſalute iterum exciderint, uti Judas, Simon Magus, Nicolaus Diaconus &c.

Dices 2. Apoſtolus 1 ad Cor. 1 v. 8 de Chriſto 617
expreſſe dicit : *Qui confirmabit nos usque in finem ſine crimine in die adventus Domini noſtri.* Hinc ſecunda ad Timoth. 1 v. 12. de ſe ipſo ſcribit : *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* & cap 4 v. 7 & 8 : *Bonum certamen certavi -- in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Conf. Chriſtus inſtituit Sacramenta tanquam pignora ſalutis noſtræ : ergo de illa ſumus certi ; alias perpetuis angoribus deberemus cruciari. Reſp. ex his & ſimilibus textibus ſolum probari, quod S. Paulus bene ſperaverit de Corinthiorum & propria ſua ſalute, non vero quod certus fuerit certitudine fidei, eos omnes eſſe ſalvandos. Quodſi talem certitudinem de propria ſua ſalute habuiſſet, illa fuiſſet ex ſpeciali revelatione. Ad conf. Sacramenta ſunt quidem in ſe certa ſalutis pignora, ſed nobis

nobis certo non constat, quod illis fructuose simus usi, & usuri. Neque tamen semper debemus cruciari angoribus; qui enim se nullis gravibus peccatis scit obnoxium, & firmum habet propositum DEO prompte serviendi, bene potest sperare, atque se divinæ providentiæ tranquilla conscientia permittere.

618 Quæres. Quinam sint effectus prædestinationis? Resp. Omnia illa beneficia gratuita, quæ Deus ob merita Christi præparavit prædestinatis ex voluntate efficaci illos perducendi ab beatitudinem. Unde ut aliquid dici possit effectus proprius prædestinationis in hac providentia requiritur 1, ut sit a Deo tanquam auctore & causa efficiente prædestinationis. 2. Ut aliquo modo pertineat ad ordinem supernaturalem, & aliquid ad salutem conducat. 3. Ut sit donum ex Christi meritis. 4. Ut proficiscatur ex voluntate DEI efficaci perducendi ad finem supernaturalem. Ex defectu ultimæ hujus conditionis proprie non sunt effectus prædestinationis dona & gratiæ supernaturales reprobis concessæ, sicut nec illa beneficia, ac media generalia, quæ communia sunt tam reprobis, quam prædestinatis, uti passio Christi, institutio Sacramentorum, prædicatio Evangelii; si enim præcise spectentur in genere, tantum proficiscuntur ex sincera voluntate generali salvandi omnes homines. Imo mors & merita Christi etiam respectu prædestinatorum non sunt effectus prædestinationis, sed illius causa moralis.

619 In specie effectus prædestinationis communiter reducuntur ad tres classes. In prima sunt bona supernaturalia, vocatio, justificatio, & glorificatio. Ad vocationem pertinent tum gratiæ internæ, tum externæ e.g. prædicatio Evangelii, Sacramentorum institutio &c. Ad justificationem spectat gratia sanficans, & dona actualia ac merita illam consequentia. Ad glorificationem ipsa vita æterna, cæteraque

bona, quibus beati in cœlis fruuntur. In ſecunda claſſe ſunt bona naturalia, creatio, conſervatio, talenta naturæ, quatenus ex ſpeciali DEI intentione collata ſunt, ut ad ſalutem conducant. In tertia claſſe ſunt mala pœnæ, & ipſa permiſſio peccati, non quaſi per ſe, & ratione ſui aliquid ad ſalutem æternam conferat, ſed quatenus per accidens ad illam concurrit ratione ſubſequentium bonorum, quæ Deus pro ſua ſapientia & miſericordia novit ex illa eruere, e. g. quod peccatores poſt recuperatam juſtitiam cautius ambulent, ſuis viribus diffidant, majorem fervorem in negotio ſalutis concipiant, & frequentius DEI auxilium implorent.

QUÆSTIO V.

An detur, & quomodo fiat reprobatio poſitiva?

DAri reprobationem poſitivam patet ex pluribus 620
Scripturæ teſtimoniis. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus*, Matth. 25 v. 41. *Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum*, ad Rom. 9 v. 22. Cauſam hujus reprobationis refert Origenes in mala opera, quæ animæ fecerunt, antequam in corpora detruderentur. At animas non extitiſſe ante corpora, eorumque veram formam eſſe, definitum eſt in concilio Lateranenſi ſub Leone X Act. 10; & ad Rom. 9 v. 11 de Jacob & Eſau dicitur: *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali - - - - Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Pluribus hunc errorem Origenis refellunt S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1 in Joann. c. 9, & Juſtinianus Imperator tract. ad Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui exſtat in appendice ad Synodum V.

621 Marcionatæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ, Gnoſtici, Goteſchalcus, Huſſitæ, Zwingliani & Calviniani Antelapſarii dicunt cauſam reprobationis poſitivæ eſſe ſolum DEI beneplacitum ſine reſpectu ad mala opera. Janſeniſtæ aliique Poſtlapſarii pro cauſa adſtruunt peccatum originale. At licet parvuli, qui ob defectum rationis, & libertatis ſunt incapaces peccati perſonalis, a vita æterna reprobentur ob ſolum peccatum originale, id neutiquam dici poteſt de adultis, tum quia Deus omnes homines etiam poſt lapſum Adami ſerio vult ſalvos fieri: tum quia Chriſtus pro omnibus etiam reprobis mortuus eſt, iisque gratias ſufficientes ad ſalutem impetravit. Accedit quod juxta concilium Tridentinum ſeſſ. 5 *per baptismum reatus peccati originalis remittatur, & tollatur totum id, quod veram, ac propriam rationem peccati habet*; atqui Deus neminem reprobat propter peccatum perfecte jam remiſſum: ergo.

622 Ex quibus patet cauſam reprobationis poſitivæ multo minus referri poſſe in ſolum DEI beneplacitum. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus DEUS, & non ut convertatur a viis ſuis?* Ezech. 18 v. 23. Hinc concilium Arauſicanum ſecundum can. 25 ita ſtatuit: *Aliquos ad malum divina poteſtate eſſe prædeſtinatos, non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum crederent, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* & Tridentinum ſeſſ. 6 can. 17: *Si quis dixerit, reliquos omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpote divina poteſtate prædeſtinatos ad malum, anathema ſit.* Quæritur jam ulterius, quomodo decretum reprobativum tendat; quæſtio autem potiſſimum procedit de reprobatione poſitiva formali, an videlicet illa fiat ante, vel poſt demerita abſolute prævisa?

623 Dicendum. Reprobatio poſitiva & formalis ratione noſtra fit poſt demerita abſolute prævisa. Ita communis. Prob. Decretum reprobativum ita æqui-

valet

valet pluribus actibus distinctis, ut si isti inter se subordinari deberent, decretum collativum auxiliorum inefficacium, & permissivum demeritorum, eorumque visio absoluta præcederet decretum infligendi pœnam propter demerita: ergo decretum infligendi pœnam damnationis ratione nostra fit post demerita absolute prævisa. Prob. ant. quia adjudicare hominem pœnæ æternæ ante demerita absolute prævisa sapit inclinationem ad puniendum & habet speciem aliquam crudelitatis; sicut econtra hominem ordinare ad felicitatem nondum absolute prævisis meritis DEI benignitatem commendat, ut indicat S. Augustinus lib. 3 contra Julianum cap. 18 dicens: *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Conf. Deus ideo voluit Judam punire pœna æterna, quia prævidit peccatum finale absolute futurum, & non vicissim, ut colligitur ex concilio Valentino citato num. 599: ergo.

Dixi 1. Reprobatio positiva & formalis; cum enim Deus nunquam det auxilium inefficax ut tale, reprobatio radicalis nunquam est positiva. 2. Ratione nostra, quia in reprobatione tam parum opus est admittere signa quasi naturæ, quam in prædestinatione, ut adeo etiam reprobatio positiva stricte nec fiat ante, nec post demerita absolute prævisa; fit tamen post demerita conditionate futura, ita exigente tum libertate creata, tum providentia divina. Unde sententiam decreti reprobativi ita possumus concipere: licet videam, quod si Judas haberet hæc auxilia, iis dissentiret, & finaliter peccaret, volo tamen ipsi hæc auxilia conferre, permittere ejus demerita, & peccatum finale, & propter illa infligere pœnam æternam. Ubi vides in primo signo rationis poni voluntatem conferendi hæc auxilia. In secundo voluntatem permittendi demerita, & peccatum finale. In tertio voluntatem 624

damnandi propter hæc demerita, & peccatum finale.

Objectiones.

625 Obj. 1. Apoſtolus ad Rom. 9 v. 12 & 13 inquit: *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori : ſicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui* : ergo reprobatio ratione noſtra non eſt poſterior demeritis abſolute præviſis. Conf. Deus in ſcriptura dicitur aliquos induraſſe, obcæcaſſe &c. ergo. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. ergo reprobatio negativa & radicalis non eſt ratione noſtra poſterior demeritis abſolute præviſis, tranſ. conſ. reprobatio poſitiva, & formalis, neg. conſ. odium DEI adverſus Eſau, quod non erat ex operibus, non ſignificat reprobationem poſitivam & formalem, ſed ad ſummum negativam & radicalem, cum juxta phraſin Hebraicam, quæ caret comparativis, odium ſæpe ſumatur pro minore dilectione. Ad conf. Deus non excæcavit, aut induravit aliquos poſitive impellendo ad malum, ſed tantum ſubtrahendo gratias congruas, ut explicat S. Auguſtinus tract. 53 in Joannem dicens: *Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt.* Vid. num. 524.

626 Dices. Deus aliquos excæcat, & indurat eo fine, ut pereant: ergo reprobat illos poſitive ante demerita abſolute præviſa. Ant. prob. Apoſtolus ad Rom. 9 v. 17 inquit: *Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam*, id eſt potentiam, in puniendo, & v. 22 ; *DEUS volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum.* Similia habentur v. 33. Reſp. neg. ant. in primo textu verbum excitavi iterum non ſignificat excitationem poſitivam, ſed tantum

tum negativam seu permissionem juxta morem Scripturæ, quæ de permissione DEI sæpe loquitur tanquam de actione positiva ad declarandam ejus certitudinem. Neque particula *ut* in ejusmodi textibus debet sumi causaliter, quasi significaret finem antecedenter a Deo intentum, sed tantum consecutive, in quantum significat eventum ex aliqua suppositione futurum, quem dein Deus voluntate consequente ad certum finem ordinat. Unde juxta communem interpretationem textus primus habet hunc sensum: ego permisi scelera tua, quæ dein ordinavi ad ostendendam potentiam meam. Alter textus solum indicat, quod Deus etiam post peccata absolute prævisa non statim puniat, sed differre soleat, ut clarius ostendat potentiam & justitiam in puniendo.

Obj. 2. Juxta nos Deus hominem statim reprobaret post scientiam mediam de meritis conditionate futuris; sed hoc sapit crudelitatem, ut patet in judice, qui hominem adhuc innocentem condemnaret ad patibulum propter furtum mere conditionate prævisum. Conf. Deus hominem non tantum reprobat propter demerita conditionate prævisa: ergo propter demerita absolute prævisa. Resp. conc. maj. dist. min. nisi Deus simul pro priori logico vellet purificare conditionem, sub qua prævidet demerita absolute futura, conc. min. si hoc fiat, neg. min. &c. Judex humanus ita absolute ferens sententiam mortis, non purificat simul illam conditionem, sub qua prævidet hominem illum esse furaturum, cum realiter nihil ponat, vi cujus furtum pro eodem instanti est absolute futurum. At Deus post scientiam mediam de peccatis reproborum in eodem signo quasi naturæ, quo sententiam damnationis fert, pro priori rationis purificat conditionem, sub qua perseverantia finalis in peccato est absolute futura, ut patet ex tendentia decreti supra indicata. Ad conf. conc. ant. neg. conf. quamvis reprobatio non fiat

627

fiat propter demerita tantum conditionate prævisa, sicut Massilienses dicebant de parvulis, tamen etiam non fit propter seu post visionem absolutam demeritorum; fit itaque propter demerita, quæ conditionate prævidentur, & simul pro priori rationis sunt absolute futura.

628 Dices. Si Deus purificat conditionem, sub qua peccatum finale videtur futurum, Deus est causa illius, ut absolute futuri: ergo est causa ruinæ reproborum. Conf. hæc conditio: si Antichristo darem hoc auxilium finale, est soli Deo libera: ergo solus Deus facit, ut peccatum fit absolute futurum. Resp. dist. ant. si illa purificatio conditionis per se inferret conditionatum, vel ideo a DEO fieret ut conditionatum seu perseverantia finalis in peccato sequatur, conc. ant. secus, neg. ant. & cons. hæc conditio, si Antichristus haberet auxilium *a*, per se non est connexa cum peccato Antichristi; hinc licet Deus hoc auxilium conferat, ex hoc necdum per se infertur peccatum Antichristi absolute futurum, neque Deus ideo hoc auxilium confert, ut Antichristus peccet, sed cum libere sit peccaturus, Deus peccatum permittit. Ad conf. dist. ant. hæc conditio est soli Deo libera quoad suam existentiam, conc. ant. quoad futuritionem peccati, neg. ant. & cons. Porro decretum DEI non constituit hypothesin scientiæ mediæ; hinc accurate loquendo non debet dici: si Antichristo darem, sed si Antichristus haberet hoc auxilium finale.

629 Obj. 3. Deus non potest anticipare pœnam ante existentiam peccati suo tempore positam: ergo neque potest ferre sententiam absolutam damnationis antequam peccatum existat. Conf. homo ante demerita absolute posita, vel saltem absolute prævisa nondum est reus, & pœna dignus: ergo. Resp. conc. ant. dist. cons. non potest ferre absolutam sententiam damnationis executioni mandandam ante actuale peccatum, conc. cons. executioni mandandam.

dam, poſtquam actuale peccatum exſtitit, neg. conſ. Anticipatio pœnæ eſſet teſtimonium juridicum peccati jam commiſſi, quod tamen nondum commiſſum eſt; præterea homini adhuc innocenti afferret grave damnum; nihil horum ſequitur ex anticipata ſententia damnationis, imo niſi Deus hanc ab æterno conciperet, illam nunquam poſſet ferre; cum omnia, quæ decernit, neceſſario ab æterno decernat. Ad conf. diſt. ant. nondum eſt reus & pœna dignus, cognoſcitur tamen infallibiliter talis eſſe futurus ſub conditione, quam Deus ſimul vult purificare, conc. ant. aliter, neg. ant. & conſ.

Dices. Sic Deus defacto haberet ſufficientem 630 cauſam ad reprobandam Deiparam, & prædeſtinandum Luciferum, eo quod habeat ſcientiam mediam de demeritis Deiparæ, & meritis Luciferi conditionate futuris; ſequela in terminis eſt abſurda: ergo. Conf. Si reprobatio poſitiva non eſt poſterior demeritis abſolute prævifis poſterioritate vera; nulla amplius eſt ratio, quare dicatur poſterior poſterioritate rationis: ergo. Reſp. neg. maj. Quia conditio, ſub qua prævidentur demerita Deiparæ, & merita Luciferi, defacto non purificatur. Jam vero ad concipiendum decretum reprobativum requiritur, ut Deus pro priori logico velit purificare conditionem, ſub qua demerita videntur eſſe ſecutura, item ut de iſta purificatione conditionis certificetur, quod fieri poteſt vel per ſcientiam mediam reflexam, vel per ſcientiam viſionis, quæ comitatur decretum, quo Deus vult permittere demerita; nam licet neutra decretum dirigat, nihilominus utraque purificationem conditionis manifeſtat. Ad conf. neg. ant. Poſterioritas rationis adſtruitur; imprimis cum fundamento in re, ſuccurrit infirmitati intellectus noſtri, ſervat unicitatem virtualem decreti divini, & omnem notam crudelitatis ſufficienter a Deo avertit.

QUÆSTIO VI.

Quomodo fiat reprobatio formalis negativa?

631 REprobatio negativa alia eſt radicalis, alia formalis; hæc cum juxta nos nihil aliud ſit quam negatio gratuitæ prædeſtinationis ad gloriam, conſtat illam dari reſpectu omnium, qui damnantur; quippe nemo illorum, quos DEUS gratuito ad gloriam elegit, perire poteſt; quos vero non elegit merito cenſentur aliquo modo negative a ſalute rejecti. Interim hæc reprobatio non eſt voluntas quædam poſitiva aliquos excludendi a gloria, & multo minus illos damnandi, ſed eſt mera illorum non electio. Quodſi tamen cum Gormaz & aliis quibusdam per reprobationem formalem negativam intelligas decretum aliquod poſitivum, quo Deus ante omnem prævifionem abſolutam & conditionatam peccati nollet aliquos ad gloriam admittere; utique talis reprobatio negativa defacto non daretur, & merito illam negat laudatus P. Gormaz; quia hac voluntate admiſſa DEUS reprobo non amplius poteſt ſerio velle ſalutem, ſed ille inevitabiliter eſſet excluſus a gloria. Cæterum

632 Reprobatio negativa radicalis, rurſus alia eſt pura, alia mixta. Iſta præter omiſſionem dandi gratias congruas dicit voluntatem poſitivam dandi auxilia finalia, quæ quidem prævidentur inefficacia, attamen ſufficientia, & conjuncta ſunt cum ſincera intentione ſalutis. Dari hanc reprobationem mixtam colligitur ex eo, quia auxilia efficacia Deus de facto reprobis denegat, ſimul tamen ipſis dat gratias ſufficientes ex ſeria voluntate ſalutis ipſorum, licet per ſcientiam mediam prævideat illas fore inefficaces. Negativa iterum accipi poteſt pro mera negatione decreti, quo Deus vellet dare auxilium finale efficax qua tale, & ſic involvitur in reprobatione mix-

ta,

ta, vel pro nolitione absoluta dandi gratias efficaces ad gloriam, idque antecedenter ad libertatem hominis etiam conditionate prævisam: & hæc in ista providentia rursus repugnat ob rationem supra allatam.

Quod jam reprobatio radicalis mixta nullam ha- 633
beat causam ex parte hominis reprobi, neque fiat propter, aut post merita saltem personalia absolute prævisa, satis intelligitur ex illis, quæ numero 581 diximus de prædestinatione radicali; sicut enim gratia efficax ad primum meritum non potest esse propter aliquod meritum: sic etiam negatio auxilii efficacis, quo evitaretur primum peccatum seu demeritum non potest esse propter aliud peccatum; atqui reprobatio radicalis mixta necessario includit negationem gratiæ efficacis ad primum peccatum evitandum; si enim homo nunquam peccaret, hoc ipso non daretur reprobatio radicalis, sed talis homo infallibiliter consequeretur vitam æternam. Aliud est, quod Deus propter præcedentia peccata possit alicui subtrahere auxilium efficax finale, vel etiam negare perseverantiam finalem passivam. Itaque præsens quæstio potissimum procedit de reprobatione negativa formali in nostro sensu accepta.

Dicendum 1. Reprobatio formalis negativa, si 634
accipiatur absolute quoad reprobos præcise secundum se spectatos, non fit ex mero DEI beneplacito, sed propter demeritum saltem originale reproborum, adeoque ratione nostra post demeritum absolute prævisum. Conclusio est contra Calvinum, Zwinglium. Prob. 1. Deus etiam in statu naturæ lapsæ, quantum est in se, vult omnes homines salvos fieri: ergo nulli negat gloriam æternam nisi propter aliquod demeritum vel actuale vel saltem originale; atqui reprobatio negativa formalis est negatio gloriæ æternæ: ergo. 2. Sicut prædestinatio ad gloriam facta est per modum misericor-

diæ parcendo, ita reprobatio a gloria facta eſt per modum juſtitiæ puniendo, ut docet S. Thomas 1 part. quæſtione 23 art. 5 ad 3, & indicat Apoſtolus ad Rom. 9 v. 22, ubi reprobationem exprimit nomine *odii*, ipſos vero reprobos vocat *Vaſa iræ in interitum.* Atqui pœna non infligitur niſi propter demerita. Conf. ex omnibus illis textibus, quos citavimus numero 622 & 623, qui cum generaliter & illimitate loquantur, non minus de reprobatione negativa, quam poſitiva intelligendi ſunt.

635 Dicendum 2. Si reprobatio formalis negativa accipiatur comparative ad alios gratuito electos, non habet aliam cauſam, quam beneplacitum DEI unum aſſumentis, & alterum relinquentis. Ita communis cum S. Thoma loco ſupra cit. Prob. Quod Deus ex hominibus aliquos prædeſtinet, & ideo illis conferat tales gratias, quibus prævidet eos finaliter eſſe perſeveraturos, provenit ex mera benevolentia, & beneplacito DEI: ergo quod viciſſim aliis neget hunc ſpecialem favorem, illisque conferat auxilia finalia mere ſufficientia, pariter provenit a ſolo beneplacito DEI, cum omnes ſint in pari maſſa damnationis, & eodem peccato originali infecti. Certe S. Paulus ad Rom. 9, ubi reſpondet curioſius inveſtiganti in ulteriorem cauſam hujus reprobationis non recurrit ad opera bona vel mala a Deo præviſa, ſed ad incomprehenſibilia judicia Dei. *O homo*, inquit v. 20, *tu qui es? qui reſpondeas Deo, nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?* Et Chriſtus, licet prædicaverit Capharnaitis, non prædicavit Tyriis, & Sydoniis, qui tamen pœnitentiam egiſſent. Conf. quia aliunde conſtat, quod Deus ſe non gerat æqualiter erga homines ſub æqualibus demeritis conſtitutos; aliquos enim parvulos vult pervenire ad Baptismum, alios non, adultorum aliquos præſervat a lapſu, alios non, aliqui ſurgunt, alii non. *Quare autem hunc trahat,*

trahat, illum non trahat, inquit S. Auguſtinus tract. 26 in Joannem, *noli velle judicare, ſi non vis errare.*

Objectiones.

Obj. 1. Deus etiam poſt lapſum Adami omnes 636
homines vult ſalvos fieri: ergo neminem reprobat negative. Conf. Deus per gratuitam prædeſtinationem ad gloriam intendit totum aliquod morale nempe regnum cœleſte tot determinate conſtans partibus: ergo hoc ipſo, quod aliquos non prædeſtinet, illos poſitive excludit, ſicut architectus, ſi deſignaret domum ædificandam ex his determinate lapidibus, reliquos hoc ipſo poſitive reprobaret. Reſp. diſt. ant. Deus vult omnes homines ſalvos fieri ſerio, conc. ant. omnino efficaciter, neg. ant. & diſt. conſ. ergo neminem reprobat negative ſine ipſius culpa, conc. conſ. propter ipſius culpam, neg. conſ. Deus ex ſeria voluntate ſalvandi homines omnibus quidem tribuit ſufficientia media ad delendum peccatum originale, ſi autem iſta media ipſis non applicentur, habet juſtam cauſam illos ab æterna gloria excludendi. Ad conſ. conc. ant. diſt. conſ. niſi pro priori ſigno rationis ſerio vellet, ut regnum cœleſte etiam conſtet ex illis, quos poſtea reprobat, conc. conſ. ſecus, neg. conſ. Licet Deus per prædeſtinationem intentivam ſit certus de numero ſalvandorum, hæc tamen gratuita electio non excludit ſeriam voluntatem ſalvandi etiam reliquos, modo ipſi vellent.

Obj. 2. S. Paulus non minus excludit demerita 637
a reprobatione quam merita a prædeſtinatione. Nam poſtquam ad Romanos 9 v. 12 & ſeqq. dixit: *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, & ſibi objecit: *Nunquid iniquitas apud Deum?* non recurrit ad demerita, ſed

ſed ad ſupremam DEI voluntatem: *miſerebor, cujus miſerebor: non eſt volentis, ſed miſerentis DEI:* ergo reprobatio negativa non fit propter demerita. Conf. Proverbiorum 16 v. 4 dicitur: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus impium quoque ad diem malum.* Ergo ſolo nutu ſuo aliquos deſtinat ad interitum. Reſp. tranſ. ant. quia hunc locum Pauli multi intelligunt ſolum de reprobatione radicali, diſt. conſ. ergo reprobatio comparativa non fit propter demerita, conc. conſ. abſoluta, neg. conſ. cum S. Scriptura, Auguſtinus, aliique Patres modo ſolicite in cauſam reprobationis indagent, modo ad inſcrutabilia DEI judicia recurrant, plurimum commendatur noſtra doctrina, quæ per datam diſtinctionem illorum textus convenientiſſime conciliat. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Textus objectus loquitur de voluntate conſequente, qua Deus etiam ex malis novit bona eruere.

638 Dices. Deus vi ſupremi Dominii potuiſſet omnes etiam innocentes æternis ſuppliciis adjudicare, ſicut homo pro libitu poteſt cruciare ac mactare bruta, licet in illa tantum habeat dominium limitatum: ergo multo magis poteſt Deus in ſtatu naturæ lapſæ reprobare, quos vult. Conf. Deus negative reprobavit angelos ſine ipſorum culpa: ergo a pari. Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. Quamvis Deus damnando innocentes forte non committeret injuſtitiam ſtricte talem, hoc tamen repugnat ejus clementiæ & manſuetudini; imo in hac providentia etiam pacto cum Chriſto pro redemptione generis humani inito, & ipſi voluntati Divinæ omnes ſalvandi. Neque eſt paritas cum brutis, quæ carent uſu rationis, & omnis juris proprie dicti incapacia ſunt. Quamquam illum, qui bruta immoderate & ſine rationabili cauſa torqueret, nollem ab omni piaculo abſolvere. Ad conf. neg. ant. intellectum de reprobatione negativa formali; cum enim Deus etiam ſalutem omnium angelorum ſerio voluerit, eodem pro-

proportionaliter modo de ipsis est loquendum, sicut de hominibus.

Obj. 3. Si reprobatio comparativa fit ex mero DEI beneplacito, interitus reproborum debet adscribi ipsi Deo, de quo proin illi merito possunt conqueri. Conf. Tali modo reprobi necessario perirent; quippe nemo potest salvari, nisi qui sunt electi; sed reproborum nemo est electus: ergo. Resp. neg. sequelam, tum quia tamen reprobatio absoluta non fit nisi propter demerita; tum quia exclusionem a vita æterna omnes jam sumus meriti per peccatum originale. Jam vero, ut rem istam declarat S. Augustinus in cap. 9 ad Rom. lect. 33, si aliquis duobus ipsum æque offendentibus, uni dimittat offensam, & non alteri, est misericors uni, & justus ad alterum, neutri vero iniquus. Ad conf. neg. illatum, ad probationem additam neg. maj. aliud est, quod nemo nisi electus sit salvandus, aliud quod nemo nisi electus possit salvari. Reprobi autem, ut sæpe dixi, potentia antecedente potuissent facere, ut essent electi, & sic salvarentur. Vid. etiam quæ dixi disput. secunda a n. 437. 639

Dices. Saltem Deus reprobis propter nulla demerita negat gratiam efficacem: ergo hoc ipso radicaliter & virtualiter vult eorum damnationem, sicut per prædestinationem radicalem virtualiter vult electorum salutem. Conf. Deus decretum reprobativum juxta nos statim faceret post scientiam mediam de demeritis: ergo reprobum nunquam posset amare amore amicitiæ, quo ipsi efficaciter vellet summum bonum, & æternam beatitudinem. Resp. conc. ant. neg. conf. Sicut Deus negando gratiam efficacem nullo modo vult culpam, sic nec damnationem, quia nihilominus dat gratias sufficientes, & quod non sint efficaces, provenit ex culpa hominis. Dein gratias inefficaces non dat, quia sunt inefficaces, vel ut sint inefficaces. Econtra prædestinatis gratias efficaces dat; quia sunt tales, & ut per illas salu- 640

ſalutem conſequantur. Ad conſ. conc. ant. neg. conſ. Deus reprobis pro illo tempore, quo ſunt in ſtatu gratiæ vere vult ſummum bonum, ſed ſub conditione, ſi in eo ſtatu perſeverent, quam conditionem imbibit omnis amor amicitiæ; alias amicitia divina nunquam amplius poſſet diſſolvi.

641 Quæres adhuc 1. An reprobatio abſoluta fiat propter peccata perſonalia vel originale? Reſp. Quod parvuli, qui ſine baptismo & uſu rationis decedunt, reprobentur propter ſolum peccatum originale, facile conveniunt auctores: de adultis baptizatis inter ſe controvertunt. Aliqui cum Tournelio contendunt illos reprobari propter ſola peccata perſonalia, eo quod originale per baptismum ipſis plene fuerit remiſſum. Alii econtra cum Simonet docent peccatum originale per baptismum quidem ita remitti, ut non amplius poſſit puniri privatione gloriæ, gratiæ ſanctificantis, aut etiam actualis ſufficientis; poſſe nihilominus adhuc puniri privatione ſpecialis illius benevolentiæ, qua Deus electos prædeſtinat: ſicut peccatum condonatum etiam in electis ſæpe punitur privatione uberioris gratiæ, antiquæ familiaritatis &c. Denique Cardinalis Gotti viam mediam ingreditur, dicens, baptizatos immediate quidem reprobari propter peccata perſonalia, propter originale autem remote & radicaliter, in quantum poſt baptismum adhuc remanet fomes peccati, & homini manet indebitum auxilium illud ſpeciale, quod ad actu perſeverandum requiritur, & ſic putat optime poſſe conciliari textus Patrum, præſertim S. Auguſtini, quos in utramque partem primæ & ſecundæ ſententiæ patroni citare ſolent.

642 Quæres 2. Quinam ſint effectus reprobationis? Reſp. Reprobationem dupliciter conſiderari poſſe, ut eſt exclusio a gloria cœleſti, & ut eſt inflictio pœnæ. Ut eſt excluſio a gloria in hac vita mortali

tali, proprie nullum habet effectum, sed illi primum inchoantur ab instanti mortis. Ut est inflictio poenæ, ejus præcipui effectus sunt poena damni & poena sensus in altera vita; dein in hac vita permissio peccati, perseverantia in peccato, excæcatio quorumdam, & obduratio, non quidem quatenus dicunt malum culpæ, aut inclinationem, & obstinationem in peccato qua tali, quæ nunquam a Deo directe intendi possunt; *Deus enim nemini mandavit impie agere*, Eccl. 15 v. 21, sed quatenus hæc omnia permittuntur a Deo in poenam peccatorum præcedentium. Neque dicas, ut aliquid possit dici effectus reprobationis, debet illud esse a Deo. 2. aliquid efficaciter conferre ad finem reprobationis. 3. & quidem ex vi decreti finalem perseverantiam in malo permittentis, & poenam æternam pro peccato infligentis. Nam hæc omnia verificantur, modo Deus effectus recensitos permittat, prævidens inde ex malitia hominis finalem impoenitentiam, & damnationem secuturam, juxta illud Psalm. 80 v. 13: *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.*

PARS IV.

DE DEO TRINO.

TRinitas si absolute profertur non quidem Ciceroniano, sed Ecclesiastico vocabulo significat ineffabile illud mysterium, quo tres sunt in Deo personæ, & una numero simplicissima essentia seu natura. Per essentiam seu naturam juxta Boetium lib. de duabus naturis intelligitur unamquamque rem informans specifica differentia, seu illud, per 643

quod

quod res quælibet definitur, & intrinſece in ſua ſpecie conſtituitur. Perſona juxta eundem eſt naturæ completæ & rationalis individua ſeu incommunicabilis ſubſtantia, & in complexo involvit tum ipſam naturam, tum ſubſiſtentiam ſeu perſonalitatem. Differt a ſuppoſito, quod hoc latius pateat, & cuilibet ſubſtantiæ etiam irrationali competat. Idem quod apud Latinos perſona, nunc apud Græcos ſignificat hypoſtaſis, de qua olim inter ipſos Patres orthodoxos occaſione hæreſis Arianæ magna fuit controverſia, cum aliqui per hypoſtaſin naturam, alii ſubſiſtentiam intelligi debere contenderent, donec tandem poſt concilium Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum II vocabulum perſonæ & hypoſtaſis in eodem ſenſu a tota Eccleſia fuit uſurpatum.

644 Porro Deum eſſe unum in natura & trinum in perſonis eſt myſterium humano intellectui tam imperceptibile, ut niſi fides aliud doceret, ex primis principiis potius inferret, illud eſſe impoſſibile. *Nemo*, inquit Chriſtus Matth. 11 v. 27, *novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui Filius voluerit revelare.* In quæ verba S. Athanaſius ita Arianos exagitat: *Quid igitur impii his de rebus, quas ſcrutari nefas eſt, effutire non verentur: illi inquam, qui & homines ſunt, nec vel ipſam rerum terreſtrium naturam poſſunt evolvere.* Hinc SS. Patres apud Ruiz & Tournelium paſſim indicant, myſterium Trinitatis ſola ratione naturali a nemine certo poſſe cognoſci. Idem docent omnes theologi excepto Raymundo Lullo, & paucis quibuſdam Hiſpanis.

645 Ratio eſt, quia myſterium Trinitatis ſecluſa fide neque ex ipſa eſſentia Divina, neque ex creaturis ſatis innoteſcit. Nam 1. licet bonitas infinita naturæ Divinæ ſit infinite communicabilis, & ejus fæcunditas ſumma perfectio, quam etiam videtur exigere perfectiſſima felicitas, quæ ſine conſortio & ſocie-

societate plurium non videtur posse consistere; hæc tamen per solum lumen naturale adeo non possunt cognosci, ut potius dictaret per communicabilitatem & fæcunditatem ad intra destrui immutabilitatem & simplicitatem DEI, & ens infinite perfectum se solo sibi debere ad omnem felicitatem sufficere. 2. Transmisso, quod creaturæ habeant essentialem connexionnem cum Trinitate personarum, hæc ipsa tamen connexio sine revelatione nos lateret, & licet homo sit creatus ad imaginem DEI, hæc imago prototypon suum non nisi obscure ænigmatice & valde imperfecte repræsentat.

Hinc si Gentiles quidam Philosophi aliquam my- 646
sterii Trinitatis notitiam habuerunt, illam hauserunt vel ex sacris litteris antiqui testamenti, vel quod verisimilius ex oraculis Sybillarum, aut manifestatione dæmonum & idolorum. Imo ex ipsis Judæis non nisi pauci quidam Patriarchæ & Prophetæ sanctitate conspicui apertam hujus mysterii revelationem habuerunt, & licet illud in Scripturis veteris Testamenti aliquo modo fuerit adumbratum, uti Genesis 1 v. 26, ubi Deus in numero plurali ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Item Isai. 6 v. 3, ubi Seraphim clamasse dicuntur: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum;* hæc tamen in Veteri lege nondum satis intelligebantur, sed clarior tam sublimis mysterii declaratio Christo ejusque Ecclesiæ reservata fuit, ne, ut advertit Theodoretus lib. de curat. Græcar. affectionum Serm. 2 populus Judaicus per se ad idololatriam pronus ex notitia trium Divinarum personarum occasionem sumeret plures deos colendi.

In Nova lege clariora Trinitatis testimonia sup- 647
peditant tum S. Scriptura, tum traditio. Catholicam de eadem doctrinam brevi compendio complectuntur symbolum Nicænum & S. Athanasii, item

concilium Lateranense IV sub Innocentio III, uti refertur cap. 1 & 2 de summa Trinitate. Ubi inter alia ita definitur: *Credimus & confitemur cum Petro Lombardo, quod una summa quædam res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus; tres simul personæ, ac singillatim quælibet earundem: & ideo in Deo solummodo trinitas est, non quaternitas: quia quælibet personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest: & illa res non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat: & Filius, qui gignitur: & Spiritus sanctus, qui procedit: ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus: non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est Filius & Spiritus sanctus, idem omnino, ut secundum Orthodoxam & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur.*

DISPUTATIO I.

De mysterio Trinitatis.

648 TRinitatem divinarum Personarum negant Judæi & Mahometani. Ex hæreticis Simon Magus, Valentinus, Praxeas, qui primus circa annum 196 hunc errorem ex Asia attulit, & in Africanis ac Romanis provinciis sparsit. Eundem acrius dein propugnarunt Noetus, & præsertim Sabellius docentes, Deum esse unum in persona, sicut in natura, & solum appellari diversis nominibus per ordinem ad diversas operationes; hinc revera Patrem Divinum esse incarnatum, passum, mortuum &c. ob quam causam ejus sectatores dicti sunt Patripassiani. Sabellium secuti sunt Paulus Samosatenus, Photinus, Pri-

Priſcillianus, & Servetus natione Hiſpanus, ſed Genevæ ob hanc hæreſim ipſo Calvino adnitente combuſtus. Denique hodie illam adhuc profitentur Sociniani, qui in Deo ſolum admittunt perſonam Patris, Chriſtum vero dicunt eſſe purum hominem, & Spiritum ſanctum nihil aliud, quam virtutem, & efficaciam DEI.

Ex oppoſito naturæ unitatem in Deo præter 649
Polytheos negarunt Tritheiſtæ, de quibus diximus parte 1 num. 58, a quibus ſolum vocetenus Sæculo XII diſſenſiſſe videtur Joachimus Abbas, vir quidem admodum pius, ſed in rebus theologicis non multum verſatus. Cum enim Petrum Lombardum tanquam hæreticum & inſanum traduxerit, eoquod docuiſſet, ſummam quamdam rem nempe eſſentiam Divinam eſſe Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, videtur admiſiſſe in Deo non ſolum dari tres perſonas, ſed etiam eſſentias numero diſtinctas, vel potius quaternitatem ex tribus perſonis, & natura realiter ab ipſis diſtincta, uti colligitur ex concilio Lateranenſi IV, in quo error Joachimi fuit damnatus, non tamen ejus perſona; nam ſcripta ſua ante obitum judicio ſedis Apoſtolicæ ſubjecerat.

QUÆSTIO I.

An DEUS ſit unus in Natura & trinus in Perſonis ?

DIcendum. DEUS eſt unus in natura, & trinus 650
in perſonis. Prob. auctoritate Scripturæ. Matth. ult. v. 19 legitur: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, in quo textu, cum in ſingulari dicitur: *In nomine*, juxta interpretationem Patrum, & Eccleſiæ, ſignificatur unitas naturæ, & cum diſtincte nominantur

tur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſignificatur perſonarum diſtinctio & numerus ternarius. Id ipſum ſatis clare indicat S. Joannes epiſt. 1 cap. 5 v. 7 dicens: *tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt.* Conf. illis textibus, in quibus diſtinctio Patris a Filio, aut Patris ac Filii a Spiritu ſancto exprimitur. Primi generis ſunt: *Ego & Pater unum ſumus,* Joann. 10 v. 30. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt*, Joann. 14 v. 10. Secundi generis ſunt: *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis,* Joann. 14 v. 16. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis,* Joann. 15 v. 26.

651 Prob. ſecundo auctoritate Patrum, ex quibus multi de SS. Trinitate ex profeſſo ſcripſerunt, uti S. Baſilius in lib. contra Eunomium, Hilarius libris 12, Gregorius Nazianz. & Nyſſ. pluribus orationibus, S. Chryſoſtomus 5 homiliis, S. Ambroſius libr. de Spiritu ſancto, S. Auguſtinus libris 15 de SS. Trinitate: verum quia Antitrinitarii non dubitant de ſententia Patrum ſæculi quarti & ſequentium, ex tribus prioribus breviter aliquos recenſeo, quorum verba recitat P. Simonet. Itaque ſæculo I myſterium Trinitatis tradiderunt Clemens Romanus in ſua ad Corinthios epiſtola, & S. Polycarpus Martyr in oratione, quam ad Deum, jamjam ſubiturus martyrium, fudit. Sæculo II Athenagoras Athenienſis, Philoſophus Chriſtianus in legatione pro Chriſtianis, & S. Irenæus in ſuis libris paſſim. Sæculo III Tertullianus libr. contra Praxeam, S. Dionyſius Alexandrinus in epiſtola, quam ſuo, & eccleſiæ Alexandrinæ nomine ſcripſit ad Paulum Samoſatenum, Gregorius Thaumaturgus in ſua fidei expoſitione. Conf. Certum eſt, quod in ſæculo tertio Eccleſia Deum unum in natura, & trinum in perſonis ſit profeſſa; jam tunc enim Praxeas ſuam novitatem Romæ debuit revocare,

care, & Sabellius in Alexandrina synodo damnatus est : ergo Ecclesia eandem fidem etiam prioribus sæculis est professa.

Prob. tertio auctoritate conciliorum. Sæculo IV concilium Nicænum in suo symbolo ita profitetur: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem - - in unum Dominum JEsum Christum ex Patre natum, genitum non factum - - & in Spiritum sanctum.* Quod symbolum eodem sæculo confirmavit Constantinopolitanum I & postea Constantinopolitanum II Act. 6, Constantinopolitanum III Act. 17, Nicænum II, Constantinopolitanum IV, Lateranense IV, & denique Tridentinum sess. 3. Conciliis Generalibus adjungi potest symbolum Athanasianum, quod quia in omnibus Ecclesiis legitur, optime manifestat, qualis sit ecclesiæ Catholicæ circa mysterium Trinitatis doctrina. Sic autem habet: *Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur neque confundentes personas, neque substantiam separantes; alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; sed Patris & Filii & Spiritus sancti una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.* Taceo concilia particularia, uti Bracharense II, Toletanum III, IV, VI, VIII, Forojuliense & Wormatiense. 652

Probatur quarto ex constanti Ecclesiæ praxi. 653
Nam 1 a primis Ecclesiæ temporibus Baptismus semper fuit collatus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut ostenditur in tract. de Sacram. in quo baptizandi ritu continetur publica & solemnis professio fidei in tres personas Divinas & essentiæ unitatem. 2. Ubique terrarum semper publicus adorationis cultus impendebatur Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui sancto, ut testatur S. Justinus apolog. 2 pro Christianis. 3. Si qui negarunt personarum Trinitatem, unitatem naturæ Divinæ, aut

Divinitatem Filii & Spiritus ſancti, a temporibus Apoſtolorum ſtatim fuerunt habiti ut hæretici, & eorum doctrina tanquam perniciofa novitas condemnata. Sic Ebioni, Paulo Samoſateno, Arii anteceſſoribus, Aetio & Eunomio Macedonii anteſignanis ſtatim repugnavit Eccleſia, ut teſtatur Dionyſius Alexandrinus in citat. epiſt. & S. Athanaſius in epiſt. ad Serapionem.

Objectiones.

654 Obj. 1. Iſa. 44 v. 24 dicitur: *Ego ſum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Item cap. 45 v. 5: *Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt DEUS*; ergo in Deo datur unica perſona. Conf. Ipſe Chriſtus Joann. 17 v. 3 ait: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum*: ergo. Reſp. conc ant. vox *dominus* & *ego* ſupponit pro omnibus tribus perſonis, per voces autem excluſivas: *non eſt amplius, extra me non eſt*, tantum excluditur conſortium creaturarum, & idola gentium, ut optime advertit Tertullianus libr. contra Praxeam, cap. 18 & 19. Ad conf. eadem eſt reſponſio; nam vox *ſolum* non debet connecti cum præcedente pronomine *te*, ſed cum ſubſequentibus *Deum verum*; hinc in græco textu vox *ſolus* a pronomine *te* ſejungitur per articulum τὸν, & in latino per interpoſitam virgulam ſeu comma. Eodem modo reſpondetur ad alios ejusmodi textus, ut ſic concilientur cum illis, quos pro nobis citavimus.

655 Dices. Dum Chriſtus præcepit, ut baptismus conferatur in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ſolum voluit indicare, quod recipiamus baptismum Patris & Filii & Spiritus ſancti: ergo ex hoc non pro-

probatur, quod Filius & Spiritus ſanctus ſit Deus. Conf. Quia alias ſequeretur, quod etiam Moyſes ſit Deus, nam 1 ad Cor. 10 Iſraelitæ dicuntur baptizari in nomine Moyſis, & in eum credidiſſe. Reſp. neg ant. Chriſtus præcepit, ut baptizemur eodem modo in nomine Filii & Spiritus ſancti, quo baptizamur in nomine Patris; atqui in nomine Patris ideo baptizamur, quia eſt ſumma & infinita illius auctoritas, qua baptiſmum inſtituit, & nos per illum in filios ſuos adoptat, quod ſoli Deo competit. Hinc S. Paulus 1 ad Cor. 1 v. 2 docet, neminem baptizari in nomine alicujus creaturæ; quia videlicet illi, in cujus nomine baptizamur, fidem, obedientiam, adorationem, & ſalutem noſtram debemus. Ad conf. Iſraelitæ non dicuntur baptizari in nomine Moyſis, ſed in Moyſe, id eſt, vel per miniſterium Moyſis, vel potius in doctrinam Moyſis; nam ſæpe in Scripturis nomen Moyſis pro ejus doctrina uſurpatur: ſic Luc. 16 v. 19 dicitur: *Habent Moyſen & prophetas, audiant illos.*

Obj. 2. Quando S. Joannes epiſt. 1 cap. 5 v. 7 656
ſcribit: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant, & hi tres unum ſunt*; non loquitur de unitate eſſentiæ, ſed voluntatis & conſenſus, quam videlicet Chriſtus pro diſcipulis ſuis petiit, dum Joann. 17 v. 21 oravit: *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te.* Conf. Unitas, de qua in hoc textu ſermo, eſt ſimilis illi, quam indicat verſus octavus immediate ſequens: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, ſanguis & aqua, & hi tres unum ſunt*; atqui hæc non eſt unitas naturæ, ſed teſtimonii: ergo. Reſp. neg. ant. cum ex una parte unitas eſſentiæ trium perſonarum aliunde probetur, & habeatur ex conſtanti traditione Eccleſiæ: ex altera parte Chriſtus pro ſuis diſcipulis non potuerit petere aliam unitatem, quam cujus erant capaces: utique Joannis 17 unitas in alio ſenſu debet acci-

pi, & to *ficut* non importat omnimodam æqualitatem, quemadmodum eandem Chriſtus non deſideravit, dum Matth. 5 v. ult. dicit: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Hinc ad conf. iterum neg. ant. imo diſcrimen eſt in ipſo textu ſacro; nam verſu 7 de Patre, Filio & Spiritu ſancto dicitur: *hi tres unum ſunt;* de ſpiritu vero aqua & ſanguine, ut fert textus græcus: *& hi tres in unum ſunt,* id eſt, in unum teſtimonium conſpirant. Taceo, verba textus octavi in multis vetuſtis codicibus non inveniri.

657 Dices. Ipſe verſiculus ſeptimus non legitur in Græcis codicibus, nec reperitur in multis veteribus latinis: ergo non eſt canonicus. Conf. Quia Patres antiqui Ambroſius, Auguſtinus, Leo Magnus, quando contra Arianos, Macedonianos & Sabellianos diſputarunt, nunquam hoc textu uſi ſunt. Reſp. neg. ant. Quamquam hic textus per oſcitantiam amanuenſium in aliquibus exemplaribus Græcis fuerit omiſſus, quod facile contingere potuit; quia verſus ſeptimus & octavus iisdem vocibus incipiunt & deſinunt, legitur tamen in multis, & Robertus ex ſedecim vetuſtis exemplaribus obſervavit, tantum ſeptem hunc verſiculum non habere. In recentioribus latinis ubique continetur; quod autem in antiquioribus deſideretur, inde evenit, quia aliqui epiſtolam Joannis vertentes ex Græco, uſi ſunt exemplaribus imperfectis. Ad conf. Antiqui illi Patres vel non habuerunt præ manu integros codices, vel timuerunt, ne hæretici occaſionem cavillandi arriperent ex eo, quod hic verſiculus non ubique legatur. Interim hoc ipſo textu jam primis ſæculis uſi ſunt Tertullianus, Cyprianus, Fulgentius, Idacius Clarius, Victor Vitenſis, & cum Eugenio Carthaginenſi 400 Epiſcopi, ut oſtendit Tournelius.

658 Obj. 3. SS. Patres cum S. Auguſtino paſſim dicunt, in Deo dari tres res, tres ſubſtantias, tres natu-

naturas: ergo non agnoverunt unitatem essentiæ. Conf. Si in Deo sunt tres personæ & una essentia, datur quaternitas: ergo. Resp. dist. ant. dicunt in Deo dari tres res relativas, conc. ant. absolutas, neg. ant. & conf. Quando Patres ita loquuntur, per rem, substantiam, & naturam non intelligunt essentiam Dei, sed more Græcorum personas, in quantum personæ Divinæ non sunt aliquid inane & vacuum, ut contra Praxeam arguebat Tertullianus. Equidem fatendum, Patres quosdam ante exortas hæreses de mysterio Trinitatis non nunquam securius & minus accurate fuisse locutos, & in quibusdam consectariis non nihil a vera regula deflexisse: attamen quod ad ipsam substantiam dogmatis ac mysterii pertinet, præter manifeste hæreticos omnes alii communem fidem tenuerunt, ut inquit Petavius in præfat. tom. secundi. Ad conf. neg. ant. Quamvis in Deo sint tres res relativæ nempe tres personæ, & una res absoluta, nempe essentia; hæc tamen cum illis non facit numerum, quia tres res relativæ identificantur eidem essentiæ.

Dices 1. SS. Patres nominatim Gregorius Nyss. 659
tract. ad Abladium docent, quod tres personæ Divinæ respectu Divinitatis se habeant sicut Petrus, Paulus & Joannes respectu naturæ humanæ: ergo sicut hi tres non habent eandem numero naturam humanam, sic tres personæ Divinæ non habent eandem numero naturam Divinam. Conf. Veteribus præsertim S. Hilario unitas numerica substantiæ ita fuit suspecta, ut illam appellaverit unionem hæresis; hinc libr. de synodis num. 29 non improbat, quod Patres synodi Antiochenæ dixerint personas Divinas esse per substantiam tria, per consonantiam vero unum. Resp. dist. ant. docent, quod ita se habeat quoad aliqua, conc. ant. quoad omnia, neg. ant. Patres isti egerunt contra Arianos, & toti erant in propugnanda consubstantialitate Filii cum Patre

Divino; paritatem autem cum natura humana solum instituerunt quoad hoc, quod sicut tres homines sint tres personæ, & habeant eandem specie naturam, sic tres personæ habeant eandem numero naturam. Ad conf. S. Hilarius cum Patribus Antiochenis per substantiam intellexit Personas, inter quos negabat unionem seu unitatem ad sensum Sabellii, qui unicam in Deo personam admisit, *Pater Deus & Filius Deus unum sunt, non unione, sed substantiæ unitate,* inquit Hilarius Lib. 4 de Trinit. n. 42.

660 Dices 2. Si primis Ecclesiæ sæculis tam constans, & commune fuit dogma Trinitatis, cur illud non impugnarunt ethnici, & ex eo pluralitatem deorum contra Christianos probare conati sunt? Conf. Hoc mysterium repugnat principio evidenter noto: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: ergo. Resp. neg. suppositum, quod gentiles Trinitatis doctrinam Christianis non objecerint; nam ut S. Justinus in Apolog. pro Christianis ad Antoninum testatur, Christiani pro insanis a gentibus fuerunt habiti, quod Christum colant tanquam Filium DEI: sciebant ergo, illos in uno Deo plures personas agnoscere. Praxeas quoque apud Tertullianum ex pluralitate personarum plures deos inferre conatur. Idem fecit Celsus, ut testatur Origenes libr. 8 contra ipsum. Adde, quod innumera, quæ ab ethnicis contra religionem Christianam scripta sunt, perierint, & ipsi Christiani mysteria sua coram gentilibus occultaverint, ne forte eorum ludibrio & profanationi exponerentur. Ad conf. Hoc principium, ut ipse Aristoteles advertit, solum procedit in iis, quæ identificantur eidem tertio adæquate sumpto re & ratione, & quorum unum est principium alterius; quia repugnat idem a se ipso procedere.

661 Obj. 4. Ex una parte nomen Deus personam indicat: ex altera parte pro numero subsistentiarum seu

seu personarum multiplicatur forma e. g. pro numero hominum humanitas: ergo si in Deo dantur tres personæ distinctæ, dantur tres dii. Conf. Quia Pater est persona divina, & Filius & Spiritus sanctus sunt personæ Divinæ, dantur tres personæ Divinæ: ergo quia Pater est Deus, & Filius & Spiritus sanctus, dantur tres dii. Resp. dist. ant. nomen DEI includit personam aliquam determinate, neg. ant. unam vel plures confuse, conc. ant. quoad hoc membrum, & dist. etiam quoad alterum. Pro numero subjectorum seu personarum multiplicatur forma in creatis, conc. ant. in Divinis, neg. ant. & conf. Nomen Deus est concretum naturæ directe & in recto importans ipsam naturam, personam autem solum indirecte & confuse; hinc licet Deus revera sit ens in tribus subsistens, id tamen ex solo nomine Deus non cognoscitur. Porro quod in creatis multiplicata persona, etiam multiplicetur forma seu natura, aliunde probatur; quia nempe ejusmodi naturæ sunt limitatæ & separabiles. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Antecedens verum est, quia in Divinis ratio communis personalitatis revera multiplicatur, at non ita multiplicatur ratio communis essentiæ.

Dices 1. Per formam quælibet res est id, quod 662 est, eaque detracta non amplius manet talis, qualis fuerat: ergo ejusdem rei non possunt dari plures formæ e. g. plures existentiæ ejusdem rei, plures rationalitates ejusdem hominis. Conf. Quælibet persona Divina est Deus: ergo sicut essentia Divina est una in tribus personis, sic quælibet persona Divina posset dici trina in personis. Resp. dist. ant. per formam adæquatam res est id, quod est, eaque detracta non amplius manet adæquate talis, qualis fuerat, conc. ant. per formam inadæquatam, neg. ant. & dist. conf. ergo unius rei non possunt dari plures formæ adæquatæ, & ejusdem omnino rationis, conc. conf. inadæquatæ, & non ejusdem omnino

nino rationis, neg. conſ. Quævis perſona ſeorſim ſumpta non determinat eſſentiam Divinam ſub omni ratione, ſed ſubſiſtentia Patris illam contrahit ad ſolum Patrem, ſubſiſtentia Filii ad ſolum Filium, conſequenter hæ formæ non ſunt omnino ejusdem rationis & muneris, ſicut eſſent plures exiſtentiæ ejusdem rei, plures rationalitates ejusdem hominis, quæ hoc ipſo, quod una efficeret, quod altera, forent inutiles. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. nam quælibet perſona tantum conſtat unica ſubſiſtentia ſeu perſonalitate, adeoque non poteſt dici trina in perſonis : econtra eadem indiviſibilis eſſentia Divina identificatur omnibus tribus perſonis, & in omnibus tribus ſubſiſtit.

663 Dices 2. Si perſonæ Divinæ ſunt realiter diſtinctæ, & nihilominus identificantur cum eadem eſſentia, una eademque res ſimul diſtinguitur, & non diſtinguitur, eſt una & multiplex, communicatur, & non communicatur ; atqui hæc involvunt contradictionem : ergo. Conf. Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſunt alius & alius ; ſed quilibet eſt Deus : ergo Deus eſt alius & alius. Reſp. diſt. maj. eadem res ſimul diſtinguitur, & non diſtinguitur, eſt una & multiplex ſub eadem ratione, neg. maj. ſub diverſa, conc. maj. Deus diſtinguitur, & eſt multiplex quoad perſonas, non item quoad naturam, quæ omnibus tribus indiviſa communicatur, quin ulla contradictio proprie talis interveniat ; hæc quippe debet eſſe de eodem ſub eadem ratione & reſpectu. Ad conf. diſt. maj. Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſunt alius & alius ratione perſonalitatum, tranſ. maj. ratione eſſentiæ, neg. maj. & omiſſa min. diſt. conſ. ergo Deus eſt alius & alius ratione perſonalitatum, tranſ. conſ. ratione eſſentiæ, neg. conſ. omiſi minorem, quia quilibet ſeorſim ſumptus, non eſt omne id, quod eſt Deus ; hinc non concludit, nec medium ſatis diſtribuunt

bunt ejusmodi syllogismi : hic Pater est DEUS ; hic DEUS est Filius : ergo hic Pater est Filius.

QUÆSTIO II.

An & quomodo personalitates Divinæ distinguantur ab essentia.

QUod personalitates Divinæ in abstracto conside- 664
ratæ non distinguantur realiter ab essentia Divina, certum est ; quia alias inter illas & essentiam daretur compositio realis ; hinc licet, ut loquitur Concilium Lateranense, num. 647 cit. *Alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud, sed idem omnino,* eadem nempe essentia seu natura Divina. Idem definivit Eugenius III contra Gilbertum Porretanum ; cum enim putaret, dici non posse Pater est Deitas, sed tantum Pater est Deus Deitate, Pontifex ex mente Concilii Rhemensis statuit : *Ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & personam divideret, neve Deus de Divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum sed etiam nominativi.* Quando igitur S. Damascenus & alii quidam Patres personas Divinas vocant modos essentiæ, non intelligunt modos physicos, & realiter ab essentia distinctos, sed solummodo modos metaphysicos ab essentia distinctos ratione.

Pariter communissima contra Scotistas docet, 665
quod personalitates ab essentia Divina non distinguantur ex natura rei formaliter, tum quia etiam hæc distinctio opponitur perfectissimæ simplicitati Divinæ : tum quia juxta Concilium Florentinum personalitates & essentia Divina differunt sola ratione, & secundum nostram intelligentiam ; atqui distinctio ex natura rei formalis non fit tantum ratione, sed juxta suos Patronos datur a parte rei ante omnem operationem intellectus. Verba Concilii

lii Florentini sess. 18 sunt: *Joannes Theologus nomine Patrum Latinorum annuentibus Græcis ita pronunciavit: substantia & persona re quide sunt idem, secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur.* Quam sententiam clarioribus adhuc verbis confirmavit sess. 25 in professione fidei dicens: *Ne identitatem, unitatemque essentiæ dividamus, atque ut essentiam ab hypostasibus non re differre, sed ratione & actu intelligendi asseramus.*

666 Neque obstat 1. quod inter essentiam & personalitates Divinas detur capacitas ad verificanda prædicata contradictoria intrinseca, antecedens operationem nostri intellectus; nam ideo ante operationem intellectus actu & a parte rei nondum datur distinctio; alias inter essentiam & personalitates omnino intercederet distinctio realis. 2. Quod capacitas ad verificanda prædicata contradictoria intrinseca sit effectus distinctionis actualis. Non enim est effectus illius formalis primarius & specificus, sed solum secundarius, qui etiam tribui potest distinctioni virtuali; effectus autem primarius & specifice proprius distinctionis actualis est negabilitas unius de altero in recto. 3. Quod distinctio virtualis sit major, quam distinctio rationis ratiocinantis & ratiocinatæ, eo quod fundetur in majori fundamento, nempe in capacitate ad verificanda prædicata contradictoria intrinseca; quippe nihilominus actu solum fit per intellectum, & ideo vocatur distinctio rationis maxima seu theologica.

667 Verum non desunt, qui inter personalitates & essentiam Divinam tantum admittunt distinctionem rationis ratiocinatæ. Quamquam enim omnes fateantur has & similes propositiones: essentia Divina est Filius, Pater non est Filius, Essentia Divina est communicabilis pluribus, Pater non est communicabilis pluribus, esse verissimas, & nullam involvere contradictionem proprie talem: existimant tamen, quod in his propositionibus affirmatur,

matur, & negatur, non esse omnino idem, sed de essentia affirmari Filium verum, de Patre negari Filium chimericum, essentiam communicari communicabilitate essentiæ, Patrem non esse communicabilem communicabilitate Paternitatis, vel certe sensum primarum propositionum esse: essentia est Filius identitate faciente identitatem essentiæ, Paternitas non est Filius identitate faciente identitatem personæ. Vel tota essentia Divina est identificata cum Filio, tota essentia Patris non est identificata cum Filio totaliter.

Sed contra est 1. Quamvis communicabilitas 668
essentiæ & Patris non sint idem prædicatum, forent tamen idem, si Pater & essentia tantum distinguerentur formaliter, ferme sicut animalitas & rationabilitas Petri idem sunt. 2. Fides docet, quod Filius Divinus a Patre distinguatur realiter: ergo idem Filius Divinus, qui affirmatur de essentia, negatur de Patre. 3. In istis propositionibus: essentia est Filius, Pater non est Filius, directe & signate non affirmatur & negatur identitas subjecti cum prædicato, sed ipsum prædicatum. Alias dicam in istis: homo est rationalis, Leo non est rationalis, non dari prædicata contradictoria, sed sensum esse: homo est rationalis identitate rationalitatis cum homine, Leo non est rationalis identitate rationalitatis cum leone. 4. Cum juxta mentem Ecclesiæ significatum explicitum essentiæ Divinæ sit esse DEI absolutum, significatum vero explicitum personalitatum esse personale ac relativum, non quadrat hic distinctio inter essentiam totam & totaliter acceptam; sed sensus dictarum propositionum est: essentia, sive esse absolutum DEI est esse personale Filii, Pater, sive esse personale Patris non est esse personale Filii.

Profecto si mysterium Trinitatis posset explicari 669
per solam distinctionem rationis ratiocinatæ, non esset tanta illius sublimitas, quantam in eodem agnoscunt, ac inculcant concilia, & Patres. Neque magis

gis tranſcenderet noſtrum intellectum, quam quod verificari poſſint prædicata contradictoria de animalitate & rationalitate Petri, prout diverſis ſubſtant conceptibus. Vel certe non eſſet difficilius captu, quam quod tota anima hominis ſit in pede, non tamen totaliter. Fateamur ergo ipſam eſſentiam & perſonalitates Divinas, licet ſint eadem entitas, non tamen eſſe omnino idem, ſed æquivalere pluribus ita, ut de illis nequeant quidem verificari propoſitiones contradictoriæ, poſſint nihilominus verificari prædicata contradictoria tum abſoluta, tum conditionate talia, conſequenter inter eſſentiam & perſonalitates Divinas intercedere diſtinctionem virtualem, ut illam explicavimus de Deo Volente, Num. 399.

670 Dices 1. Eſt lumine naturæ evidens, quod idem non poſſit ſimul eſſe & non eſſe; alias identificarentur inter ſe res & negatio rei: ergo implicat, ut eſſentia Divina realiter ſit Pater, & Filius realiter non ſit Pater: conſequenter inter eſſentiam & Filium Divinum non poſſint verificari prædicata contradictoria. Conf. Quia Pater realiter eſt producens, & Filius productus, diſtinguuntur realiter: ergo etiam eſſentia & Filius, ſi illa realiter eſt improducta, hic vero productus. Reſp. diſt. ant. quod idem re & ratione non poſſit ſimul eſſe, & non eſſe, conc. ant. idem quidem re, virtualiter autem diſtinctum, neg. ant. quamvis non poſſint invicem identificari res & negatio ejusdem rei formalis e. g. Filius Divinus & negatio illius formalis, poſſunt tamen in eodem tertio identificari Filius & Pater, qui aliquo modo eſt negatio radicalis Filii, in quantum ab eo neceſſario diſtinguitur. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. quod relatio primo producentis & producti inferat diſtinctionem realem, habemus ex fide, & lumen naturæ dictat, quod nihil ſe ipſum poſſit producere: contrarium docet fides de iſtis prædicatis con-

contradictoriis: esse productum & non esse productum.

Dices 2. Oppositio contradictoria est major, 671
quam relativa producentis & producti: ergo si producens & productum non possunt esse realiter idem, multo minus possunt esse idem productum, & non productum. Conf. Ideo juxta nos de essentia & personalitatibus possunt verificari prædicata contradictoria, quia distinguuntur virtualiter: & ideo virtualiter distinguuntur, quia habent capacitatem verificandi contradictoria; hoc est ambulare in circulo: ergo. Resp. dist. ant. oppositio contradictoria in propositionibus, conc. ant. tantum in prædicatis, neg. ant. oppositio contradictionis stricte dicta involvit propositiones contradictorias, & est omnium maxima, quia veritas unius propositionis essentialiter excludit veritatem alterius. Oppositio vero tantum includens prædicata contradictoria, est potius minor oppositione producentis & producti, ut ex fide discimus. Ad conf. neg. maj. quoad secundum membrum, si per particulam *ideo* denotetur ratio a priori; nam capacitas verificandi prædicata contradictoria est ipsissima distinctio virtualis, & ab illa solum differt sicut definitio a definito. Cujus utriusque ratio a priori est eminentia infinitæ perfectionis Divinæ, vi cujus tres realiter personæ identificantur cum eadem essentia.

Dices 3. Si Pater a parte rei non est Filius, hoc 672
ipso negatur de essentia; nam sensus est: Pater realiter non est quidquam, quod est Filius; alias Pater esset id, quod est Filius, adeoque idem cum Filio. Conf. Hæc propositio: essentia non est ingenita, ideo est falsa, quia habet hunc sensum: essentia non est id, quod est ingenitum: ergo a pari. Resp. neg. ant. cum ratione addita; quippe tam Pater quam Filius est essentia Divina, & vere possum dicere: anima non est homo, licet sit aliquid hominis.

Porro ex eo: quod Pater ſit idem, quod eſt Filius, ſolum ſequitur, quod de Patre poſſit aliquid prædicari cum Filio identificatum, videlicet eſſentia Divina, non vero ipſe Filius. Ad conf. neg. ant. Alias etiam falſa eſſet hæc propoſitio: Eſſentia non eſt genita. Ratio itaque, cur eſſentia non ſit genita, eſt, quia eſſentia nec cum Patre generat, nec ob identitatem cum Filio generatur; alias propter oppoſitionem producentis & producti a Filio, aut Patre diſtingueretur realiter.

673 Dices 4. Quæ realiter ſunt idem, debent de ſe invicem poſſe prædicari in recto; ſed Pater in recto non poteſt prædicari de eſſentia, alias vera eſſet iſta propoſitio: eſſentia eſt generans. Conf. Saltem Pater juxta nos virtualiter non eſſet Deus: ergo æquivalenter eſſet realiter diſtinctus ab eſſentia Divina. Reſp. diſt. maj. debent de ſe invicem prædicari poſſe vel adjective & in concreto, vel ſaltem ſubſtantive & in abſtracto, conc. maj. neceſſario adjective & in concreto, neg. maj. quamvis non poſſim dicere: eſſentia eſt generans, poſſum tamen dicere: eſſentia eſt Pater vel genitor, item: eſſentia eſt generatio, quod in Divinis ſufficit ad identitatem realem. Ad conf. tranſ. ant. ſi enim nomen DEUS conjungitur cum prædicato, quod DEO ſolum ratione perſonæ convenit, DEUS accipitur pro perſonalitate, ut ſi dico: DEUS eſt generans, neg. conſ. cum enim Patrem eſſe realiter diſtinctum ab eſſentia ſit prædicatum chimericum, nullum habemus fundamentum aſſerendi, quod diſtinctio virtualis, quæ ſolum ex fide nobis innoteſcit, etiam quoad hoc æquivaleat diſtinctioni reali.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An personalitates Divinæ ut virtualiter distinctæ ab essentia sint perfectiones ?

SIcut essentia Divina, licet cum personalitatibus realiter sit identificata, easdem tamen in suo conceptu constitutive non involvit, ut diximus part. 1 disp. 2 q. 4. Sic vicissim personalitates in suo conceptu metaphysico non involvunt essentiam Divinam tanquam constitutivum; nam juxta communem modum loquendi Conciliorum & Patrum, Pater omnia communicat Filio præter proprietatem Paternam, quod non subsisteret, si proprietas Paterna ex ipsa essentia Divina metaphysice constitueretur. Neque hac ratione salvari posset doctrina Concilii Lateranensis, secundum quam paternitas est generans, Filiatio genita; essentia vero nec generans nec genita, adeoque Paternitas & Filiatio ab essentia ad minimum distinguuntur distinctione distinctionis ratiocinatæ, imo juxta nos virtualiter; atqui si personalitates in suo conceptu formali essentiam constitutive involverent; hæc distinctio non amplius posset habere locum: ergo. 674

Hinc licet personalitates Divinæ immediate, & ex conceptu suo metaphysico necessario different a puro nihilo & omni creatura, ita, ut proprie sint Divinæ reales ac existentes, ideo tamen in suo conceptu non includunt Divinitatem, existentiam & perfectionem Dei absolutam, sed ab essentia Divina ita denominantur tanquam a forma, vel quasi forma in obliquo importata, quatenus nempe cum essentia Divina sunt essentialiter connexæ & realiter identificatæ. Ideo cum Scotistis & Thomistis nostri communius docent, quod personalitates Divinæ, ut virtualiter ab essentia distinctæ in suo conceptu formali ac metaphysico ne quidem involvant spe- 675

cialem aliquam perfectionem relativam, sed quod sint mera prædicata neutra, nempe quædam hypostases, subsistentiæ, proprietates, relationes, quæ de se neque dicant specialem perfectionem, neque imperfectionem.

676 Probatur 1 auctoritate conciliorum & Patrum. Imprimis tres personæ Divinæ juxta concilium Lateranense sunt una quædam summa res. Et juxta Florentinum sess. 18 sola relatio apud omnes Græcos & Latinos doctores Divina processione personas multiplicat ita, ut non alia ratione, quam vi relationis una persona ab alia differat. Dein juxta Patres in Deo datur una tantum bonitas, veritas, magnitudo, dignitas &c. Sic S. Augustinus lib. 5 de Trinit. cap. 8 ait: *Bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus, nec tres boni, sed unus est bonus.* S. Damascenus lib. 1 de Ortho. fid. cap. 11: *Una enim essentia, una bonitas, una potestas, una voluntas, una facultas, una auctoritas, una & eadem, non tres inter se similes.* Eodem modo loquuntur Gregor. Nazianz. Anselm. Bernard. Fulgent. &c. neque tantum possunt intelligi de bonitate & perfectione absoluta; nullibi enim inter perfectionem absolutam, & relativam distinguunt, cum tamen hæc distinctio in Concilio Lateranensi aptissima fuisset ad terminandam litem inter Petrum Lombardum & Joachimum Abbatem.

677 Probatur 2. Si personalitates Divinæ ut virtualiter distinctæ ab essentia, essent formaliter aliqua perfectio relativa, nulla ex illis esset perfecta omni modo possibili, & tota Trinitas perfectior, quam quælibet persona seorsim. Pater quoque & Filius haberent perfectionem, quæ in Spiritu sancto ne quidem daretur æquivalenter; nam in Patre darentur duæ perfectiones relativæ, nempe generatio & spiratio activa, in Filio generatio passiva & spiratio activa, in Spiritu sancto sola spiratio passiva. Hinc in

in Divinis non procedunt hæc & ſimilia principia naturalia: Omni exiſtenti in rerum natura nihil magis eſt intimum quam ſua entitas, realitas, eſſentia. Omne, quod non eſt nihil, eſt aliquid, in ſuo conceptu involvens exiſtentiam, realitatem, entitatem. Realitas, entitas, eſſentia ſunt termini tranſcendentes, qui eſſentialiter conveniunt cuicunque, quod non eſt nihilum. Ratio eſt, quia in Divinis datur diſtinctio virtualis, vi cujus inter eſſentiam, entitatem &c. & inter perſonalitates verificantur prædicata contradictoria.

Quamvis igitur perſonalitates Divinæ, ut vir- 678
tualiter ab eſſentia diſtinctæ, non ſint entitas, realitas, bonitas, eſſentia &c. non tamen ſunt nihil aut merum ens rationis; ſed ſunt aliquid reale, ens verum, bonum, perfectum, ſubſtantiale &c. ſed quidditate, entitate, bonitate, veritate &c. eſſentiæ, ſicut ſunt Divinæ, æternæ &c. Divinitate & æternitate eſſentiæ, cum qua realiter identificantur. Atque hoc ſufficit, ut Divinam naturam poſſint reddere ſubſiſtentem, producere, produci, conſtituere, ac perſonas inter ſe diſtinguere ita, ut quælibet ſeorſim ſumpta poſſit amari, adorari. Item ut perſonalitas Filii ſe ſola poſſit uniri humanitati, eamque ſanctificare, & quidem magis, quam Pater; nam licet Verbum humanitatem Chriſti dignificet ac ſanctificet per eſſentiam etiam Patri & Spiritui ſancto communem, non tamen id facit ſola eſſentia, neque Pater aut Spiritus ſanctus, quia neuter unitur humanitati Chriſti.

Dices 1. Juxta Concilia & Patres in Deo dan- 679
tur tres perfecti, tria perfecta, tres ſubſiſtentiæ perfectæ: ergo perſonalitates formaliter ſunt perfectiones. Conf. SS. Patres dicunt Deum absque relationibus fore imperfectum. Sic Gregor. Nazianz. Orat. 5 de Theolog. ſcribit: Deitatem non

 fore

fore perfectam, si careat sanctitate, hanc autem habere non posse, nisi habeat Spiritum sanctum. Resp. conc. ant. neg. conf. sicut si eadem albedo esset pluribus muris unita redderet omnes albos, sic etiam perfectio essentialis cum sit in pluribus per identitatem, reddit plures perfectos ita, ut adjectivum *plures* aut *tres* cadat quidem supra nomen substantivum, non autem supra substantiam seu nomen substantivum tale, quod significet entitatem aliquam, quae multiplicetur, sed quod significat tantum relationem, hypostasin &c. Porro quando S. Epiphanius ait, in Deo dari tria perfecta, intelligit tres hypostases, sed una eademque essentia perfectas. Ad conf. Per hunc modum loquendi Patres tantum indicant essentiam divinam fore imperfectam, si non esset communicabilis pluribus e.g. essentiam Divinam & Patrem Divinum non fore sanctum, nisi exigeret spirationem passivam, & per identitatem in Spiritum sanctum se effunderet.

680 Dices 2. Quaelibet persona Divina, ut ab essentia distincta, habet aptitudinem & capacitatem ad identitatem cum essentia, eique convenit; sed haec aptitudo & convenientia est perfectio, quae non potest dari nisi in ente infinito: ergo. Conf. Est perfectio essentiae, posse subsistere in tribus personis: ergo personalitates sunt perfectiones; ad quid enim alias darentur? Resp. omitt. maj. dist. min. haec aptitudo est perfectio essentialis, conc. min. distincta ab essentia, neg. min. nam persona etiam ut virtualiter distincta ab essentia, est realiter ipsa essentia: ergo a parte rei non habet aliam capacitatem ad identitatem cum essentia, quam ipsa essentia ad identitatem secum ipsa, quae est tantum capacitas latius dicta & in sensu formali. Porro personalitates essentiae non conveniunt ita, ut illam perficiant, aut bonitatem distinctam superaddant, sed illi tantum sunt bonae quasi negative seu non malae. Ad conf. conc. ant. neg. conf. hoc ipsum est summa per-

perfectio, quod essentia suas perfectiones possit communicare tribus personis realiter distinctis, easque reddere infinite perfectas. Unde ratio, cur dentur personalitates, est ipsa essentia Divina, exigens per identitatem communicari pluribus.

Dices 3. Paternitas in creatis est perfectio: er- 681
go multo magis in Divinis; nam paternitas in creatis est participatio Paternitatis Divinæ juxta illud ad Ephes. 3 v. 15: *Ex quo omnis Paternitas in cœlis & in terra nominatur.* Conf. Virtualiter distincta debent sub aliquo conceptu apparere ut duo; atqui juxta nos Paternitas & essentia sub nullo conceptu apparent ut duo, quia nunquam ut duæ res possint concipi. Resp. conc. ant. dist. cons. ergo Paternitas in Divinis est perfectio distincta a perfectione essentiæ, neg. cons. indistincta, conc. cons. Paternitas in creatis est actio generativa, quæ, ut argumentum supponit, habet essentiam distinctam ab homine, qui est pater adeoque est illius perfectio, cum sit ex natura sua perfectibilis. At in Divinis Paternitas non habet aliam essentiam quam Divinam, adeoque nec debet nec potest esse alia perfectio. Hinc Paternitas creata non tam est participatio seu effectus Paternitatis Divinæ, quam essentiæ & totius SS. Trinitatis. Ad conf. conc. maj. neg. min. Essentia & Paternitas non quidem apparent sub conceptu duarum entitatum, apparent nihilominus ut duo sub alio conceptu, nempe essentia tanquam essentia, & Paternitas tanquam relatio.

QUÆSTIO IV.

Quot in SS. Trinitate dentur processiones, relationes, & subsistentiæ?

PEr processionem in Divinis intelligitur quæ- 682
dam emanatio seu origo unius personæ ab alia,

quam theologi ita explicare solent. Pater ab æterno perfectissime se cognoscendo producit in se Verbum sive imaginem sui infinite perfectam, adeoque ejusdem secum perfectionis & substantiæ. Præterea Pater Verbumque se invicem amando producunt amorem infinite perfectum, adeoque ejusdem rursus secum perfectionis & substantiæ nempe Spiritum sanctum. Dantur itaque in Divinis duæ processiones totales ad intra, veræ ac reales, nempe una per intellectum, qua Verbum seu Filius a Patre, altera per voluntatem, qua Spiritus sanctus a Patre & Filio simul procedit. Utraque dividi potest in duas partiales, activam nempe & passivam realiter distinctas; nam processio activa, per quam generatur Filius, identificatur cum Patre, passiva vero cum Filiatione. Et similiter processio activa, per quam spiratur Spiritus sanctus, identificatur cum Patre & Filio simul, passiva vero cum termino producto, nempe Spiritu sancto.

683 Quod processiones totales tantum sint duæ, colligitur ex eo, quia omnis processio vitalis ad intra, de qua hic loquimur, fit per operationem vitalem immanentem; atqui in Deo tantum dantur duæ operationes vitales immanentes, nempe intellectio & volitio. Quod autem sint reales, docet fides in symbolo Nicæno, in quo confitemur Filium a Patre, Spiritum sanctum vero a Patre Filioque procedere. Idem habetur Joann. 8 v. 42, ubi Christus ait: *Ego enim ex DEO processi.* Item Joann. 15 v. 26 de Spiritu sancto, *qui a Patre procedit,* quæ Verba a tota Ecclesia accipiuntur in sensu literali ac reali. Tandem quod una processio fit per intellectum seu intellectionem, altera per voluntatem seu volitionem, constat ex eo, quia Filius Divinus a Scriptura, Conciliis & Patribus vocatur Verbum & sapientia, Spiritus sanctus charitas & amor. *Sicut DEI Verbum Filium esse nullus*

nullus dubitat, ita charitatem esse Spiritum sanctum, inquit S. Augustinus lib. 9. de Trinit. cap. 12.

Relatio est ordo unius ad alterum, sive ratio, 684
per quam unum ad alterum refertur. Quatuor ejusmodi relationes reales cum personis Divinis identificatæ numerantur, nempe generatio activa in Patre, generatio passiva in Filio, spiratio activa communis Patri & Filio, spiratio passiva conveniens Spiritui sancto. Nam per generationem activam Pater refertur ad Filium, per passivam Filius ad Patrem &c. Propterea tamen non dantur in Deo quatuor personæ, ut olim somniabat Anastasius Imperator; nam spiratio activa non est nova persona, sed identificatur cum Patre & Filio, qui tanquam unicum principium, & unicus spirator spirant Spiritum sanctum. Unde ex quatuor illis relationibus tantum tres realiter distinguuntur, nimirum Paternitas, Filiatio, & spiratio passiva. Nihilominus spiratio activa a Paternitate & Filiatione distinguuntur virtualiter; nam Paternitas generat, spiratio activa non generat. Filiatio producitur, spiratio activa non producitur. Spiratio activa spirat, Paternitas & Filiatio non spirant.

Subsistentia olim a Patribus sumpta fuit pro sup- 685
posito, nunc communius accipitur in abstracto pro forma suppositum aut personam denominante. Hinc in Deo tot dantur subsistentiæ relativæ realiter inter se distinctæ, quot personalitates ac personæ Divinæ, tres videlicet. Addunt aliqui subsistentiam quartam absolutam, quæ naturam Divinam ut a personalitatibus virtualiter distinctam denominet subsistentem in se. Res hæc ut plurimum devolvitur ad quæstionem de nomine; si enim per subsistentiam nihil aliud intelligatur, quam forma denominans rem ita subsistentem in se, ut non existat in alio tanquam pars, neque per unionem trahatur ad aliud

tanquam totum dignius, debet in Deo admitti subsistentia ista absoluta, & tribus personis communis : si vero per illam intelligatur forma reddens substantiam incommunicabilem alteri tanquam supposito, quæ acceptio apud Patres videtur usitatior, non dabitur subsistentia absoluta.

686 Quæres 1. Quodnam sit principium processionum Filii & Spiritus sancti? Antequam respondeam, noto duplex principium actionis in agente posse considerari : unum quod, & est ipsum suppositum agens, alterum quo, & est forma vel quasi forma, per quam suppositum agit. Principium quo subdividitur in remotum & proximum, remotum est ipsa natura agentis, proximum est illa facultas, vis & potentia, per quam agit. In exemplo Petrus intelligens est principium quod intellectionis, anima rationalis principium quo remotum, intellectus principium quo proximum. Itaque juxta hanc communiorem apud theologos acceptationem : principium quod respectu Filii est Pater, Pater vero & Filius simul respectu Spiritus sancti. Principium quo remotum ac radicale est natura Divina, proximum intellectus & voluntas Divina, ut involventes & connotantes relationem Paternitatis & spirationis activæ, ipsa denique processio seu productio, est intellectio & dilectio non tantum essentialis, sed notionalis.

687 Per cognitionem & dilectionem essentialem intelligitur illa, quæ est communis omnibus tribus personis, in quantum non solus Pater, sed etiam Filius & Spiritus sanctus essentiam suam perfectissime cognoscunt, & se ac infinitam suam perfectionem necessario amant. Cognitio & dilectio notionales præter essentialem includunt aut connotant relationes sibi proprias e. g. generatio activa est ipsa intellectio divina ut affecta relatione Paternitatis, spiratio activa est ipsa dilectio divina ut affecta relatione Paternitatis & Filiationis. Unde generare & intelligere,

ligere, ſpirare & diligere inter ſe ſolum differunt ut includens & incluſum, ferme ſicut homo differt ab animali, quia animal in ſuo conceptu non includit hominem, ſed homo animal. Cum enim Pater & Spirator non dicantur ad ſe & abſolute, ſed relative ad alium, præter ordinem, quem actio eſſentialis dicit ad objectum cognitum & amatum, notionalis adhuc habet alium ordinem ad terminum productum, quatenus circa objectum verſatur cognoſcendo & amando, & circa terminum producendo.

Quæres 2. An, & cur proceſſio Filii ſit gene- 688
ratio, non item Spiritus ſancti proceſſio. Reſp. Quod proceſſio Filii ſit generatio proprie dicta, non item proceſſio Spiritus ſancti, fide certum eſt. Nam 1. Deus Pater a Scriptura, Patribus & Conciliis paſſim vocatur Pater, & Verbum Filius. At nemo proprie eſt Pater, niſi generet, nec proprie Filius, niſi generetur. Hinc Pſalm. 2 v. 7 Deus Pater ita Filium ſuum alloquitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Concilium quoque Nicænum I, Conſtantinopolitanum I & Lateranenſe IV definivit, Filium eſſe genitum. Idem habetur in ſymbolo S. Athanaſii. 2. Joann. 3 v. 16 Filius DEI vocatur *unigenitus* eumque unigenitum eſſe rurſum definitum eſt in Concilio Nicæno & Conſtantinopolitano cit. ergo ſola perſona ſecunda eſt genita, non vero Spiritus ſanctus: ergo hujus proceſſio non eſt generatio, ſed tantum ſpiratio ſeu actio ſpirativa. Ideo Spiritus ſanctus in ſymbolo S. Athanaſii dicitur: *a Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Cur autem productio Verbi ſit generatio, non item Spiritus ſancti, gravis inter doctores eſt controverſia.

D. Bonaventura, Richardus a S. Victore cum plu- 689
rimis præſertim Recentioribus diſcrimen ſtatuunt in hoc, quia Verbum a Patre procedit in ſimilitudinem

niem naturæ ut fœcundæ: non itemSpiritus fanctus. Generatio, dicunt, eft origo viventis a vivente principio conjuncto in fimilitudinem naturæ ut fœcundæ; atqui Verbum ita oritur a Patre, ut ipfi communicetur natura ut fœcunda, five ut productiva alterius adhuc perfonæ nempe Spiritus fancti, quam fœcunditatem Pater & Filius Spiritui fancto non communicant. In idem ferme recidit difcrimen, quod affignat S. Thomas, juxta quem ideo proceffio Verbi potius, quam proceffio Spiritus fancti eft generatio; quia Verbum procedit per intellectum, quæ proceffio per fe ac formaliter tendit in fimilitudinem producti cum producente. Econtra Spiritus fanctus procedit per voluntatem, quæ per fe tantum tendit ad unionem cum amato. Has aliasque auctorum opiniones pluribus refert Tournelius q. 2 de myft. SS. Trinit. & poftquam expendit difficultates, quæ iis opponi poffunt, denique concludit, fatius videri, & tum refellendis hæreticorum cavillationibus, tum altitudini hujus myfterii magis accommodatum, fi ex fide ftatuamus, difcrimen quidem effe inter generationem Filii, & proceffionem Spiritus fancti, fed cujus caufam ac rationem ignoremus.

DISPUTATIO II.

De Divinis perfonis in particulari.

690 UT ea, quæ hactenus in genere de Trinitate diximus, magis declarentur, agendum modo eft de perfonis Divinis in particulari. Equidem de Patre Divino nulla eft controverfia; omnes enim fatentur illum effe ingenitum, non folum quia a nullo factus aut creatus eft, fed etiam, quia eft principium fine principio, fine omni origine, proceffione, aut productione ab alia perfona. Divinitatem

tatem Verbi specialiter impugnarunt Paulus Samosatenus, Samosatis Mesopotamiæ ad Euphratem natus, subin Episcopus Antiochenus, qui blasphemavit, Verbum Divinum tunc primum a Patre subsistentiam distinctam accepisse, quando in utero Virginis Christus formatus fuit. Hanc blasphemiam iterum renovavit Arius dicens: Verbum DEI non semper fuisse, sed ortum ex nihilo; hinc Filium non esse Patri similem secundum substantiam, nec verum Deum, sed creaturam & opus DEI, de quo sermo redibit in tract. de Incarnat.

Divinitatem Spiritus sancti primo aperte impugnarunt Aetius & Eunomius ambo Ariani, quam hæresin contentiosius propugnavit Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, cujus sectatores ab ejus nomine dicti sunt Macedoniani & Pnevmatomachi, id est, impugnatores Spiritus sancti. Recesserunt tamen ab Arianis in eo, quod Divinitatem Filii confiterentur. Porro tam Ariani quam Macedoniani cum Eunomio dixerunt, Spiritum sanctum a solo Filio productum fuisse. Hæresis Macedoniana damnata fuit in multis synodis, in Alexandrina post reditum S. Athanasii anno 362, in duplici Romana sub Damaso, demum anno 381 in synodo II generali, quæ fuit Constantinopolitana prima, in qua symbolo Nicæno post illas voces, *& in Spiritum sanctum* additum est: *Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre adorandum, & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas.* 691

Diuturnior de processione Spiritus sancti a Filio controversia exarsit inter Latinos & Græcos, illis affirmantibus, his negantibus. Controversia hæc inter illos jam agitari cœpit sæculo VIII; nullus autem majori audacia Græcorum errorem defendit, quam Photius. Invaserat ille vivente adhuc Ignatio legitimo Patriarcha sedem Constantinopolitanam, & 692

anno

anno 858 auctor fuit luctuosi illius schismatis, quod græcam Ecclesiam a latina sejunxit, & ideo a Nicolao I damnatus, cæco furore vicissim Pontificem damnavit. Eundem sæculo XI imitatus est Michael Cærularius, pronuntians Romanum Pontificem, & omnes Latinos esse excommunicatos, quod contra decretum Concilii Ephesini, hanc vocem *filioque* symbolo addidissent. Sed eodem sæculo S. Anselmus Cantuariensis Episcopus Catholicam de processione Spiritus sancti a Filio veritatem in Concilio Barensi strenue contra Græcos propugnavit.

693 At licet illi sæpius ad unitatem & concordiam cum Latinis redierint, tamen pro sua innata levitate rursus in pristinum errorem sunt relapsi. Anno 1215 Concilio Lateranensi IV duo Patriarchæ Constantinopolitanus & Hierosolymitanus cum aliis non paucis orientalibus præsulibus consenserunt Latinis. At brevi rupta unione iterum sub Gregorio X anno 1274 congregari oportuit Concilium Lugdunense II, in quo adnitente potissimum Michaele Paleologo Comnæno Græcorum Imperatore, & Becco, qui expulso Josepho Constantinopolitanæ sedi præfuit, solemnis pax inter Græcos & Latinos redintegrata fuit ita, ut missi nomine imperatoris & Ecclesiæ Græcæ legati, errorem suum palam abjurarint, & symbolum, cui insertæ erant voces : *a Patre Filioque procedit* inter solemnia sacra cum Latinis decantarint.

694 Verum pax hæc non diutius duravit, quam vita imperatoris, quo brevi mortuo pristina contentio exarsit, donec tandem anno 1439 in Concilio Florentino sub Eugenio IV præsente ipso Græcorum imperatore Joanne Paleologo communis fidei sancita est professio, cui omnes subscripserunt, excepto solo Marco Ephesino, qui in errore suo pertinax librum contra Latinos edidit, & maximam Græcorum partem iterum subvertit. At post 14 annos, Deo

Deo Græcorum levitatem & ſuperbiam juſte ulciſcente, Conſtantinopolis a Turcis fuit expugnata, & Orientis imperium funditus everſum. Porro in Concilio Florentino non ſolum de proceſſione Spiritus ſancti a Filio, ſed etiam de additione vocis *filioque*, a Latinis in ſymbolo facta, acriter diſputatum eſt. Quonam autem auctore, quove tempore hæc additio facta ſit, & ſymbolum cum illa publice inter miſſarum ſolemnia cantari cœperit, nihil certi ſtatui poteſt.

Sunt, qui additionem hanc tribuunt Nicolao I 695
anno 858, idque colligunt ex epiſtolis Photii ad ſedes Patriarchales Orientis. Sed iſtæ epiſtolæ in codice collegii, quod Græci Romæ habent, adjudicantur Siſinnio Patriarchæ, qui anno 995 Conſtantinopoli ſedit, & Andreas Colloſſenſis in Concilio Florentino obſervat, additionem hanc nusquam a Photio fuiſſe Nicolao objectam. Alii dicunt illam eſſe factam a Benedicto VIII ſæculo XI; ſed hiſtorica illius ætatis monumenta teſte Tournelio nihil tale referunt. Interim iſta additio jam legitur in Concilio Toletano III anno 589 ſub rege Recaredo. Eadem recepta fuit anno 794 in Conciliis Francofordienſi & Forojulienſi, anno 809 in Aquisgranenſi. Ex quibus colligitur, in Hiſpania primo inductam, tum in Galliam & Germaniam dimanaſſe, demum etiam Romæ fuiſſe receptam, ac poſtea etiam probatam in Concilio Lugdunenſi II & Florentino. Imo jam anno 787 in ſynodo Generali VII ſymbolum cum voce *filioque* lectum fuit.

QUÆSTIO I.

An Verbum Divinum sit verus DEUS.

696 DIcendum: Verbum Divinum eſt verus DEUS conſubſtantialis Patri. Prob. 1 ex claro illo teſtimonio Scripturæ Joann. 1 v 1 & ſeq. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ex quibus verbis habemus. 1. Verbum eſſe Deum: *& Deus erat Verbum.* 2. Eſſe ab æterno: *in principio erat Verbum.* 3. Quoad perſonalitatem a Patre diſtinctum: *Verbum erat apud Deum.* 4. Non eſſe factum, quia *omnia per ipſum facta ſunt,* & per ſe implicat aliquid a ſe ipſo fieri. 5. Conſequenter Verbum non eſſe creaturam, ſed verum Deum ejusdem cum Patre ſubſtantiæ ac naturæ. Conf. ex illo Proverb. 8 v. 22, in quo de ſapientia DEI dicitur: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio.* In quo textu per ſapientiam non tantum denotatur aliqua proprietas DEI in abſtracto, ſed in concreto perſonalis ac ſubſiſtens ſapientia; quia ſoli perſonæ conveniunt, quæ Salomon ſapientiæ tribuit, uti Proverb. 1, quod doceat, & increpet, & cap. 8, quod clamet, ſe a Deo genitam declaret, reges vocet, & conſtituat.

697 Probatur 2 auctoritate Conciliorum & Patrum, quos citavimus diſp. præced. quæſt. 1, quibus hic adjungo teſtimonia aliquorum, qui primis tribus ſæculis ante Concilium Nicænum floruerunt. S. Juſtinus Apolog. 2 pro Chriſtianis ait: Verbum non *tantum eſſe primogenitum DEI, ſed etiam Deum,* qui ut Dialog. cum Tryphone addit, *ſimul cum illo ante creaturas fuit & exiſtens, & naſcens, quoniam primitus per eum cuncta condidit, & ornavit.* S. Irænæus

næus lib. 3 adversus hæref. cap. 6. Filium DEI tam esse verum Deum quam Patrem ita probat: *neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitive & absolute nominassent aliquando, nisi esset vere DEUS.* Tertullianus in Apolog. cap. 2 de Filio DEI inquit: *Hunc ex DEO prolatum dicimus, & ex prolatione generatum, & idcirco Filium DEI, & Deum dictum ex unitate substantiæ.* Similia habent Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Hypolitus Martyr, Dionysius Alexandrinus apud Tournelium & Simonet.

Objectiones.

Obj. 1. Juxta modum loquendi Scripturæ vox 698
DEUS sæpe non est nomen naturæ, sed tantum dignitatis aut officii: ergo ex eo, quod Verbum a sancto Joanne vocetur Deus, nihil probatur. Sic Exod. 7 v. 1 Moyses dicitur *constitutus DEUS Pharaonis*, & ipsi justi Psalm. 81 v. 6 dii vocantur. Conf. Quando nomen Deus accipitur pro natura, in græco textu semper additur articulus ὁ, qui a sancto Joanne ante verba: *Et Deus erat Verbum*, non habetur: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Tum quia S. Joannes Verbum non vocat Deum quomodocunque, sed illud expresse ab omni creatura distinguit: tum quia nomen Deus, ut observat Tournelius, nunquam in numero singulari & simpliciter ac sine addito a Scriptura creaturis tribuitur. Sic Moyses solum vocatur Deus cum addito Pharaonis. Hinc S. Hilarius lib. 7 de Trinit. num. 10 dicit, quod Moyses quidem datus sit in Deum Pharaonis eundem monendo, puniendo &c. non autem ideo Deus Pharaonis fuerit. Ad conf. neg. ant. Nam S. Matthæus & S. Paulus nomen DEUS sæpe sine articulo ad significandum verum

Deum usurpant, & idem facit S. Joannes hoc ipso capite, quando ait: *fuit homo missus a DEO.* Ubi neque in Græco articulus ὁ est additus, & 2 ad Cor. 4 nomen Deus cum præfixo articulo idolo applicatur.

699 Dices. In Evangelio S. Joannis per Verbum nihil aliud intelligitur quam sapientia Patris, qua ipse sapiens est; nam post illa verba: *& Deus erat,* debet apponi punctum, adeoque vox Deus non refertur ad Verbum, sed solum significatur, quod Deus extiterit: ergo. Conf. Ejusmodi voces *os, vox* &c. sæpe sumuntur tantum figurate; sic Aaron dicitur *vox Moysis,* Joannes *vox clamantis in deserto:* ergo etiam τὸ *verbum* tantum sumitur figurate, nempe pro Christo objective in mente DEI existente. Resp. neg. ant. quia S. Joannes loquitur de illo Verbo, quod erat in principio apud DEUM, & postea caro factum est: ergo clare indicat Verbum esse personam, subsistentia a Patre distinctam. Punctum vero a Socinianis sine ullo fundamento excogitatum prorsus absurdum est; ad quid enim S. Evangelista moneret, Deum exstitisse eo tempore, quo Verbum erat apud ipsum. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Christus quidem ab æterno notus erat Deo, sed per ipsum, in sensu hæreticorum acceptum, non sunt omnia facta, & tali modo pari jure posset dici, omnes homines ab æterno apud DEUM fuisse.

700 Obj. 2. Verum DEI est creatura: ergo non est verus DEUS. Prob. ant. Quia sapientia DEI in Scriptura sæpe dicitur creata. Sic Proverb. 8 v. 22 dicitur: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua,* & Eccles. 24 v. 14: *Ab initio & ante sæcula creata sum.* Conf. Quando dicitur, quod per Verbum omnia facta sint, id debet accipi in sensu accommodo excepto verbo, ut indicat præpositio *per* denotans causam instrumentalem. Resp. neg.

neg. ant. in primo textu S. Hieronymus, quem sequitur nostra Vulgata, legit *possedit*, & verbum Hebraicum, quod Græci *creavit* interpretantur, non significat creationem seu productionem ex nihilo, sed simpliciter productionem. In secundo textu vel τὸ *creavit* iterum debet sumi latius, vel potius ibi sermo est de sapientia Incarnata, ut videri potest ex contextu. Ad conf. neg. ant. Alias non esset verum, quod sine Verbo factum sit nihil, neque præpositio *per* tantum causam instrumentalem, sed potius omnipotentem Verbi potentiam denotat. Hinc Joann. 5 v. 19 dicitur: *quæcunque ille* (Pater Divinus) *fecerit, hæc & Filius similiter facit.*

Dices. Si S. Joannes voluisset exprimere æternam originem Verbi, non dixisset in principio, sed ante principium, cum sit insuetum in Scriptura, ut per principium intelligatur æternitas: ergo. Conf. Illud in principio debet exponi secundum subjectam materiam: ergo tantum designat initium Evangelii ita, ut sensus sit: in exordio evangelii & prædicationis Joannis Christus fuit. Resp. neg. ant. Quamvis principium in Scriptura sæpe sumatur pro initio temporis, hic tamen ex contextu patet, plus aliquid designari; cum expresse dicatur hoc Verbum esse DEUM, & fuisse apud DEUM, antequam quidquam faceret, quia per ipsum facta sunt omnia. Quid autem ante tempus, quod utique cum creaturis incepit, aliud potest cogitari quam æternitas? Certe ipse Deus suam æternitatem tali modo apud Isai. cap. 43 v. 13 describit: *ab initio ego ipse.* Ad conf. transf. ant. neg. conf. De quanam materia hic egerit S. Joannes, patet ex illius verbis. Certe si quis volens scribere historiam Cæsaris diceret, in principio gestorum Cæsaris erat Cæsar, inepte loqueretur. Imo Christus jam diu exstitit ante prædicationem Joannis & digito ab illo fuit monstratus: *Ecce agnus DEI &c.* 701

702 Obj. 3. Patres Ante-Nicæni dicunt: Patrem Divinum esse causam Filii. 2. Eundem produxisse consilio, & voluntaria generatione. 3. Verbo præcepisse: ergo non agnoverunt veram Verbi Divinitatem. Resp. conc. ant. neg. conf. Patres Ante-Nicæni per causam idem intellexere ac principium; quia Filius reipsa est a Patre genitus, licet non factus, nec creatus. Porro hæc vox *causa* tunc ita erroris suspicione carebat, ut etiam post Concilium Nicænum a S. Basilio, Gregorio Nazianz. Damasceno &c. usurpata fuerit. 2. Quando dicunt, quod Pater Filium genuerit non necessitate, sed voluntaria generatione, solum indicant, quod illum non genuerit invitus & coactus, sed naturali propensione. 3. Pater juxta ipsos non præcepit Filio ut dominus servo, herus famulo, aut creator creaturæ, sed ut æqualis æquali, & Pater Filio quocum unus Deus, & Dominus est.

703 Dices 1. Juxta Patres Ante-Nicænos Divinus Pater est super omnia. 2. Filius natura ipsi propinquus. 3. Et administer sententiæ Patris, qui serviat ejus voluntati. Resp. Quando Patres Ante-Nicæni dixere Patrem esse super omnia, tantum intellexere secundum originem & notionalem prærogativam Paternitatis, quæ nullam in Filio imperfectionem arguit; hinc eundem modum loquendi etiam post Concilium Nicænum aliqui Patres adhibuerunt, uti S. Athanasius, Chrysostomus, Augustinus apud Simonet. 2. Clemens Alexandrinus nomen ἀσία usurpavit pro persona Filii, quo sensu sæpius ab antiquis accipiebatur. Jam vero persona Filii utique Patri est propinquissima, utpote ipsi intima, & prima a Patre procedens. Quod si nomine naturæ etiam intelligas essentiam, hæc quoque Patri propinquissima est, utpote realiter cum illo identificata. 3. Filius dicitur minister Patris non ut merum instrumentum externum, sed internum & æquale, quod

quod cum Patre operatur, & illius voluntati servit non ex impotentia & inferioritate, sed ex propria naturæ suæ necessitate, vi cujus nihil aliud potest velle aut facere, quam quod vult & facit Pater.

Dices 2. S. Justinus in dialog. cum Tryphone 704
expresse docet, quod detur unus Deus supremus factor omnium. 2. Quod præter hunc etiam detur Deus alius, qui & Angelus sive nuncius vocetur. 3. Quod Filius a Christianis adoretur secundo loco. Resp. Licet istæ expressiones videantur duriores, quia tamen S. Justinus in hoc ipso dialogo contra Judæos intendit probare, in unitate naturæ Divinæ necessario debere admitti plures personas, tantum voluit indicare 1, quod detur una persona suprema non ratione essentiæ, sed innascibilitatis, quæ soli Patri convenit, cui ideo specialiter etiam adscribitur creatio rerum eo sensu, quo in symbolo Apostolico dicimus: *Credo in patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.* 2. Quod præter Patrem detur adhuc alius non divinitate, sed persona, qui etiam vocetur angelus sive nuncius; quia in forma visibili apparens voluntatem Patris hominibus nunciavit. 3. Quod Filius adoretur secundo loco non spectando naturam, sed originem.

Obj. 4. Juxta Patres Ante-Nicænos Pater Di- 705
vinus Filium tunc primum genuit, quando hoc universum condidit: ergo Filius non est coæternus Patri. Antecedens asseritur a Theophilo Antiocheno, Athenagora, & Tertulliano, qui libro contra Hermogenem cap. 3 ita habet: *Quia & Pater Deus est, & judex Deus est: non tamen ideo Pater & judex semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum, & Filius non fuit.* Resp. neg. ant. Quidam Patres antiqui duplicem admittebant generationem seu prolationem Filii, unam internam & pro-

prie talem, qua Pater ab æterno intra ſe Verbum genuit. Alteram externam & improprie talem, qua per productionem creaturarum Verbum manifeſtavit, & ſic quaſi ad extra genuit. Porro Theophilus lib. 4 allegoriarum in Evangelium ſecundum Joannem, & Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis Divinitatem Verbi clare docent. Tertullianus redarguit Hermogenem, qui ex eo, quod ſemper fuerit Deus, volebat probare ab æterno fuiſſe aliquam materiam, cui Tertullianus reſpondit, Deum etiam ab æterno fuiſſe judicem & Patrem, quin ideo ab æterno fuerit delictum, aut Filius, nempe ſecundum prolationem externam.

706 Dices 1. Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 6 & 8 inquit: *Sophiam ſive ſapientiam DEI non eſſe ſine initio, imo Filium eſſe derivationem & portionem ſubſtantiæ Divinæ, & a Patre procedere ſicut radius a ſole & fluvius a fonte*: ergo juxta Tertullianum Filius Divinus nec Deus eſt, nec habet eandem cum Patre ſubſtantiam. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Sapientia notionalis Patris juxta Tertullianum habet quidem initium originis, at non quaſi primum in tempore ſit producta, aut tantum partem ſeu portionem ſubſtantiæ a Patre acceperit, ſed quatenus eſt perſona a Patre diſtincta, & ab illo procedit; ita enim ſe ipſum explicat, dum verbis objectis ſubjungit: *Sic & Pater, alius a Filio, dum Filio major* (videlicet ſecundum originem) *dum alius, qui generat, alius qui generatur.* Cæterum Patres ad explicandam Verbi Divini in ſinu Paterno generationem utuntur quibusdam exemplis ex rebus creatis, non quod intendant inſtituere paritatem omnimodam, ſed ut aliquo modo declarent Filium a Patre vere procedere, ac perſonam ab ipſo diſtinctam conſtituere. Sic ipſum Concilium Nicænum ait: Filium eſſe *Deum de Deo, lumen de lumine.*

Dices

Dices 2. Idem Tertullianus lib. contra Praxeam 707
cum aliis Patribus docet: *Patrem pro plenitudine majestatis suæ esse invisibilem, Filium vero pro modulo temperationis, qua in terram porrigitur, esse visibilem*: ergo. Conf. S. Clemens Alexandrin. in libris Hypothyposeon multa mysterio Trinitatis adversa scripsit, idem fecit Origenes, Tatianus, & Dionysius Alexandrinus. Resp. Tertullianus cum aliis Patribus existimavit Filium tam in Testamento veteri quam novo sæpe assumpta visibili forma apparuisse, nunquam autem Patrem Divinum: Filius itaque juxta ipsos est visibilis, non quoad naturam Divinam, sed pro modulo derivationis factæ per assumptionem formæ visibilis, ut ipse Tertullianus paulo post se declarat. Ad conf. Liber Hypothyposeon Clementis ab hæreticis fuit corruptus. Tatianus subinde in hæresin lapsus. Uterque tamen de SS. Trinitate Catholice sensit. Origenes sicut in aliis, sic etiam de Divinitate Verbi erravit, vel certe suspectus est. Dionysius Alexandrinus hæreseos falso accusatus seipsum apud Dionysium Pontificem strenue defendit.

QUÆSTIO II.

An Filius Divinus procedat a solo Patre.

Dicendum. Filius Divinus procedit a Patre & 708
quidem solo. Probatur 1 pars. Eccles. 24 v. 5 de Divina sapientia dicitur: *Ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Et Christus Joannis 8 v. 42 de se inquit: *Ego ex DEO processi.* Item Joann. 5 v. 26: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit Filio habere vitam in semetipso.* Idem definitum est in symbolo Concilii Nicæni, quod a pluribus aliis Conciliis generalibus approbatum esse diximus. Ratio est, quia secunda persona in Divinis est vere Filius, & quidem

a Patre diſtinctus ; atqui de ratione Filii eſt, ut procedat a Patre : ergo. Conf. Juxta Concilium Florentinum in Deo non datur diſtinctio realis, ubi non obviat oppoſitio relationis primo producentis & producti : ergo niſi Filius procederet a Patre, ab eodem realiter non diſtingueretur.

709 Probatur 2 pars, tum negative, quia videlicet in ſacra Scriptura nulla alia proceſſio Filii, niſi a Patre aſſignatur, tum poſitive, quia in Concilio Lateranenſi IV cap. *Firmiter* clare definitur : *Pater a nullo, Filius autem a ſolo Patre, Spiritus ſanctus autem ab utroque pariter.* Et in ſymbolo S. Athanaſii profitemur : *Filius a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.* Accedit ratio ; ſi enim Filius non procederet a ſolo Patre, deberet vel procedere etiam a ſe ipſo, vel ab eſſentia Divina, vel a Spiritu ſancto, vel denique ab aliqua alia perſona Divina. Nihil horum poteſt dici. Non primum, quia nihil produci poteſt a ſeipſo. Non ſecundum, quia Filius cum eſſentia Divina eſt realiter identificatus. Non tertium, quia Spiritus ſanctus procedit ab ipſo Filio, ut probabitur. Non quartum, quia in Divinis non ſunt plures perſonæ quam tres.

710 Porro proceſſio Filii Divini a Patre eſt 1 neceſſaria ; quia provenit ex infinita perfectione & neceſſaria DEI cognitione, qua Deus ſe ipſum cognoſcit, & ad intra infinite communicare exigit. 2. Eſt immanens ; quia Filius tanquam terminus productus perfectiſſime immanet Patri tanquam principio producenti. Hinc Chriſtus Joann. 14 v. 10 ait : *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* 2. Eſt vera generatio, utpote proceſſio Filii a Patre, ut num. 688 oſtendimus. 4. Non tamen eſt creatio aut effectio ; nam creatio & effectio tunc datur, quando res tranſit a non eſſe ad eſſe, vel accipit eſſe contingens, aut ſaltem ab eſſe producentis diſtinctum, ſed Filius Divi-

Divinus nunquam tranſit a non eſſe ad eſſe, nec habet eſſe contingens, aut a patre diſtinctum; ſed juxta definitionem Concilii Nicæni eſt Patri conſubſtantialis. Hinc 5 non eſt a Patre tanquam cauſa proprie accepta; ſed ut a puro principio originis; quia a Patre nec creatur, nec efficitur, quamquam, ut alibi adverti, Patres antiqui nonnunquam per cauſam nihil aliud intellexerint, quam principium.

Objectiones.

Obj. 1. Omnis proceſſio involvit 1 dependentiam procedentis a producente. 2. Prioritatem principii producentis reſpectu termini producti. 3. Naturæ partitionem inter procedentem & producentem: ergo Filius Divinus non poteſt procedere a Patre. Reſp. diſt. ant. omnis proceſſio in creatis iſta involvit, conc. ant. in divinis, neg. ant. & conſ. Nam 1 illud duntaxat ens dicitur ab alio dependens, quod habet eſſe contingens, & tranſit a non eſſe ad eſſe, aut accipit eſſentiam diſtinctam ab eſſentia producentis; nihil horum fit in proceſſione Filii Divini, qui tanta neceſſitate exiſtit, & eſſentiam Divinam habet, quanta Pater; quippe tam neceſſe eſt tres eſſe in Deo perſonas, quam neceſſe eſt eſſe Deum. 2. Prioritas principii nec eſt prioritas temporis, nec naturæ, nec dignitatis; quia proceſſiones Divinæ ſunt æternæ, & tres Perſonæ habent eandem eſſentiam infinite perfectam. 3. Cum eſſentia Divina ſit ſimpliciſſima, & tota, quanta eſt in Patre, communicetur Filio, nulla in Deo fit naturæ & eſſentiæ partitio. 711

Dices 1. Perſona Divina eſt Deus; ſed Deus nullum habet ſui principium, nec ab alio poteſt procedere, alias non eſſet ens primum & a ſe, ſed ab alio ſaltem per communicationem. Conf. Qui na- 712

turam alteri communicat, eſt natura prior; ſed Pater Filio naturam communicat: ergo. Reſp. conc. maj. diſt. min. Deus nullum habet ſui principium, nec ab alio poteſt procedere quoad naturam, conc. min. quoad perſonam, neg. min. Deus dicitur primum omnium rerum principium, & ens a ſe ratione Divinæ naturæ, quæ utique nec procedit, nec generat, nec generatur; quamvis autem a Patre communicetur Filio, & Spiritui ſancto, ideo non poteſt dici ab alio; quia hæc loquendi ratio originem ſeu productionem ab alio ſignificat; certum autem eſt naturam Divinam ab alio non procedere. Hinc ad conf. diſt. maj. qui naturam alteri communicat libere & cum dependentia eſt natura prior altero, conc. maj. qui illam communicat ex neceſſitate ſuæ perfectiſſimæ & infinitæ naturæ, idque ſine ulla dependentia, neg. maj. & ſic diſt. min, neg. conſ.

713 Dices 2. Saltem Verbum producitur quoad eſſe perſonale; atqui omnis productio importat 1 aliquid novum. 2. Oppoſitionem relationis, principii & principati. 3. Aliquam potentiam paſſivam ac mutationem, tum in perſona, quæ naturam recipit, tum in perſona, quæ illam communicat. Reſp. conc. maj. diſt. min. quoad 1 membrum. Importat aliquid novum quoad eſſentiam, neg. min. quoad relationem, ſubdiſt. id eſt, relationem a producente diſtinctam, conc. min. de novo productam, neg. min. quod enim ſemper exiſtit, non poteſt dici productum de novo. Ad ſecundum admitto inter perſonam producentem & productam dari oppoſitionem relationis, ſed nego illam involvere aliquam imperfectionem; quia non eſt conjuncta cum aliqua dependentia aut cauſalitate ſtricte dicta. Ad 3 neg. ſequelam; Filius enim non eſt ſubjectum eſſentiæ, quam a Patre accipit, ſed habet illam per identitatem. Nec Pater, licet Filium intra ſe contineat, eſt

eſt ſubjectum Filii, ſed principium, eſſentiam ſuam eidem intime communicans.

714 Obj. 2. In Deo nihil datur præter eſſentiam & relationes, & tamen neque eſſentia, neque relatio Paternitatis generat, & neque eſſentia, neque relatio Filiationis generatur: ergo. Conf. Vel Pater generat Filium exiſtentem, vel non exiſtentem? Si primum, generatio eſt fruſtranea: ſi ſecundum, Filius aliquando non exſtitit. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Nec natura, nec relatio Paternitatis, aut Filiationis ſeorſim ſumpta generat vel generatur, ſed complexum ex utroque. Ita docet Concilium Lateranenſe, dum ait: *illa res* (*eſſentia ſeu natura Divina*) *non eſt generans, nec genita* -- *ſed Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, ut diſtinctio ſit in perſonis, & unitas in natura.* Ad conf. neg. maj. cum generatio Filii ſit æterna, neque tamen Filius prius exſtiterit, quam a Patre gigneretur, Pater nec genuit Filium exiſtentem, nec non exiſtentem, ſed ſibi ab æterno coexiſtentem, ita ut per hanc ipſam generationem Filius a Patre habuerit, ut ab æterno exiſtat, adeoque generatio neutiquam eſt fruſtranea.

715 Dices 1. Si Pater generat, & Filius generatur, idem Deus eſt genitus & ingenitus; ſed genitus & ingenitus ſe habent, ſicut habitus & privatio, quorum unum alterum deſtruit. Conf. Vel genitum & ingenitum dicit accidens vel ſubſtantiam? Si primum, in Deo erunt accidentia. Si ſecundum, ſubſtantia Filii erit diſtincta a ſubſtantia Patris. Reſp. conc. maj. neg. min. Hæc prædicata genitus & ingenitus, cum ſint notionalia, non cadunt ſupra eſſentiam, ſed ſupra diverſa ſuppoſita, ita ut ſenſus ſit: aliqua perſona, nempe Pater, eſt ingenita, & aliqua, nempe Filius, eſt genita. Aliud foret, ſi diceretur: Deus eſt genitus, Deus non eſt genitus; nam ſic ſecunda propoſitio eſſet univerſalis & ſignificaret, nul-

lam

lam personam esse genitam. Ad conf. neg. maj. sed esse genitum dicit relationem Filii ad Patrem, realiter quidem cum substantia DEI identificatam, virtualiter autem ab illa distinctam, quae proin in conceptu suo formali nec est accidens nec substantia. Pariter ingenitum in suo conceptu formali dicit negationem processionis ab alia persona, quae tamen negatio non est pura, sed realiter & identice ipse Pater.

716 Dices 2. Processio Filii fit ex natura. Quod enim essentia Divina possit communicari pluribus Personis, provenit ex infinita ipsius perfectione; hinc tritum illud apud Veteres, esse in Deo naturam generantem, & naturam genitam. Conf. Relationes Divinae sunt proprietates naturae; sed proprietates immediate emanant ex natura: ergo. Resp. dist. ant. processio Filii fit ex natura tanquam principio quo, trans. ant. tanquam principio quod, neg. ant. Juxta commune axioma actiones & passiones sunt suppositorum, at neque essentia sola, neque Paternitas sola est suppositum, sed essentia est quasi subjectum, Paternitas quasi forma suppositi: licet igitur generatio Filii fiat mediante essentia tanquam principio quo remoto, ideo tamen essentia non dicitur generare, sicut etiam in creatis non dicitur gignere natura, sed suppositum. Porro Veteres, quando de Trinitate loquuntur, nomine naturae, substantiae, essentiae &c. intellexere ipsa concreta seu personas, ut significarent, rem his vocibus expressam esse personis essentialem. Ad conf. dist. maj. relationes sunt proprietates convenientes naturae ex se, neg. maj. naturae ut communicatae, conc. maj. relationes non conveniunt naturae immediate sicut attributa absoluta, sed mediante aliqua actione, qua natura aliis personis communicatur. Vid. num. 686.

717 Obj. 3. Filius debet produci similis gignenti; atqui Verbum non est simile gignenti, sed objecto

quod

quod repræsentat, ut patet in verbo mentis, quod intra nos producimus. Conf. Pater non gignit, ut intellectus, sed ut intelligens; atqui Verbum tantum est simile Patri ut intellecto: ergo non est simile Patri gignenti. Resp. conc. maj. neg. min. Cum Pater producat Verbum intelligendo se ipsum, eique propriam suam essentiam communicet, Verbum simul est simile suo objecto & gignenti, non quidem in proprietate personali, sed in essentia. In quantum igitur uterque habet eandem essentiam, sunt in essentia idem, in quantum vero sunt duæ Personæ distinctæ, & in illa essentia conveniunt, in eadem sunt similes. Ad conf. neg. conf. Syllogismus non concludit; licet enim Verbum non sit simile Patri ut gignenti; quia Pater non producit Patrem, sed Filium, est tamen simile Patri gignenti; quia Pater producit Filium sibi similem in essentia.

Dices 1. Si Filius est Patri similis in essentia, 718
quia tanquam personæ distinctæ in eadem essentia conveniunt, etiam Spiritus sanctus erit similis Patri & Filio: ergo æque erit Filius, quam Verbum. Conf. Ex una parte Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio ut Deus, & ut persona in natura Divina subsistens: ex altera parte omne agens intendit producere sibi simile in natura: ergo. Resp. dist. ant. etiam Spiritus sanctus erit similis Patri eodem modo, neg. ant. alio modo, conc. ant. & neg. conf. Imprimis Spiritus sanctus non est similis Patri & Filio ut fœcundo. Dein quia Verbum Divinum procedit per actum intellectus, ex vi ipsius productionis procedit ut similitudo quædam & imago producentis, nec enim res vere intelligitur, nisi Verbum sit rei intellectæ similitudo: at Spiritus sanctus procedit per actum amoris, qui ex natura sua non est similitudo rei amatæ, sed impulsus quidam in rem amatam. Ad conf. conc. ant, quoad 1 membrum, neg. quoad secundum; quamquam enim Spiritus sanctus procedat, ut Deus, ut persona,

non

non tamen procedit per actionem de se assimilativam in natura. Certe causæ creatæ sæpe operantur, quin producant ens sibi simile. Vid. num. 689.

719 Dices 2. Intellectus & voluntas, imo ipsa etiam intellectio & volitio in Deo sunt idem: ergo Spiritus sanctus non minus procedit per intellectum & intellectionem quam Verbum. Conf. Juxta SS. Patres Verbum est de tota essentia seu natura Patris, imo aliqui expresse dicunt, illud etiam esse de voluntate Patris: ergo. Resp. dist. ant. intellectus & voluntas &c. in Deo sunt idem, si præcise spectentur secundum se, conc. ant. si spectentur ut adjunctas habent relationes originis, neg. ant. & dist. conf. ergo Spiritus sanctus procedit per intellectum & intellectionem essentialiter & pure identice spectatam, conc. conf. per intellectionem notionalem, neg. conf. Equidem intellectus, voluntas & intellectio omnibus tribus personis communes sunt, at generatio non dicit intellectionem præcise secundum se, sed prout illa connotat, aut involvit relationem Patris. Ad conf. Patres illi agunt contra Arianos, & solum volunt Filio non tantum portionem substantiæ Divinæ sed totam naturam communicari, non quidem libere, attamen voluntarie, & in quantum voluntas cum scientia Divina est identificata. Vid. num. 687.

720 Obj. 4. Si Pater potest generare unum Filium, potest generare plures, cum sit longe major fœcunditas in Deo, quam in creaturis, imo infinita. Conf. In Divinis potest dari aliquid procedens ex procedente, nempe Spiritus sanctus a Filio: ergo etiam potest dari natus de nato: ergo saltem Filius potest generare alium Filium. Resp. neg. ant. Quia Filius Divinus est infinitus, exhaurit totam in suo ordine fœcunditatem, & vim intelligendi Patris; alias Pater cognoscendo Filium, se non perfecte & integre cognosceret, ut advertit S. Augustinus lib. 15 de Trinit. c. 14; sed neque Filius alio

verbo

verbo opus habet, cum ipſe per ſe tam ſibi, quam rei cognitæ declarandæ perfectiſſime ſufficiat. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. proceſſio Verbi & Spiritus ſancti non ſunt ejusdem ordinis, ſicut eſſent proceſſiones nati de nato. Porro cum Pater pro illo priori ſigno, quo generat Filium, nondum intelligatur ſpirare Spiritum ſanctum, vis ſpirandi necdum intelligitur exhauſta, adeoque Spiritus ſanctus adhuc a Patre & Filio poteſt procedere.

Dices 1. Ex una parte potentia generandi etiam datur in Filio: ex altera parte relationes non ſunt activæ: ergo non eſt ratio, quare potius generet Pater, quam Filius. Conf. Quod fundatur in generatione, & illam præſupponit, non poteſt concurrere per modum principii ad generationem, ſed relatio Paternitatis fundatur in generatione, & illam præſupponit: ergo. Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. licet potentia generandi eſſentialiter & identice ſit in Filio, non tamen eſt in Filio, prout connotat Paternitatem. Porro ſupra jam diximus, nec eſſentiæ nec relationi ſoli adſcribi generationem, ſed toti complexo, & in hoc ſenſu Patres ſæpe dicunt, *Filium generari per hypoſtaſin, & Patrem, quod ſit generans, habere ex eo, quod eſt in Patre ſingulare.* Ad conf. tranſ. maj. diſt. min. relatio Paternitatis qua talis, & prout refert Patrem ad Filium, fundatur in generatione, tranſ. min. quæ eſt talis, neg. min. Porro utrum Paternitas ſeorſim ſumpta ſit principium quod, aut quo, aut tantum conditio aliqua ad generationem requiſita pertinet ad modum loquendi, in quo auctores non conveniunt. 721

Dices 2. Si Filius intelligendo nihil generat, non eſt æqualis Patri, ſed imperfectus; ſicut Deus ſine fœcunditate imperfectus foret: ergo. Conf. Actorum 20 v. 35 dicitur: *Beatius eſt magis dare, quam accipere:* ergo ſi Filius accipit eſſe a parte, non eſt 722

æqua-

æqualis Patri. Reſp. diſt. ant. Si Filius nihil generat ex impotentia & defectu naturæ, conc. ant. ſi nihil generat, quia ipſemet jam eſt terminus infinitus cognitionis Divinæ, neg. ant. Fœcunditas eſt potentia generandi, quæ datur in Patre, datur etiam identice in Filio, relationes vero, per quas Pater generans & Filius genitus differunt, ſunt mera prædicata neutra, & quod Verbum non producat aliud verbum, oritur ex ſumma & infinita ejus perfectione, qua totam potentiam generandi exhaurit. Ad conf. conc. ant. in creatis, neg. conſ. quia in Divinis ipſa perſona, quæ accipit eſſe ab alia, habet in ſe infinitam neceſſitatem & fundamentum ſuæ exiſtentiæ, nec illam magis debet perſonæ, a qua procedit, quam ſibi ipſi.

723 Quæres. Ex quarum rerum cognitione Verbum procedat? Reſp. 1. ex cognitione eorum omnium, quæ ſunt in Deo formaliter, aut neceſſario cum eſſentia Divina connexa; nam cognitio, ex qua procedit Verbum, eſt comprehenſiva eſſentiæ Divinæ: ergo debet repræſentare omnia quæ in Deo formaliter continentur, aut cum eſſentia Divina neceſſario connectuntur, ut ſunt omnia attributa eſſentialia, perſonæ Divinæ, & omnes res poſſibiles. Neque tamen Filius procedit a ſe ipſo vel a Spiritu ſancto; quia Filius & Spiritus ſanctus non ſunt ipſa cognitio, ſed tantum illius objectum ita, ut proceſſio Verbi, quatenus eſt origo Verbi, ſit aliquo modo prior Verbo & Spiritu ſancto, quatenus autem Verbum & Spiritum ſanctum habet pro objecto, iiſdem aliquo modo eſt poſterior ratione repræſentationis. Neque tamen Verbum eſt imago Spiritus ſancti, quia non eſt illi ſimilis vi proceſſionis. Reſp. 2. Ex cognitione rerum contingentium Verbum procedit ad ſummum concomitanter & quaſi per accidens, ſicut per accidens eſt, quod illarum cognitio detur, & ſic per Verbum Divinum repræſententur.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An Spiritus sanctus sit verus DEUS?

DIcendum. Spiritus sanctus est verus DEUS. 724
Probatur 1 auctoritate Scripturæ, in qua Act. 5 v. 3 & 5. S. Petrus Ananiam sic alloquitur: *Cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? - - non es mentitus hominibus, sed DEO*: ergo Spiritus sanctus, cui mentitus est Ananias, Deus est. Isai. 6 v. 9 Deus exercituum dixit Prophetæ: *Vade & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere*: atqui hic Deus exercituum fuit Spiritus sanctus, ut habetur Act. 28 v. 25 & 26: *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam: vade ad populum istum, & dic ad eos: aure audietis, & non intelligetis.* Conf. Quia Spiritui sancto in Scriptura attribuuntur ea, quæ soli Deo conveniunt: uti omniscientia: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda DEI*, 1 ad Cor. 2 v. 10. Immensitas: *Quo ibo a Spiritu tuo*, Psalm. 138 v. 7. Omnipotentia: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, Psalm. 32 v. 6. Sanctificatio & Justificatio: *Justificati estis in nomine Domini nostri JESU Christi, & in Spiritu DEI nostri*, 1 ad Cor. 6 v. 11 &c.

Probatur 2 auctoritate Patrum, quorum plurimi ex professo de divinitate Spiritus sancti scripserunt, uti S. Athanasius epist. ad Serapionem. S. Basilius lib. de Spiritu sancto, S. Gregorius Nazianz. lib. 5 de Theolog. Nyssenus lib. ad Eustatium, Epiphanius hæres. 74, Dydimus Alexandrin. tribus libris de Spirit. sanct. Ex iis, qui primis tribus sæculis scripserunt, S. Justinus Martyr in Apolog 2 inquit: *Filium & Spiritum sanctum Propheticum colimus & adoramus, & DEUM solum adoramus.* Athenogoras legat. pro Christianis: *DEUM Patrem prædicamus, DEUM Filium, & Spiritum sanctum.* 725

S. Cyprianus epist. ad Jubajanum: *Cum tres unum sint, quomodo Spiritus sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est &c.* Conf. ex antiquissima illa glorificatione, qua Ecclesiæ Hymni clauduntur: *gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.*

726 Probatur 3 auctoritate Conciliorum. Nicænum I in symbolo fidei profitetur: *se credere in Spiritum sanctum.* Constantinopolitanum I adversus Macedonium congregatum, ut adhuc magis Divinitatem Spiritus sancti exprimeret, symbolo addidit: *Credimus in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem & cum Patre & Filio adorandum.* Quam professionem approbarunt subsequentia Concilia, & Constantinopolitanum IV nominatim rursus damnavit Macedonium, asseruitque, Spiritum sanctum esse Patri & Filio consubstantialem. Idem rursus definivit Lateranense IV & Tridentinum profitetur: *Spiritum sanctum cum Patre & Filio simul adorari, & conglorificari.* Conf. Universa Ecclesia sæculo IV Spiritum sanctum credidit esse Deum, & qui hoc negarunt, habiti sunt ut hæretici, nec ad Ecclesiam fuere admissi nisi ejurata hæresi, ut patet ex Concilio Alexandrino anno 362, ex Epiphanio hæresi 77 &c. ergo Ecclesia idem etiam credidit prioribus sæculis, cum non possit dici, ubi, quando, a quo doctrina Ecclesiæ circa hoc mysterium fuerit mutata?

Objectiones.

727 Obj. 1. Spiritus sanctus in Scripturis nunquam directe appellatur DEUS, nusquam adorari jubetur, aut adoratus fuisse legitur: imo primi Christiani ne quidem sciverunt dari Spiritum sanctum: *ne quidem, si Spiritus sanctus est, audivimus*, Act. 19 v. 2: ergo. Conf. Scriptura sæpe meminit Pa-

Patris & Filii, quin mentionem faciat de Spiritu, ut quando 1 ad Cor. 12 v. 4 & seq. enumerantur beneficia DEI in homines: ergo. Resp. transf. ant. neg. conf. Inprimis Spiritus sanctus satis aperte vocatur Deus Act. 5. Dein non omnia, quæ de fide sunt, scripta sunt, sed multa nobis per Ecclesiam tradita, ab hac autem scimus Spiritum sanctum perinde ac Patrem & Filium adorari posse ac debere, atque etiam adoratum esse per solemnem illam formulam Gloria Patri &c. quæ jam primis tribus sæculis in usu fuit, ut probat S. Basilius lib. de Spirit. sanct. cap. 19: qui vero Act. 19 dicuntur ignorasse Spiritum sanctum, erant solum baptizati baptismo Joannis, & hinc iterum baptismo Christi baptizati sunt. Ad conf. neg. conf. per hoc, quod una & altera persona nominetur, non excluditur tertia, sicut Filius non excluditur, licet sæpe nominetur solus Pater.

Dices. Act. 5 in Græco textu non legitur, quod 728
Ananias *mentitus sit Spiritui sancto*, sed, *quod sit mentitus, id est, fefellerit Spiritum sanctum.* Quando autem Spiritus sanctus in Scriptura dicitur loqui, id solum fit, quia est virtus & efficacia, quæ per Prophetas loquitur: ergo. Conf. Primis sæculis etiam valde usitata fuit hæc formula: *Gloria Patri & Filio in Spiritu sancto*: atqui in hoc Spiritus sanctus non annumeratur Patri & Filio, sed solum subnumeratur. Resp. conc. ant. neg. conf. Mentiri Spiritui sancto aut Spiritum sanctum apud Græcos idem est, sive spectetur res ipsa, sive vis terminorum; nam verbum græcum in eodem cap. v. 3 cum accusativo, & v. 4 cum dativo legitur. Porro DEI virtus & efficacia non nisi impropriissime dicitur loqui; loqui enim personæ est, non qualitatum. Ad conf. conc. maj. neg. min. S. Basilius lib. de Spiritu sanct. ex auctoritate Veterum ostendit particulam *in* eandem omnino energiam habere, quam præpositiones *cum*, *per*, aut conjunctio *&*.

729 Obj. 2. Spiritus ſanctus in Scriptura ſæpe appellatur Spiritus DEI; ſed Spiritus alicujus non eſt perſona ab illo diſtincta; ſicut anima hominis non diſtinguitur ab homine, cui Spiritum ſanctum comparat Apoſtolus 1 ad Cor. 2 v. 11 dicens: *quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt. Ita & quæ DEI ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus DEI.* Conf. Illud in quo baptizamur, non eſt perſona; baptizamur enim in aqua; ſed baptizamur in Spiritu ſancto: ergo. Reſp. conc. maj. diſt. min. non eſt perſona, ſi Spiritus accipiatur pro eſſentia aut parte eſſentiæ, conc. min. ſi accipiatur relative & notionaliter, neg. min. tunc enim per Spiritum ipſam perſonam ſubſiſtentem intelligimus. Porro quod inter animam hominis & Spiritum DEI non detur omnimoda paritas, per ſe manifeſtum eſt. Itaque Apoſtolus illam duntaxat inſtituit quoad modum cognoſcendi, non vero quoad modum ſubſiſtendi. Ad conf. neg. maj. nam baptizamur etiam in Patre & Filio, qui juxta ipſos Socinianos perſona eſt, unde rurſus non eſt omnimoda paritas inter aquam & Spiritum ſanctum, qui nos interius mundat, & abluit.

730 Dices. Spiritus ſanctus eſt donum DEI: ergo non perſona. Conf. Quia Spiritus ſanctus dicitur 1 die Pentecoſtes in multos effuſus. 2. Auctus aut minutus. Sic Deus Num. 11 v. 17 de ſpiritu Moyſis aliquid detraxit, quod 70 ſenioribus impertiretur. Et 4 Reg. 2 v. 9 Eliſæus duplicem pro ſe Spiritum poſtulavit. Reſp. diſt. ant. eſt donum DEI tantum accidentale, neg. ant. perſonale ac ſubſiſtens, conc. ant. & neg. conſ. Etiam Chriſtus Joann. 3 dicitur donum DEI. Ad conf. Spiritus ſanctus in multos quidem eſt effuſus, ſed ideo non eſt diviſus aut diſtributus: *hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult,* 1 ad Cor. 12 v. 11; hinc quando variæ diſtributiones, diminutiones,

tiones, augmenta Spiritus enumerantur, active accipienda sunt, scilicet pro donis, quae Spiritus sanctus impertit. Non enim negamus nomine Spiritus sancti in Scriptura saepe dona & charismata coelestia intelligi, at inde non sequitur, quod hoc semper fiat.

Obj. 3. Scriptura Spiritui sancto multa tribuit, 731
quae Deo repugnant. Amos 4 v. 13 dicitur creatus: *Format tonitru, & creat Spiritum.* Joan. 1 v. 3 a Filio factus: *per quem omnia facta sunt.* Ad Rom. 8 v. 26 orans & gemens: *Spiritus postulat pro vobis gemitibus inenarrabilibus.* Resp. neg. ant. in textu primo non est sermo de Divina persona, sed de vento: *format montes, & creat ventum,* ut hunc locum exponit S. Hieronymus & habet Vulgata. In secundo S. Joannes tantum dicit omnia, quae facta sunt, per Verbum esse facta: *sine ipso factum est nihil, quod factum est.* In tertio juxta S. Hieronymum Apostolus solum significat, quod Spiritus sanctus per internam gratiam nos doceat, & moveat ad orandum & gemendum, sicut oportet ad salutem, quae illuminatio ac motio per gratiam specialiter Spiritui sancto adscribi solet.

Dices. Spiritus sanctus dicitur a Christo missus, 732
& ab ipso accepisse scientiam. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre,* Joann. 15 v. 26. *Non loquetur a semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur -- ille me glorificabit, quia de meo accipiet,* Joan. 16 v. 13 & 14: ergo. Conf. Joan. 7 v. 39 dicitur: *nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat JEsus glorificatus*: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Spiritus sanctus a Patre & Filio non mittitur per imperium, sicut minor a majore, sed in quantum ab utroque ab aeterno procedit, & in tempore incipit esse in creaturis per aliquam operationem, quae ipsi specialiter tribui solet. Pariter scientiam, aliaque non accepit per doctrinam aut infusionem, sed per processionem a Patre & Fi-

lio, qui omnia ipſi communicarunt absque ulla dependentia, quod cum factum ſit ab æterno absque initio & fine, veriſſime pro omni tempore præſenti, præterito, & futuro dicitur, ut advertit S. Auguſtinus tract. 99 in Joann. Ad conf. Senſus eſt, quod Spiritus ſanctus ante aſcenſionem Chriſti nondum fuerit datus cum tanta cœleſtium bonorum ubertate, quo datus fuit die Pentecoſtes.

733 Obj. 4. Nonnulli ex antiquis Patribus Spiritum ſanctum non fuerunt auſi appellare DEUM. Imo Dionyſius Alexandrinus omnino negavit Divinitatem Spiritus ſancti, ut teſtatur S. Baſilius epiſt. 41, qui pariter a ſuis monachis in ſuſpicionem hujus erroris vocatus eſt. Reſp. Patres illos Spiritum ſanctum non expreſſe nominaſſe Deum ex prudenti œconomia, ne ob præpotentes Arianorum & Macedonianorum factiones ſedibus ſuis expellerentur, easque hæretici occuparent. Nihilominus in ſuis ſcriptis palam declararunt, unam eandemque eſſe Spiritus ſancti cum Patre & Filio ſubſtantiam, eum non eſſe creaturam &c. S. Baſilius malam de ſe ſuſpicionem ipſemet epiſt. 79 egregie diluit. Qando vero ſcripſit epiſtolam 41, non habuit præ manibus apologeticum a S. Dionyſio compoſitum, unde ejus mentem non ſatis perſpectam habuit, ut ipſe fatetur. Certe Dionyſius in reſponſione ad interrogat. Pauli Samoſateni aperte ſcripſit Spiritum ſanctum eſſe Deum, & Athanaſius epiſtola de ſententia Dionyſii ab omni hæreſi illum purgavit.

734 Obj. 5. Si Spiritus ſanctus eſt Deus, vel eſt genitus? vel ingenitus? ſi ingenitus inDeo ſunt duo ingeniti. Si genitus, vel genitus eſt a Patre? & ſic duo ſunt Filii. Vel ingenitus eſt a Filio? & ſic Pater habet nepotem. Conf. In creatis nihil poteſt ab alio in ſimilitudinem naturæ procedere, quin generetur; ergo. Reſp. neg. maj. inter genitum &

inge-

ingenitum datur medium ; nempe pure procedens. Cur autem hæc processio non sit generatio, diximus num. 688. Præterea supra jam advertimus, ingenitus in Deo non tantum significare meram negationem, sed aliquid positivum, adeoque idem denotare, ac esse principium ac fontem omnium sine alio principio. Ad conf. conc. ant. neg. conf. nihil enim absurdius atque turpius est, quam ideas & conceptus ex humana generatione petitos ad explicandam Divinitatis naturam & personarum Divinarum proprietates transferre, ut optime notat S. Gregorius Nazianz. Orat. 37.

QUÆSTIO IV.

An Spiritus sanctus procedat a Patre & Filio?

DIcendum. Spiritus sanctus procedit a Patre & 735
Filio simul. Circa primam partem conclusionis a tempore Macedonii nullum amplius inter Christianos, qui Divinitatem Spiritus sancti profitentur, fuit dissidium ; cum Christus Joan. 15 v. 26 disertis verbis dicat: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, qui ex Patre procedit.* Hinc hæresis Macedoniana statim a pluribus Conciliis damnata, & præsertim auctoritate Constantinopolitani I suppressa est, ut indicavi num. 691 ; equidem ibi duntaxat fuit definitum, quod Spiritus sanctus procedat a Patre ; quia nempe processio Spiritus sancti a Filio tunc a nemine impugnabatur. Concilia autem non solent condere decreta fidei, nisi circa errores, qui in Ecclesia nascuntur.

Probatur itaque secunda pars auctoritate Scri- 736
pturæ, in qua Spiritus sanctus dicitur 1 a Filio mitti: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis*, Joan. 15. v 26 : atqui missio

in Divinis ſupponit proceſſionem Perſonæ, quæ mittitur ab illa, quæ mittit: ergo. 2. A Filio accipere: *Ille* (Spiritus veritatis) *me glorificabit, quia de meo accipiet*, Joan. 16 v. 14; atqui Spiritus ſanctus a Filio non poteſt aliter accipere, quam via originis & proceſſionis, ut ipſe Chriſtus explicat verſu ſequenti: *omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet*; ac ſi diceret: ſicut omnia, quæ habet Pater, per generationem a Patre accepi, ita per proceſſionem de meo accipiet Spiritus ſanctus. 3. Dicitur Spiritus Chriſti ſeu Filii: *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra*, ad Galat. 4 v. 6: ergo ſicut Spiritus ſanctus Matth. 10 v. 20 non aliter dicitur Spiritus DEI, aut Patris, quam quia a Patre procedit: ſic non aliter dicitur Spiritus Filii, quam quia a Filio procedit.

737 Probatur eadem pars ſecunda auctoritate Patrum tum Latinorum tum Græcorum, qui ante exortum ſchisma Græcorum floruerunt. Horum teſtimonia paſſim referuntur in concilio Florentino, ubi a Joanne Theologo collecta, & contra exceptiones Marci Epheſini vindicata fuere. Pauca retuliſſe ſufficiat. Ex Græcis S. Athanaſius Orat. 3 contra Arianos ait: *Quæcunque Spiritus habet, hæc a Verbo habet.* S. Cyrillus Alexandr. in epiſt. ad Neſtor. *Quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Chriſtus autem veritas eſt, & proinde quoque ab illo, atque a Deo Patre procedit.* S. Epiphanius hæreſ. 62: *Spiritus ex Patre Filioque procedens, & appellatione tertius eſt.* Ex Latinis Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 4 inquit: *Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium.* S. Ambroſius tract. de ſymbolo apoſtol. cap. 3: *Spiritus ſanctus vere Spiritus eſt, procedens quidem a Patre & Filio, ſed non eſt Filius.* S. Auguſtinus lib. 4 de Trinit. cap. 20: *Nec poſſumus dicere, quod Spiritus ſanctus & a Filio non procedat.*

Pro-

Probatur 3 auctoritate Conciliorum. Jam ante schisma Græcorum epistolam D. Cyrilli ad Nestor. in qua aperte asserit, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, approbarunt Concilium generale Ephesinum Act. 13, Chalcedonense Act. 53, Generale quintum Collat. 6 & 8, sextum Act. 18, octavum Act. ultima, postea idem statutum fuit in Concilio Lateranensi IV, Lugdunensi II, & Florentino, quemadmodum exposui num. 692. & 693. Accedit ratio theologica. Filius accepit a Patre omnem perfectionem cum Filiatione compossibilem; ubi enim non obviat oppositio relationis in Divinis, omnia sunt communia; atqui virtus spirandi est compossibilis cum Filiatione, neque cum illa habet oppositionem producentis & producti: ergo Filius a Patre accepit virtutem spirandi: ergo cum Patre spirat seu producit Spiritum sanctum. 738

Ex quibus vides Ecclesiam Latinam merito vocem *Filioque* symbolo Constantinopolitano addidisse; cum enim Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, semper potuit facere ea, quæ judicavit esse necessaria ad fidem seu illustrandam, seu adversus novos hæreticorum insultus vindicandam; atqui Ecclesia judicavit ob grassantem errorem contra processionem Spiritus sancti a Filio necessarium esse, & temporis circumstantiis opportunam vocem *Filioque* symboloConstantinopolitano addere: ergo. Major declaratur exemplis. Concilium Nicænum symbolo Apostolorum addidit vocem *consubstantialis*. Constantinopolitanum I symbolo Nicæno: *ex Patre natum ante omnia sæcula. Descendit de cœlis, & incarnatus est ex Spiritu sancto ex Maria virgine.* Item: *in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem &c.* Concilium Chalcedonense *consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem.* Denique additionem *Filio-* 739

que necessariam fuisse declaravit Florentinum in professione fidei.

Objectiones.

749 Obj. 1. Scriptura aperte dicit Spiritum sanctum procedere a Patre, nullibi autem dicit, illum procedere a Filio; ergo a Filio non procedit. Conf. In Concilio Ephesino publice lectum fuit Symbolum Nestorii, in quo dicebatur: *Spiritum sanctum nec Filium esse, nec per Filium substantiam sortitum.* Recitata quoque fuit Theodoreti confutatio noni anathematismi S. Cyrilli, in qua velut impiam damnabat propositionem, asserentem, Spiritum sanctum ex Filio, aut per Filium existentiam habere. Neque tamen Patres Concilii, nec Cyrillus leguntur contradixisse: ergo. Resp. conc. ant. quoad 1 membrum, neg. quoad 2. Licet enim Scriptura hoc non dicat verbis expressis, dicit tamen verbis æquivalentibus, & idem sonantibus. Imo Scriptura etiam tacente, satis clare loqueretur constans Ecclesiæ traditio. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Patres Ephesini hunc errorem non damnarunt expresse, quia tunc de processione Spiritus sancti non agebatur, & dicta Nestorii ac Theodoreti in sanum sensum trahi poterant, quod videlicet Spiritus sanctus a Filio non habeat substantiam extraneam, factam & creatam. Nihilominus hunc errorem damnarunt implicite approbando epistolam Catholicam Cyrilli. Ipse quoque Cyrillus confutationi Theodoreti aperte contradixit in responsione ad Orientalium objectiones contra nonum anathematismum.

741 Dices 1. Patres Græci non dicunt Spiritum sanctum procedere ex Filio, sed per Filium, ut testatur S. Joannes Damascenus lib. 1 de fide cap. 8, ubi ait: *Eum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen Spiritum voci-*

vocitamus. Conf. Ipsi Patres Latini negant, Filium esse causam Spiritus sancti, & cum in epistola Synodica dixissent, Spiritum sanctum a Filio procedere, idque Græcis displicuisset, S. Maximus in epistola ad Martinum Latinos excusavit, quia idcirco tamen non sentiunt, Filium esse principium Spiritus sancti. Resp Præpositio *per* æque significat actionem principii vel causæ quam præpositio *ex*, ut patet ex illo Joannis, *per quem omnia facta sunt*. Hinc ipsi Græci in litteris unionis coram Concilio Florentino declararunt, ab illis per præpositionem *per* idem intelligi, quod a Latinis per το *ex*. S. Damascenus autem solum vult, quod Spiritus sanctus non sit ex Filio tanquam principio omnium primo; nam cap. 12 ipsemet ait, quod ex Patre per Filium procedat. Ad conf. Si Latini negarunt Filium esse causam Spiritus sancti, causam acceperunt stricte, prout dicit effectionem. Econtra S. Maximus more Græcorum per principium intellexit primum omnium fontem.

Dices 2. S. Dionysius de Divin. Nom. cap. 2 ait: *Solus fons supersubstantialis Deitatis est Pater*. 742
S. Gregorius Nazianz. in orat. ad Episcopos Ægypti: *Omnia, quæ habet Pater, Filii sunt, præter principium*. S. Athanasius in quæst. quid est DEUS: *DEUS Pater solus est causa duobus*. S. Basilius epist. 47 docet, *Filium secundum propriam notionem nullam habere communionem cum Patre*: ergo spiratio activa non communicatur Filio. Resp. conc. ant. neg. cons. S. Dionysius Patrem vocat fontem Deitatis, quia aliæ personæ ab illo procedunt, ipse autem a nullo, adeoque est principium sine principio, Filius vero principium de principio. S. Gregorius solum vult, quod Filius non sit principium primum, quod aliud principium non habet. S. Athanasius solum dicit, Patrem esse principium duarum personarum, Filius autem est tantum principium unius. S. Basilius docet quidem Filium secundum filia-

filiationem realiter diſtingui a Patre, quo non obſtante poteſt cum Patre convenire in ratione ſpirationis activæ.

743 Obj. 2. Si Spiritus ſanctus procedit a Patre & Filio, habet duo principia; hoc eſt contra SS. Patres & Concilium Lugdunenſe ac Florentinum; nam in Lugdunenſi Gregorius X cap. 1 de ſumma Trinit. omnes damnat, qui aſſerere audent Spiritum ſanctum a Patre & Filio tanquam duobus principiis procedere. In Florentino ſeſſ. ultima expreſſe definitum eſt, quod Spiritus ſanctus a Patre & Filio æternaliter tanquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedat. Conf. Principium quod proceſſionis eſt perſona: ergo cum Pater & Filius ſint duæ perſonæ, ſunt duo principia. Reſp. neg. maj. quia virtus ſpirandi in Patre & Filio realiter eſt eadem. Ad conf. diſt. ant. principium quod proceſſionis eſt perſona, ut ſimul involvens formam ſeu actionem, conc. ant. aliter, neg. ant. & conſ. principium ut quod ſignificat quidem proprietates perſonæ, ſed per modum ſubſtantivi, unde accipit numerum a forma ſignificata; cum igitur unica detur vis ſpirandi & actio ſpirativa, unicum datur principium, ſicut unicus datur creator mundi: quia in tribus perſonis unica eſt vis & actio creativa mundi.

744 Dices. Vel ergo Pater & Filius ſunt unum principium ob unitatem naturæ? vel ob unitatem perſonalem? vel ob unitatem proprietatum? ſi primum, Spiritus ſanctus etiam procedit a ſeipſo, ſi ſecundum, Pater & Filius ſunt una perſona, ſi tertium, Pater eſt duo principia nempe Filii ratione Paternitatis & Spiritus ſancti ratione ſpirationis activæ. Conf. Ubi una eſt actio, datur unicum principium: ergo ubi dantur plures proprietates & relationes, dantur plura principia. Reſp. neg. maj. ſed ideo ſunt unum principium; quia ſunt unum in natura cum eadem proprietate ſpirationis activæ, quæ, cum non conveniat Spiritui

ritui ſancto, non procedit a ſeipſo. Porro ſpiratio activa non eſt proprietas perſonalis; cum neque perſonam Patris, neque Filii conſtituat, ſed ille conſtituitur per Paternitatem, hic per Filiationem. Ad hoc autem ut principia multiplicentur, debent etiam multiplicari ſuppoſita ſeu perſonæ. Alias ſi Petrus plures calleret artes, deberet dici plures artifices. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. licet relatio Paternitatis & ſpirationis activæ dicantur duæ, nihilominus vis generativa, quæ eſt in Patre, & vis ſpirativa, quæ eſt in Filio, realiter non diſtinguuntur, ſed diſtinctio realis datur inter ſolas perſonas.

Obj. 3. Pater eſt ſufficiens principium, a quo Spiritus ſanctus perfecte procedit: ergo procedit a ſolo Patre; alias per plura diſtingueretur a Patre, quam Filius. Conf. S. Auguſtinus lib. 15 de Trinit. cap. 17 ait: Spiritum ſanctum principaliter a Patre procedere, alii ex Veteribus illum a Patre procedere mediate, quia videlicet procedit a Filio per virtutem a Patre ipſi communicatam. Reſp. conc. ant. neg. conſ. quod Spiritus ſanctus etiam procedat a Filio, non provenit ex eo, quaſi ſolus Pater non ſufficeret, & Filio indigeret, ſed quia uterque habet unam naturam & virtutem ſpirandi. Sic licet vis creativa Patris ſit perfecta, & ſufficiens ad creandum mundum, non tamen poteſt creare mundum ſine Filio & Spiritu ſancto; quia vis creativa eſt in omnibus indiviſa. Porro Spiritus ſanctus a Patre diſtinguitur per ſolam ſpirationem paſſivam, ſicut Filius per ſolam generationem paſſivam. Ad conf. S. Auguſtinus ſolum vult Spiritum ſanctum principaliter a Patre procedere ſpectando ordinem perſonarum, & quatenus Pater eſt fons & origo totius Divinitatis. In eodem ſenſu alii Patres intelligunt mediate, quia nempe Filius eſt ſecunda, Spiritus ſanctus tertia perſona. Neque obſtat, quod Pater naturam communicet Filio, 745

quia

quia illam communicat per identitatem, & numero eandem.

746 Dices. Tali modo tam Pater quam Filius sunt spirantes Spiritum sanctum: ergo possunt dici duo Spiratores, vel ut nonnulli ex Veteribus cum S. Hilario lib. 2 de Trinit. loquuntur, duo auctores Spiritus sancti. Conf. vel hæc propositio: Pater & Filius sunt unum principium Spiritus sancti supponit pro Patre, vel pro Filio seorsim, vel pro utroque? non primum & secundum; alias unus excluditur. Non tertium; alias quilibet est principium; ergo duo principia. Resp. conc. ant. neg. conf. nomina adjectiva multiplicantur secundum suppolita, ad multiplicationem autem substantivorum requiritur, ut simul multiplicetur forma & suppositum; hinc Pater & Filius possunt quidem dici duo spirantes, non item duo spiratores. Quando igitur Patres dicunt illos esse auctores Spiritus sancti, τὸ *auctores* sumunt adjective, ut notat S. Thomas 1 part. q. 36 art. 4. Ad conf. Idem Angelicus respondet, hanc propositionem non habere suppositionem determinatam, sed confusam vel potius collectivam pro duabus personis simul.

747 Obj. 4. Concilium Ephesinum Act. 6. severe prohibuit, ne altera fides proferatur, aut quidquam Symbolo addatur, præter id, quod ibi definitum est. Idem postea statuit Concilium generale VI Act. 4, & VII Act. 7: ergo saltem vox *Filioque* non debuisset inseri symbolo. Conf. S. Cyrillus epist. ad Joannem Antiochen. ait: *nec sibi nec alteri licere in Nicæno symbolo vel unam voculam mutare, aut unam syllabam præterire.* Resp. dist. ant. ne altera fides proferatur, aut quidquam symbolo addatur a particularibus Episcopis, & quod fidei Divinæ esset contrarium, conc. ant. aliter, neg. ant. & conf. Mens Concilii patet tum ex Act. 1, ubi Patres statuerunt, ut ex sententiis ad fidem spectantibus

tibus cum expoſitione collatis conſentientes quidem confirmentur, diſſentientes autem rejiciantur: tum ex ſcopo, qui erat reprobare ſymbolum Neſtorianum, quod ille propria auctoritate confecerat & a ſuis ſubſcribi volebat. Ad conf. eadem eſt reſponſio; nam S. Cyrillus ibi loquitur de aſſeclis Neſtorii, aitque, ſe pati non poſſe illos, qui ſymbolum concutere tentant.

Dices 1. Juxta Patres Chalcedonenſes neque 748
licet addere ſymbolo expoſitionem veram; cum enim rogarentur, condere novam fidei formulam, & quidem conſonam Concilio Epheſino ac Conſtantinopolitano, act. 2 clamarunt: *Expoſitionem alteram nullus facit, neque tentamus, neque audemus exponere; docuerunt enim Patres, & in ſcriptis cuſtodiuntur, quæ ab eis ſunt expoſita, & citra ea dicere non poſſumus.* Conf. Concilium Epheſinum noluit vocem *Deiparæ* addere ſymbolo, licet fuiſſet maxime opportuna ad reprimendam hæreſin Neſtorianam. Reſp. diſt. ant. non licet addere expoſitionem veram ſine neceſſitate, tranſ. ant. ex neceſſitate, neg. ant. ipſum Concilium Chalcedonenſe ſymbolo Nicæno aliquam explicationem addidit, ut adverti num. 739; cumque par in parem, aut ſuperiorem nullam habeat poteſtatem, nunquam mens Conciliorum fuit, in hac parte poteſtatem aliorum Conciliorum, aut ſummi Pontificis reſtringere. Ad conf. vox *Deipara* jam ſatis continebatur in ſymbolo Conſtantinopolitano, in quo Chriſtus dicitur *conſubſtantialis Patri, incarnatus, & natus ex Maria Virgine.*

Dices 2. Tamen ipſe Leo III, cum a Concilio 749
Aquisgranenſi per legatos rogaretur, ut additionem *Filioque* ſuo conſenſu firmaret, id renuit, & ſymbolum Conſtantinopolitanum ſine hac additione juxta confeſſionem S. Petri in duabus tabulis argenteis deſcriptum

ſcriptum affigi juſſit: in ſynodo autem Conſtantinopolitana ſub Joanne VIII celebrata Legati Apoſtolici ſubſcripſerunt profeſſioni fidei, in qua omiſſa voce *Filioque* vetabatur ſymbolo fidei aliquid addere. Conf. Saltem hæc vox non debuiſſet addi inconſultis Græcis. Reſp. Quod Leo aperte profeſſus ſit proceſſionem Spiritus ſancti a Filio, conſtat ex ipſis actis legationis, quæ exhibet Harduinus tom. 4. Concil. ad annum 809. Non tamen exiſtimavit tunc neceſſarium eſſe hanc vocem addi ſymbolo, & in eo publice decantari; quia nondum fuerat ortum ſchisma Photianum, nec Græci ſuum errorem tanta pertinacia vulgabant. Concilium ſub Joanne VIII celebratum non eſt legitimum, in eo præſide Photio litteræ Apoſtolicæ depravatæ, ſynodus VIII œcumenica damnata, & legati ſedis Apoſtolicæ cauſam Eccleſiæ contra mandata turpiter prodiderunt. Ad conf. In concilio Florentino reſpondit ſeſſ. 7 Rhodius, non conſtare, an Græci non fuerint conſulti, neque Eccleſiam Romanam ulla lege fuiſſe adſtrictam, ut illos conſuleret.

750 Quæres adhuc 1. An Spiritus ſanctus diſtingueretur a Filio, ſi ab ipſo non procederet? Affirmabant id Græci Scotus, Okamus, Gabriel &c. tum quia Spiritus ſanctus, etſi a ſolo Filio procederet, nihilominus diſtingueretur a Patre, & eſſet alius quam Filius, tum quia ille procederet a voluntate, hic ab intellectu, per quod ſolum eſſent diverſi, ut inquit S. Anſelmus de proceſſ. Spirit. S. cap 4. ſed contra eſt, niſi Spiritus ſanctus procederet a Filio, non haberet oppoſitionem relativam cum Filio: ergo a Filio non diſtingueretur realiter, ut in Florentina ſynodo contra Græcos arguebant Latini, ex receptiſſima apud theologos ratione, juxta quam omnis diſtinctio realis in Divinis provenit ex oppoſitione relativa, quæ ratio deſumpta eſt ex SS. Patribus Gregorio Nazianz. Auguſtino, & ipſo Anſelmo,

mo, licet Spiritus sanctus nihilominus procederet ex voluntate, & Filius ex intellectu, hæc diversitas solum esset formalis, & sicut voluntas & intellectus in Deo realiter non est alius, sic etiam Spiritus sanctus & Filius realiter non essent diversi. Aliud est, quod Spiritus sanctus distingueretur a Patre, licet a solo Filio procederet; quia tali modo a Patre procederet saltem mediate per virtutem Filio communicatam.

Quæres 2. Ex quarum rerum amore procedat 751
Spiritus sanctus, & utrum aliquando in forma visibili apparuerit? Resp. ad 1. quod per se solum procedat ex amore necessario essentiæ Divinæ, trium personarum, & rerum possibilium, non item ex amore libero rerum contingentium, ut num. 723 diximus de processione Verbi. Ad 2. negant Sociniani Spiritum sanctum unquam sub specie visibili apparuisse, sed quando id Scriptura videtur asserere, per Spiritum nihil aliud esse intelligendum quam accidentalia dona DEI. Verum clariora sunt Scripturæ testimonia, quam ut torta hac explicatione ipsis possit satisfieri. Sic S. Lucas cap. 3 v. 22 diserte affirmat, Spiritum sanctum in corporali specie descendisse: *Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* Et quando Act. 2 v. 4 dicitur apparuisse sub specie linguarum, textus Spiritum sanctum manifeste a' donis accidentalibus distinguit. *Repleti sunt*, inquit, *omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.*

QUÆSTIO. V.

De proprietatibus Divinarum personarum.

752 INter proprietates & attributa Divina aliqua conveniunt omnibus tribus perſonis, alia tantum aliquibus. Sunt autem præcipue iſtæ, æqualitas, circumſeſſio, miſſio, notiones, proceſſiones, relationes, ſubſiſtentiæ. De ultimis tribus jam egimus diſp. 1 q. 4, de reliquis breviter adhuc quædam explicanda ſunt. Quamquam enim de illis non multum inter auctores controvertatur, indecorum tamen videtur Theologo, earum rerum ac vocum conceptum ignorare, quæ tum apud SS. Patres, tum in eruditorum libris, in quibus de SS. Trinitate agunt, non raro occurrunt. Serviet inſuper hæc explicatio, ut quædam ex illis, quæ in hac parte quarta diſputavimus, clarius intelligantur. Equidem quod perſonæ Divinæ ſint æquales in perfectione, & omnia prædicata abſoluta ipſis communia, manifeſtum eſt ex dictis.

753 Quippe ea ſunt æqualia in perfectione, quorum unum realiter ab altero diſtinguitur, non tamen illud alterum excedit, aut ab ipſo exceditur; atqui perſonæ Divinæ realiter inter ſe diſtinguuntur, & nulla alteram in perfectione excedit; cum omnes tres eandem numero eſſentiam habeant, & quidem in omni genere perfectionis infinitam, qualem nulla haberet, niſi omnia prædicata abſoluta omnibus tribus eſſent communia. Hinc Chriſtus Joan. 16 v. 15 ait: *Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt.* Et de illo Apoſtolus ad Philipp. 2 v. 6: *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Conſonat ſymbolum S. Athanaſii: *Totæ tres perſonæ Divinæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Et præfatio Miſſæ de SS. Trinitate: *Ut in eſſentia unitas, & in* per-

perſonis proprietas, & in Majeſtate adoretur æqualitas. Cui neutiquam præjudicat diſtinctio inter perſonalitates, cum juxta nos ſint mera prædicata neutra.

His non obſtantibus a S. Scriptura, SS. Patribus, 754
& communi Theologorum quædam prædicata abſoluta certis perſonis ſpecialiter tribuuntur per aliquam, ut ajunt, appropriationem, deſumptam ex ſimilitudine vel diſſimilitudine cum rebus creatis. Sic Patri appropriatur creatio univerſorum, quia eſt principium ſine principio, & fons Deitatis. *Nobis unus Pater, ex quo omnia,* 1 ad Cor. 8 v. 6. Filio appropriatur DEI virtus, per quam Pater omnia operatur: *omnia per ipſum facta ſunt,* Joann. 1 v. 2. Spiritui ſancto appropriatur bonitas & amor, quia procedit per amorem, cujus objectum bonitas eſt. *O quam bonus & ſuavis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus,* Sap. 12 v. 1. Quæ omnia paucis expreſſit Apoſtolus ad Rom. 11 v. 36 dicens: *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo* (nempe DEI bonitate) *ſunt omnia.* Videatur S. Auguſtinus lib. 15 de Trinit. cap. 17.

Simili modo Patri Divino tribuitur æternitas; 755
quia caret principio, & omnipotentia, ut indicetur illum ratione ſenectutis non deficere, ſicut contingere ſolet in rebus creatis. Filio tribuitur pulchritudo; quia eſt ſpecies & imago Patris perfectiſſime exprimens eſſentiam Divinam. Item ſapientia, ne quis de illo cogitet, quaſi ratione juventutis inexpertæ in ſapientia deficiat. Spiritui ſancto tribuitur uſus & fruitio; quia amor ad uſum & fruitionem tendit. Ne vero terreni ſpiritus impulſum, & violentiam importare videatur, attribuitur ipſi amor & ſuavitas in agendo. Ex quibus ulterius patet, quare Patri ſpecialiter ſoleamus adſcribere vitam, Filio potentiam intelligendi, Spiritui ſan-

cto ſanctificationem & regenerationem per gratiam, aliaque cœleſtium charismatum dona.

756 Circumſeſſio ſeu circuminſeſſio eſt mutua Divinarum perſonarum quaſi penetratio & inhabitatio, vi cujus una perſona dicitur eſſe in alia ita, ut nulla ratione divelli unquàm aut ſeparari valeant. Sequitur neceſſario ex unitate eſſentiæ; hinc Chriſtus Joan. 14 v. 10 probat, ſe unum eſſe cum Patre, quia in Patre eſt. *Non creditis*, inquit, *quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Neque obſtat oppoſitio relativa Perſonarum ad invicem; non enim dicuntur in ſe invicem eſſe ratione relationum, ſed ratione eſſentiæ. Hinc Paternitas quidem formaliter non eſt in Filio aut Spiritu ſancto, quia tamen omnes tres ſunt in eadem eſſentia, poteſt dici, quod Paternitas ſit in Filio & Spiritu ſancto identice & quaſi materialiter.

757 Ubi tamen S. Thomas in cap. 1 Joannis lect. 1 duo advertit. Primum eſt, quod licet Verbum dicatur eſſe apud Deum, id eſt, Patrem, non ideo viciſſim Deus ſeu Pater dici poſſit eſſe apud Filium; quia *τo apud* non ſignificat ſimpliciter diſtinctionem & præſentiam, ſed etiam originem: Filius autem non eſt origo Patris, ſed potius a Patre originem trahit. Alterum eſt, quod licet Pater non dicatur eſſe apud Filium, nihilominus dicatur eſſe in Filio. Quia nempe præpoſitio *in* ſignificat quamdam conjunctionem intrinſecam & in eſſentia. Econtra præpoſitio *apud* importat conjunctionem extrinſecam ſecundum perſonas realiter diſtinctas ratione originis unius ab alia, & ideo perſona dicitur eſſe apud illam, cui ratione originis conjungitur.

758 Miſſio, ut quæſt. præced. jam notavimus, in Divinis eſt proceſſio unius perſonæ ab alia, ut per ope-

operationem externam novo modo in creatura existat, vel in ea novum effectum in tempore producat. Neque tamen fit per imperium, consilium, impetum, aut transitum a loco ad locum, sed tantum per originem & novum quendam existendi modum; unde complete sumpta duo involvit, processionem unius ab alio, & novum modum existendi, seu productionem effectus temporalis. Ex primo colligitur, quod Pater Divinus a nullo, Filius a solo Patre, Spiritus sanctus a Patre & Filio mittatur. Mitti namque dicitur ille, qui procedit ab alio. Ex secundo infertur, missionem completam esse temporalem, eamque aut invisibilem, quando effectus, ad quem persona mittitur, est invisibilis, ut productio gratiae sanctificantis: aut visibilem, qualis fuit missio Verbi per incarnationem, & Spiritus sancti sub specie linguarum.

Per notiones hic intelliguntur illae proprietates, 759
per quas una vel plures personae cognoscuntur esse distinctae ab alia. Quinque ordinarie enumerantur, Paternitas, & innascibilitas, quae Patri; Filiatio, quae Filio; spiratio activa, quae Patri & Filio simul, & spiratio passiva, quae Spiritui sancto propria est. Differunt notiones personarum 1 ab actibus notionalibus; quia actus notionalis est productio personae, adeoque tantum duplex generatio nempe & spiratio activa. 2. A relationibus personarum; quia innascibilitas non est ratio referendi Patrem ad aliam personam. Hinc num. 684 dixi in Deo tantum dari quatuor relationes. 3. A proprietatibus personarum; nam istae tantum uni personae conveniunt, spiratio autem activa simul convenit Patri & Filio. Hoc tamen discrimen in modo loquendi non semper observatur. 4. A proprietatibus personalibus; nam notio personalis est illa, quae personam formaliter constituit; jam vero neque innascibi-

ſcibilitas, neque ſpiratio activa perſonam formaliter conſtituit. Unde notiones perſonales ſunt tantum tres, Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiva, ob quas Deus dicitur trinus, quin ob quinque notiones poſſit dici quinus.

760 Cæterum quia in myſterio Trinitatis ſæpe occurrit difficultas, an & quænam voces tribus perſonis applicari valeant, præſertim ſi in numero plurali ponantur, aut pluralitatem ex ſe importent, juverit hic ex Tournelio breves quasdam attexere regulas. Prima ac generalis eſt. In numero plurali utendum eſt ſolis illis vocibus, quæ duntaxat ſignificant diſtinctionem ſuppoſitorum; ſi vero ſimul importent diſtinctionem naturæ, aut inæqualitatem inter perſonas, illis abſtinendum. Hinc 1, licet in ſenſu Catholico non poſſit dici, dari in Deo tria individua, quia plura individua dicuntur in ordine ad diſtinctam numero naturam; poteſt tamen dici in Deo dari tres res, entia &c. cum addito relativæ, quia hæc tantum indicant in Deo dari tres relationes realiter diſtinctas. 2. Ob eandem rationem recte dicitur in Deo dari trinitatem, Deum eſſe trinum in perſonis, non item in Deo dari triplicitatem, Deum eſſe triplicem. 3. Quamvis Filius poſſit dici alius aut diſtinctus a Patre, non tamen poteſt dici a Patre diverſus, diſcrepans, alienus, diviſus, diſpar; quia iſti termini juxta communem acceptionem diſtinctionem naturæ ſignificant.


761 Regula ſecunda. Nomina abſtracta, quæ ipſam formam ſignificant, uti Divinitas, ſapientia, bonitas &c. nec ſupponunt pro perſonis, nec in numero plurali uſurpari poſſunt; non enim poſſum dicere: eſſentia generat, tres ſunt in Deo Divinitates, ſapientiæ &c. Tertia. Concreta eſſentialia ſubſtantiva prædicantur ſingulariter de tribus perſonis; ſic dicimus Deum eſſe unum, ens infinite perfectum &c.

&c. quia concreta ſubſtantiva non multiplicantur, niſi ſimul multiplicetur forma ſeu ſubjectum. Idem quandoque contingit, ſi concreta adjectiva ſubſtantive accipiantur: ut quando in ſymbolo S. Athanaſii dicitur unum eſſe omnipotentem, unum æternum. Quarta. Concreta eſſentialia adjectiva prædicantur in plurali; quia primario ſignificant aliquid ſubſiſtens, formam vero per modum adjacentis. e.g. omnipotens is, qui habet omnipotentiam; hinc ut multiplicentur; ſufficit multiplicatio ſubjecti. Idem eſt de ſubſtantivis adjective acceptis. Quinta. Quando concreta eſſentialia ponuntur in aliqua propoſitione tantum ſecundum ſe, ſupponunt pro Divina eſſentia omnibus perſonis communi, ut cum dicitur, Deus erat. Si autem reſtringuntur per aliquid notionale, aut illi æquivalens, ſupponunt tantum pro illa perſona, cui talis actus notionalis convenit, ut Deus generat, ſpirat, generatur, ſpiratur &c. Hæc pro intellectu & ſpeculatione dicta ſint, pro voluntate & praxi unica ac optima erit regula, ſi ex iis, quæ hactenus de infinita & incomprehenſibili eſſentia, ſcientia & voluntate DEI unius ac trini explicata ſunt, ſupremam ejus majeſtatem ſuper omnia æſtimare, eique puro corde ſervire diſcamus, ut quam modo in ænigmate ſolum fuimus ſpeculati, aliquando ſumma voluptate a facie ad faciem contemplemur.



[illegible]





MONSCHEIN
THEOLOGIA
DOGMATICO